5 · 2. 494

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS DIŒCESANA

Ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino


JOHANNE OCTAVIO

TIT. S. MARIÆ ANGELORUM S.R.E. PRESBYTERO

CARDINALI BUFALINO

EPISCOPO ANCONITANO, ET HUMANATENSI

In Eccleſia Cathedrali celebrata diebus 1. 2. 3. Septembris
Anno Domini MDCCLXXIX.



ROMÆ MDCCLXXIX.

TYPIS JOSEPHI, ET ALOYSII LAZZARINI

PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO BEATISSIMOQUE PATRI

DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI OPT. MAX.

JOHANNES OCTAVIUS CARDINALIS BUFALINUS
EPISCOPUS ANCONITANUS, ET HUMANATENSIS.

QUÆ me cauſæ remoratæ fuerint, quominus ante hunc exeuntem annum, tertium ſcilicet, decimumque humilis mei Epiſcopatus Diœceſis meæ Conventum cogere potuerim, eas in ſermone, quem in Conventu ipſo ad Clerum

Digitized by Google

habui, non omnes quidem, ſed quot ſatis erant, expoſui, atque hic repetere, ſupervacaneum eſſe exiſtimo. Id potius affirmabo, quandocumque licuiſſet mihi debitum illud exſolvere Miniſterii mei, legeſque latas in publicum emittere a Grege mihi concredito cuſtodiendas; eas in animo mihi fuiſſe, cenſuræ, judicioque Ejus ſubjicere, qui communis Parens Gentium Chriſtianarum in Beatiſſimi Petri Cathedra præſideret. *Hoc* enim *optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videtur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque Provinciis Domini referant Sacerdotes*, quemadmodum Patres Concilii Sardicenſis (*a*) faſſi ſunt: Quod & ipſe Juſtinianus Imperator agnovit, qui ſcribens ad Johannem II., *Nec patimur*, inquit, (*b*) *quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamvis manifeſtum, & indubitatum ſit, quod movetur, ut non etiam Veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum*. Jam vero, Beatissime Pater.

(*a*) *Eorum verba laudat Nicolaus I. in Epiſt. ad univerſos Epiſcopos Galliæ apud Lab. Tom. 2. Conc. edit. Paris. pag. 661.*

(*b*) *In Epiſt. ad eamdem Pontif. apud Lab. Tom. 4. Conc. pag. 1743. & L. 5. C. de ſumma Trinitate, & Fide Catholica.*

Pater, haud me ſane pœnitet cunctationis meæ, quam potius, quantum ad me attinet, felicitatis loco ponendam eſſe duco. Quid enim? Quum editio Synodalium Decretorum, quæ ad regimen Eccleſiæ meæ condita per me fuerunt, in tempus inciderit fauſtiſſimi Pontificatus Tui, non illa modo mihi datur facultas, ut ea ſiſtens Sanctitati Tuæ corrigenda, atque emendanda hoc meæ in Apoſtolicam Sedem obſervantiæ, ac reverentiæ ſpecimen præbeam, ſed ut etiam quantum me Tibi debere profitear, publice teſtificari poſſim. Quem enim latet, inter initia ipſa Principatus Tui voluiſſe Te, quæ Tua fuit admiranda benignitas, ut pateret omnibus, me, meoſque receptos eſſe in peculiarem benevolentiam, & gratiam Tuam? Neque id porro unquam deſtitit Sanctitas Tua multimodis comprobare, tametſi ab iis narrandis abſtineam, quæ in me contuliſti, ne non tam munera Tua proferre, quam me in iiſdem jactare videar. Illa etiam prætermittam, Beatissime Pater, quæ de religione Tua, de juſtitia, de miſericordia, de conſtantia, de magnanimitate, deque reli-

quis

quis virtutibus prædicantur, quas TIBI veluti adminiſtras, & comites in Imperii ſacroſancti communionem adjungis. Dicant de his alii, deque rebus a TE præclariſſime geſtis, quas inter memorandum profecto Poſteritati erit Conſiſtorium illud ſuperiore anno ipſo Domini Natali Die habitum, in quo, triumphato errore, & Fratre aberrante, ac mox reſipiente in Catholicam pacem, & unitatem recepto, perenne Veritati, ac Apoſtolatui TUO tropæum quodammodo extuliſti. Dicant de magnificentia TUA plane ſingulari, qua tot Opera egregia non ad Urbis modo, verum etiam ad totius, qua late patet, Ditionis TUÆ utilitatem, atque ornamentum alacritate ſumma ſuſcepiſti, ac porro urges, ut perficiantur. Ego vero, qui non dicam exornandis, ſed enarrandis laudibus SANCTITATIS TUÆ impar omnino ſim, finem, quem hic mihi conſtitui, non excedens, gratias, quas TIBI debeo, immortales ago, & quamdiu vita ſuppetet, memori uſque mente perſolvam. Huic autem officio ut re etiam, qua poſſum, faciam ſatis, gratulatus TIBI de recuperata non ita pridem vale-

tudi-

tudine Deum precor , & deinceps obſecrabo , uti TE diu florentem , & incolumem ſervet , atque omnes cogitationes TUAS ita ſecundet , ut eas talis ſemper ſequatur eventus , quo Pontificatus TUI gloria , Chriſtianæque Reipublicæ felicitas & renovetur , & augeatur . Quod profecto quidni merito , ac jure TE impetraturum ſperes , BEATISSIME PATER , qui apud eumdem Deum præcipuo uteris Deprecatore glorioſiſſimo Apoſtolorum Principe , qui tam jugi cultu , & commemorabili in ævum pietate ejus tutelam demereri ſtudes , qui Vaticanam Baſilicam , miraculum illud Orbis terrarum ampliſſimi Sacrarii acceſſione auctiorem efficis , ut hoc ſcilicet perpetuum exſtet TUI erga beneficentiſſimum Patronum grati animi monumentum ? Verum hæc , aliaque miſſa facio , quæ nec ſunt hujus loci , meamque dicendi facultatem exſuperant , & ad Decreta mea Synodalia regrediens , quæ hoc Volumine comprehenduntur , quoniam (a) *Sicut a perſona Beati Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium , ita neceſſe eſt , ut diſciplinis competentibus*

(a) *Verba ſunt Cæſarii Epiſc. Arelatenſis apud Lab. Tom. 4. Conc. pag.* 1294.

bus SANCTITAS VESTRA *ſingulis Eccleſiis quid obſervare debeant*, *evidenter oſtendat*; quæſo, ut quidquid conſtitui (*a*), *veſtri oris conſortiō confirmetur*. Quod reliquum vero eſt, pergas, BEATISSIME PATER, complecti, ac tueri me clementia, & humanitate TUA, unaque TUAM hanc Civitatem, quæ Portum ſuum jamdiu inchoatum, ac prope affectum ſub feliciſſimo imperio TUO confectum videre geſtit, ſibique jure ominatur. Poſtremo Apoſtolicam Benedictionem, quam poſt ſanctiſſimorum Pedum oſcula ſupplex exoro, mihi, Gregique meo benigniſſime impertiri velis.

(*a*) *Ita Patres Nicænæ Synodi in Epiſt. ad Silveſtrum Papam apud eumdem Lab. Tom.2. Conc. pag.* 58.

IM-

Digitized by Google

I M P R I M A T U R;

Si videbitur Rm̃o Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F.A. Marcucci ab I.C. Epiſc. Montis Alti, ac Viceſg.

APPROBATIONES.

Synodus ſancta nihil aliud eſt, niſi malorum metus, proborum ſpes, errorum ejectio, ſeges, & reſtitutio virtutum, qua dæmonum fallacia vincitur, ſenſuum illecebræ auferuntur, ratio amiſſam arcem recipit, terris e cœlo juſtitia reſtituitur: Hæc, quæ in Concilio Lateranenſi quinto ſumma omnium Patrum adprobatione doctiſſimus Cardinalis Ægidius Viterbienſis univerſim de ſynodis præfatus eſt, de Anconitana hac ab Em̃o, ac Rm̃o Principe Johanne Octavio Buſalino S.R.E. Presbytero Cardinali, & illius Eccleſiæ Antiſtite celebrata veriſſima eſſe comperi. Cum enim, jubente Rm̃o P.Magiſtro S.P.A., ejus leges, atque acta ſedulo, ut par erat, perlegiſſem, plura in ſynopſim redacta, paucisque comprehenſa intellexi, quæ a Summis Pontificibus, a ſanctis Patribus, & ab Eccleſiæ canonibus ſancita ſuperioribus ſæculis fuerant, plura quoque recenter decreta, quæ ad Fidei puritatem, morumque ſanctitatem tuendam noſtra hac præſertim ætate catholicis viris maxime ſunt neceſſaria. Nec dubitaverim, quin & alii, qui præſtantiſſimum opus diligenter evolverint, una mecum in eo deprehenſuri ſint, quam recte a magno Gregorio ſcriptum fuerit in celeberrima ad Syagrium, alioſque Galliarum Epiſcopos epiſtola: *Ne qua inter fratres diſſenſio, ne qua inter præpoſitos, & ſubjectos ſint fomenta diſcordiæ, neceſſe omnino eſſe in unum convenire ſacerdotes, ut & de incidentibus cauſis diſceptatio, & ſit ſalubris de eccleſiaſtica obſervatione collatio, quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiant, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur.* Cenſeo itaque, typis promulgandas omnino eſſe ſapientiſſimas haſce ſanctiones, & quidem non ad utilitatem tantum Anconitanæ Diœceſis, verum etiam ad totius catholicæ unitatis firmamentum. In illis enim ſacerdotes, quos Deus *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam*, quid, & quomodo præcipiendum ſit, agnoſcere facile poterunt; fideles vero, quibus a Domino dictum eſt, *quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*, diſcent, quâ debeant ratione ſe *reformare in novitate ſenſus, ut probent, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Ex ædibus S. Calliſti Kalendis Octobris anno MDCCLXXIX.

D. Petrus Aloyſius Galletti Ordinis S. Benedicti,
Congregationis Caſinenſis, Epiſcopus Cyrenenſis.

* *

Mihi

MIhi quod eſt demandatum, attente perlegi, ac diligentius luſtravi Librum, cui Titulus *Synodus Diœceſana ab Emo, ac Rmo Domino Johanne Octavio Tit. S. Mariæ Angelorum Presbytero Cardinali Buſalino &c.* Par Emo Viro Principi Opus iis in omnibus, quæ ſunt ad Deum, ad Sacramenta, ad Ritus ſacros. Quæ nitorem, quæ methodum, quæ diſciplinam attingunt, unaquæque ſunt evoluta per partes, necnon per capita diſtributa; Dignitas majorum, minorumque Sacerdotum, Cleri ſplendor, Monialium perfectio, Populi officia ſuis terminis comprehenduntur, ac legibus innixis ut plurimum Biblicis divinarum Scripturarum oraculis, Œcumenicis generalium Conciliorum definitionibus, Pontificiis tum veterum, tum recentiſſimorum Canonum regulis, certis Eccleſiæ Patrum antiquorum ſententiis. Quæ a primæva Chriſtiana ætate divinitus tradita ſunt, renovantur, illuſtrantur, confirmantur. Redolent ſingula ſcientiam, pietatem, ſanctum Dei timorem. Bonus, rectus, ſapiens Emus Paſtor florentiſſimum Gregem Chriſti ſibi utiliſſime concreditum paſcens ſpiritualiter exemplo virtutis & docet exterius verba veritatis. Auctoritate nimirum, cura, operaque ſua Synodum coegit, concinnavit, produxit rite, ſciteque traductam ad nuperas Œcumenicas Tridentinas ſanctiones, Romanumque Cathechiſmum; Eximius Liber, egregius, ad legendum ſuave oblectamentum, latino præterea lepore diſerte perfuſus, Emo Auctore digniſſimus. Merito igitur, ac jure optimo præſtat, ut evulgetur non tantum ad fructuoſam Diœceſis Anconitanæ informationem, quantum ad uberrimam totius Populi Chriſtiani ædificationem. Quoad meum eſt, ita cenſeo, judico, ac aſſeverantiſſime teſtor. Dabam ex Ædibus noſtris S. Silveſtri Montis Quirinalis tertio Kalendas Novembris MDCCLXXIX.

D. Dominicus Pignatelli Præpoſitus Generalis Cler. Reg., & Prom. ad Epiſc. Examinat.

I M P R I M A T U R.

Fr. Pius Thomas Schiara Ord. Prædicat. Sac. Palat. Apoſt. Magiſter.

INDI-

INDICTIO SYNODI.

JOHANNES OCTAVIUS TIT. S. MARIÆ ANGELORUM S.R.E. PRESB. CARDINALIS BUFALINUS ANCONITANOR., ET HUMANAT. EPISCOPUS, ET HUMANÆ COMES.

QUÆ ſint Synodalium Conventuum utilitates, nemo quidem ignorare poteſt, qui vel qualemcumque ſacrorum Canonum, & Eccleſiaſticarum rerum notitiam habeat, ut propterea ſupervacaneum ſit, eas hic longo, & accurato ſermone dinumerare. Hoc ſane non prætermittimus, earumdem præſertim utilitatum cauſa ſanctiſſimos Patres noſtros, & noviſſime Tridentinum Concilium Epiſcopis omnibus tradidiſſe, ſive potius juſſiſſe, ut ſingulis quibuſque annis in Synodum convenirent. Quod ſi rerum viciſſitudo, conditioque id effecerunt, ut hæc Synodorum frequentia tempeſtate hac noſtra minus fortaſſe neceſſaria videri poſſit, non iis idcirco, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, tam ſalubre inſtitutum negligendum, aut fructus recuſandi, qui ex eo uberrimi obvenire ſolent. Nos quidem ex quo tempore ad Epiſcopalis officii procurationem vocati fuimus, nihil noſtra magis intereſſe putavimus, quam ut ad eam graviſſimi oneris partem animum, cogitationemque converteremus; cumque ad hoc potiſſimum cogantur Synodi, ut leges ferantur de Eccleſiaſtica diſciplina, in id ſcilicet, luſtrata vix Diœceſi, incubuimus, ut quæ pro condendis Synodalibus Conſtitutionibus eſſent opportuna, a nonnullis ex utroque Clero per Nos ipſos ſelectis, ſcientiaque, & prudentia præſtantibus viris colligerentur, & in codicem

Digitized by Google

redigerentur, partim quidem a Deceſſorum noſtrorum ſanctionibus excerpta, partim vero iis addenda, utpote neceſſaria, ac temporum, & Gregis noſtri rationibus magis accommodata. Jam vero gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, a quo bona cuncta procedunt, quod huic tandem rei extrema manus acceſſit; cumque inſuper hoc legum corpus, inſtituto de more coram Nobis examine, noſtro etiam privato ſtudio perpenſum tale viſum fuerit, quod pro dignitate noſtra, proque ejuſdem Gregis bono in Cleri Comitiis proponi poſſit, non ea ſane diutius proferenda eſſe exiſtimavimus.

Itaque litteris hiſce noſtris Diœceſanam Synodum in Cathedrali Eccleſia noſtra Kalendis Septembris, & duobus, qui ſequentur, diebus habendam indicimus, omneſque in primis tum ejuſdem Cathedralis, tum Collegiatarum Dignitates, & Canonicos; dein Parochos, reliquoſque de Clero ſive Civitatis, ſive Diœceſis, qui jure, vel conſuetudine, aliave ratione Synodo intereſſe debent, vocamus, & monemus in Domino, ut præfinita die ſummo mane unuſquiſque decenter ornatus veſte, & inſignibus Ordini, Dignitatique ſuæ congruentibus ad ſupraſcriptam Eccleſiam noſtram omnino conveniant, & Synodo inchoandæ præſto ſint, nec, niſi a Nobis poteſtate facta, ante a Civitate ſecedant, quam Synodus ipſa dimittatur, pœnas, ſi ſecus fecerint, per ſacros Canones ſtatutas, aliaſque per Nos decernendas profecto ſubituri. Præter alios vero, meminerit Prior Monaſterii S. Laurentii ad Flumen Æſinum Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis, ſibi quoque ad Synodum accedendum eſſe, quippe cum Monaſterium illud Epiſcopali viſitationi, & correctioni obnoxium ſit. Quod ſi quis legitime impediatur, quominus omnibus Synodi actionibus, aut cuipiam earum adeſſe poſſit, huic ſane id remittemus, modo

tamen

tamen impedimenti cauſa cognita per Nos ante fuerit, & plane probata.

Interim animo quiſque perpendat, quam rem geſturi ſimus, ut ei quidem mores, & vitam ſuam, actuſque omnes diligenter attemperet. Si enim *Deus odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco*; ſi *Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalvi ſiunt, & in iis, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*, ut de ſe ajebat Apoſtolus (2. *ad Cor. II.* 14. 15. 16.); ſique id ad noſtram etiam doctrinam ſcriptum fuiſſe, nemo in dubium vocare poteſt; quanto magis graviſſimæ hujus ſententiæ meminiſſe debemus, cum de Divino cultu, de ſacris functionibus, de ritibus Eccleſiaſticis, de optima diſciplina, præcipue vero de vitiis evellendis, de propulſandis animarum periculis, de lege Domini cuſtodienda commune conſilium inſtituimus? Igitur *exemplum* ſimus *fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate* (1. *ad Tim. IV.* 12.); *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (*ad Tit. II.* 7. 8.)

Sed quoniam ſufficientes non ſumus *cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* (2. ad Cor. III. 5.); ideo ejus in nos miſericordiam implorare debemus, cujus auxilio & abſtrahamur a noxiis, & ad ſalutaria dirigamur. Quamobrem præcipimus, ut a die 25. ſubſcripti menſis, in quam incidunt Dominica IX. poſt Pentecoſten, & Feſtum S. Jacobi Apoſtoli, uſque ad abſolutam Synodum in omnibus Miſſis tam ſollemnibus, quam privatis, cum in Civitate, tum in Diœceſi addatur quotidie Collecta de Spiritu Sancto, & in Cathedrali noſtra æque, ac in Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis poſt Miſſam ſive Conventualem, ſive Parochialem ſingulis quibuſque feſtis diebus Litaniæ


Digitized by Google

taniæ omnium Sanctorum cum conſuetis precibus recitentur: Ita enim fiet, ut Pater noſter, qui in cœlis eſt, quique dat omnibus affluenter, & non improperat, deſideratam nobis ſuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus, largiatur.

Cæterum Edictum hoc, poſtquam de more promulgatum fuerit, & ſolitis locis affixum, ita omnes, ad quos attinet, obſtringat, quaſi fuiſſet eorum ſingulis denuntiatum. Datum Anconæ ex Ædibus noſtris Epiſcopalibus apud S. Cyriacum hac die 18. Julii 1779.

J. O. Card. Epiſcopus.

Franciſcus Silveſtrini Not., & Canc. Epiſc.



ORA-

Digitized by Google

ORATIO
EMINENTISSIMI EPISCOPI AD CLERUM.

NULLA unquam prorſus hodierna neque exoptatior, neque jucundior Nobis alluſit dies, Venerabiles Fratres, Filii in Domino dilectiſſimi, quæ, cum vos una Nobiſcum in hunc ſanctitatis locum advocarit, atque collegerit, communis debet eſſe cauſa lætitiæ. Quid enim Parenti ſuavius, quam Filios intueri ferme ad unum omnes in circuitu menſæ Domini congregatos? Quid vero Filiis amabilius, quam Patris vocem ex abundantia cordis, & caritatis plenitudine loquentis audire? Quid denique juſtius gaudendi argumentum dari poſſe credamus, quam illud tandem adveniſſe tempus, quo, inſtauratis, aut explanatis Deceſſorum noſtrorum legibus, iiſque per Nos adjectis, quæ neceſſariæ viſæ ſunt, vel opportunæ, ea Gregem Nobis concreditum moderandi ratio Synodali ſanctione conſtituatur, quæ tum ovibus, tum Paſtori utilior, atque expeditior futura ſit? Jure igitur exultare, ac lætari Nos jubet in Domino dies hæc profecto fauſtiſſima, quam diuturno ſtudio, noſtrumque omnium votis concupitam, velut præcipuam, propemodum ſingularem, atque a Domino ipſo factam par eſt exiſtimare.

Talem certe, tantamque diem, qua uno obtutu Filiorum in Chriſto mentes, ſenſuſque, & os cernere, ac illos alloqui, contemplarique poſſemus, fere jam inde cum divina primum diſpenſatione, mox Clementis XIII. Pontificis Summi, ejuſdemque Principis erga Nos munificentiſſimi liberalitate omnium vocibus prædicanda inclitæ hujus Eccleſiæ di-

gni-

Digitized by Google

gnitas, Gregiſque Anconitani, atque Humanatis cuſtodia, & incolumitas tenuitati noſtræ commiſſa fuit, tertium decimum jam annum Nos quidem potiſſimum præſtolati fuimus, & præ cæteris vehementer optavimus. Verum non pauca ſane, & ea utique haud minoris momenti impedimento fuere, quominus voti hujus compotes hucuſque redderemur. Nam ut ex iis nonnulla memoremus, ſciunt omnes, Nos nihil tale opinantes, & maxime mœrentes ſemel, atque iterum annis dumtaxat octo Romam petere debuiſſe, quo univerſalis Eccleſiæ neceſſitate arceſſebamur, de ejus viſibili Capite, ac ſupremo Antiſtite deligendo in Vaticanis Comitiis deliberaturi. Quamquam ſane Comitiorum ejuſmodi, quæ quidem poſtrema fuere, eum exitum habuerunt, quo nec Nobis lætior, nec Eccleſiæ ipſi jucundior evenire poterat, ut proinde ægritudinem noſtram tum ex Apoſtolicæ Cathedræ viduitate, tum ex Sponſæ noſtræ deſiderio conceptam miſſa de ſummo pietas quam abunde compenſaverit. Præterquam quod nec interea, dum de Petri Apoſtolorum Principis Succeſſore conſultaretur, nec poſtquam de eo ſuffecto Chriſtiana Reſpublica Datori bonorum omnium Deo gratias agere geſtiebat, aut Anconitana hæc Sedes quicquam ex abſentia noſtra detrimenti cœpit, aut defuit Gregi ſecuritas, quam ſatis profecto tuebantur fundamenta firma, ſtabilia, innixa præceptis veteris diſciplinæ, tot illuſtrium Deceſſorum noſtrorum eximiis legibus roborata.

Sed & Diœceſim antea luſtrandam cenſuimus, cujus idcirco Paſtoralem Viſitationem ab ipſo veluti Epiſcopatus exordio ſedulo ſuſceperamus, nempe inſpecturi, utrum earum legum obſervantia obſoleviſſet, aut vepres in agrum irrepſiſſent noſtrum, vel in eum inimicus homo ſuperſeminaſſet zizania, quo facto corruptela aliqua emerſiſſet, quæ medicina indigeret. Cujus ſane provinciæ adminiſtrationem

cum

cum ita inſtitutam voluerimus, ut quæque non quidem curſim annotarentur, & leviter, ſed ſtudioſe prorſus, diligenterque expiſcarentur, quo id facilius, utiliuſque ex animi ſententia ſuccederet, in auxilium vocavimus probatiſſimos quoſque viros tum de Capitulis Eccleſiarum Cathedralis, & Collegiatæ, tum de Clero Urbano, & Diœceſano, quos veluti tot Vicarios noſtros conſulto in hoc munere conſtituimus, ut omnia, eaque potiſſimum, quæ in luſtratione ipſa non prodiiſſent, ſingulatim animadverterent, ſcrutarentur, expenderent, quæque Nos emendanda eſſe decreveramus, ut probe corrigerentur, impenſe curarent, atque oculos, animumque intenderent ad ea vel maxime, quæ ad Eccleſiarum decus quomodolibet pertinent, aut earum utilitatem reſpiciunt, ſed plerumque vel raptim viſa, vel per ignaviam non prodita, vel utcumque ignorata tenebris contabeſcunt.

Tametſi vero nunquam opus hoc urgere deſtitimus, cum tamen eſſet illud ejuſmodi, quod ſola temporis longinquitate perfici poſſet, id in cauſa fuit, quamobrem Viſitatio, quam diximus, optimis quidem auſpiciis inchoata, &, quod ad Nos attinebat, jampridem abſoluta his ipſis dumtaxat diebus propemodum perfecta fuerit, quippe cum aliqua adhuc in ea deſiderarentur, ex quibus fructus capi liceret, qui votis noſtris, noſtræque expectationi plene reſponderent. Hos autem uberrimos Nobis attulerunt tum zelus, & induſtria ſingularis, tum ſedulitas, & perſpecta fides Virorum illorum, quos vice noſtra in hac Miniſterii parte fungi voluimus, quibuſque propterea, quandoquidem hæc ſe Nobis tam opportuna præbet occaſio, facere non poſſumus, quin meritas laudes, grateſque debitas publice rependamus.

Hæc ergo pauca ſtrictim vobis referenda eſſe exiſtimavimus, ut cunctationis noſtræ cauſas apud vos probaremus. Quemadmodum vero pro certo habemus, vos verbis no-

ſtris fidem adjunxiſſe, ita etiam ſperamus, opinaturum neminem, quas in hoc præclariſſimo conſeſſu leges promulgabimus, eas vel quicquam ponderis dilatione temporis amiſiſſe, aut ſeveritate nimia impendio magis graves futuras.

Quamquam qui poſſint hæc homines ſuſpicari in Sacerdotio, in Miniſterio, in Chriſti doctrina verſati? Profecto non eos vos eſſe arbitramur, quorum mentes vel prava conſuetudo veneno infecerit, vel terrenarum rerum ambitus cæcitate perſtrinxerit, ut inſipientes, corrupti, & abominabiles facti cupiditatibus omnibus velitis fræna laxare. Animi veſtri alacritatem cernimus, ſingulorum virtutem intuemur, veſtram uniuſcujuſque dignitatem colimus, atque ſuſpicimus. Attamen temperare Nobis nec poſſumus, nec debemus, quin ad eam ipſam dignitatem tuendam, fovendamque opportuno legum auxilio vel jacentes erigamus, vel oſcitantes excitemus, vel renuentes compellamus. Nobis enim tacentibus, ac veluti obdormiſcentibus, quantum, bone Deus, nefas eſſet, ſi forte ad eamdem dignitatem evertendam, vel certe labefactandam lubrica tenebrarum nonnullis aperiretur via Davidis oraculo condemnata = *Hæc via ſcandalum ipſis: Viæ illorum tenebræ, & lubricum!*

Sed quoniam Grex noſter non ex Eccleſiæ dumtaxat Miniſtris, ſed ex Laicis quoque coaleſcit, cum inter eos & Acatholici, & Judæi, & aliquando etiam Maumethani aliquot numerentur, quod ad hos primum attinet, precamur cæleſtem univerſorum hominum Patrem, ut illi ſane, *omni hæretica pravitate depoſita, ad veritatis ejus redeant unitatem*; alii vero, *agnita* pariter *veritatis luce, quæ Chriſtus eſt, a ſuis tenebris eruantur*; poſtremi denique, *ablata ex eorum cordibus iniquitate*, itidem *Eccleſiæ ſanctæ aggregentur* (a). Quod reliquos autem ſpectat, qui non modo per Baptiſmum Chriſtianæ militiæ nomen

(a) *Eccleſia in Officio Fer. VI. Maj. Hebd.*

nomen dedere, ſed & unitatis centro adhærent, ſuntque potior, ac maxima ovium hujuſmodi noſtrarum portio, hos quidem magnopere hortamur, & obſecramus in Domino, ut agnoſcant & ipſi dignitatem ſuam, & divinæ conſortes naturæ horreant in veterem, quo exuti ſunt, hominem degeneri converſatione redire. Caveant præſertim, ne ad excuſandas excuſationes in peccatis, ullis ſe ſive publicis, ſive privatis, ſive forenſibus, ſive domeſticis rebus, atque occupationibus implicatos eſſe contendant; at potius Chriſtum induti crebro meditentur, & animadvertant, quales & ipſi ex dono Dei ſint, qualeſque ſint ex ſe ipſis, & reddant, quæ ſua ſunt ſibi, & quæ Dei Deo.

Verum ut ad vos, filii dilectiſſimi, quos vocavit Dominus in ſortem ſuam, noſtra revertatur oratio, veſtrum unumquemque vehementer monemus, ne vobiſmet ipſis tantummodo, ſed cunctis potius credatis vos genitos vivere, & indoctis datos eſſe doctores, conſolatores pauperibus, oppreſſis levamen, orphanis patres, defenſores viduis, omnibus debitores. Et profecto non qui præeſt ſolum, at de Clero quilibet Laicos alloquens illud Auguſtini (*a*) uſurpare quodammodo poteſt: *Nos enim, quos in iſto loco ..... Dominus conſtituit, habemus duo quædam: unum, quod Chriſtiani ſumus; alterum, quod præpoſiti ſumus. Illud, quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt; quod autem præpoſiti ſumus, propter vos eſt.*

Quod ſi hæc Auguſtini ſententia ad omnes referri poteſt, qui Eccleſiæ ſervitio mancipati ſunt, quanto magis ad Epiſcopos pertinet, quibus Præceptor noſter in Evangelio ſuo ſpecialem, ut Hilarius ait (*b*), *in expectatione, adventuque ſuo ſolicitudinem mandat? Hunc enim*, quemadmodum idem proſequitur, *ſervum fidelem, atque prudentem præpoſitum familiæ ſignificat*, commoda, *atque utilitates commiſſi ſibi Populi curantem*

(*a*) *Serm. 46. de Paſtoribus, alias de Tempore 165.* (*b*) *Comment. in Matth. cap. 26. in fin.*

rantem. Itaque cum Nos Dei providentia in hoc faſtigium, licet immeritos provexerit, non alta quidem ſapiemus dominantes in Cleris, ſed facti forma Gregis ex animo, erimus per omnia ſemper, uti antehac, ita etiam in poſterum cum docilibus faciles, cum humilibus conſentientes, cum obedientibus caritatis pleni; contra vero male moratos, refractarios, officii immemores, dignitatis ſuæ detrahentes virgam directionis utique diſtringemus. Etenim tanta eſt difficillimæ hujus villicationis noſtræ ratio, quam ſummo animarum Paſtori Chriſto Domino ſumus reddituri, ut quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram præcipue doctrinam ſcripta eſſe, & omnes undique in Nos divinæ ultionis terrores, periculaque impendere omnia cenſeamus.

Ignoſcant igitur, qui frigidi, aut tepidi in via Domini gradiuntur, neque Nos nimiæ ſeveritatis temere incuſent. Quod legem meruerint, non de lege querantur. Nos enim morum innocentiam, fugam ſæculi, precum inſtantiam, vitæ contemptum, caritatis ſtudium, ceterarumque virtutum exercitationem quibuſcumque de Grege noſtro commendare, immo & inculcare non dedecet, de communi omnium bono diu, noctuque ſolicitos. Cauſam Dei agimus, qui neminem vult perdere, & a Nobis exquiret ſanguinem illorum, ſi qui culpa noſtra, quod abſit, forte perirent. Hac lege munus Epiſcopale ſuſcepimus, hac Chriſto Duci Sacramentum diximus ſic pugnaturi, ut ejus exemplo, qui juſtus pro injuſtis interiit, pro ſalute fratrum, filiorumque poneremus & ipſi, ubi oportuerit, animam noſtram.

Quod reliquum eſt, ut debito huic ſane quamgraviſſimo, aliiſque omnibus Officii noſtri partibus ſatisfacere poſſimus, vos, qui dignitate cæteros antecellitis, tamquam noſtræ hujus, ut cum Tridentino loquamur, Eccleſiæ Senatus, & quorum venerabilis Nos corona circumſtat; ſed & vos minora

ra Sacerdotum Collegia, quæ ſive in Civitate, ſive in Diœceſi, uti almæ Sionis, ita primariæ hujus Ædis, Matris veſtræ æmula Deum Trinum, & Unicum jugi canore prædicatis; vos item animarum Curatores, Doctoreſque, adjutores Nobis divinitus datos; vos denique omnes, in Chriſto Filii cariſſimi, qui ſimul geritis Eccleſiaſtici Ordinis, & ſanctitatis inſignia, totis viribus oramus, atque obteſtamur, ut alacres, conjunctoque ſtudio apud Beatiſſimam Virginem Dei Matrem, & præcipuum Patronum noſtrum, hujuſque primarii Templi Titularem glorioſiſſimum *Cyriacum*, minoreſque Patronos alios Marcellinum, atque Liberium, quorum omnium ſacra pignora in hac eadem Æde condita veneramur, Divoſque reliquos, qui tutela, præſidioque ſuo Nos, Urbemque hanc noſtram circumdant, & protegunt, imbecillitatem noſtram ſublevetis, quo, eorum ſuffragantibus meritis, precibuſque, Dei omnipotentis adjutorio fulciamur; tum ſi quid impetrant vota noſtra, ope, prudentia, ſedulitate veſtra Nobis auxiliari non deſinatis: Nam ſi Nos impigros, ac navos habeat Chriſti Vinea cultores, tunc profecto fiet, ut & Populorum animi ad Legum obſequium, ad Religionis amorem, ad pietatis ſtudium excitentur, Noſque ad extremum una ſingulos, eademque ſimul corona reficiat in beata perennitate victuros.

INDEX

INDEX TITULORUM

Titulus Proœmialis de Fide. pag. 1

P A R S I.

De Perſonis.

Tit. I. *De vita, & honeſtate Clericorum.* 3
De habitu, & Tonſura Clericali. 4
De cohabitatione, & familiaritate cum fœminis. 6
De Choreis, Comœdiis, luſibus, aliiſque oblectamentis. 7
De Armorum delatione, ac Venationibus. 9
De vetita negotiatione, & laicorum famulatu. 10
De ſervitio Eccleſiæ præſtando. 12
De Sacramentorum frequentia, aliiſque piis operibus. 14
De Clericorum ſtudiis. 16
II. *De Clericis Beneficiatis.* 18
III. *De Dignitatibus, & Canonicis.* 21
De Eccleſiæ ſervitio, & reſidentia. 22
De Chori diſciplina. 31
De Comitiis Capitularibus. 37
De Canonicis Pœnitentiario, & Theologo. 39
IV. *De Parochis.* 41
V. *De Verbi Dei Miniſtris.* 53
De Doctrina Chriſtiana tradenda. ibid.
De ſacris Concionibus. 57
VI. *De Regularibus, Tertiariis, & Eremitis.* 63
Art. I. *De Regularibus.* ibid.
II. *De Tertiariis.* 74
III. *De Eremitis.* 76
VII. *De Græcis, & Armenis.* 77
VIII. *De Medicis, & Chirurgis.* 80
IX. *De Ludimagiſtris.* 83
X. *De Eleemoſynarum Collectoribus.* 86

PARS

PARS II.

De rebus ſacris, aut piis,

Tit. I. *De Sacramentis in genere.* pag. 88
II. *De Baptiſmo.* 92
De materia Baptiſmi. 93
De forma Baptiſmi. 94
De Miniſtro Baptiſmi. 95
De baptizandis Parvulis. 97
De Patrinis. 98
De tempore, & loco adminiſtrandi Baptiſmi. 99
De ſacris Oleis, & aliis requiſitis. 100
De ordine adminiſtrandi Baptiſmi. 103
III. *De Confirmatione.* 107
IV. *De Ven. Euchariſtiæ Sacramento, & de celebratione Miſſarum.* 110
Art. I. *De Ven. Euchariſtiæ Sacramento.* ibid.
De Communione Paſchali. 115
De Communione Infirmorum. 117
De ſacræ Euchariſtiæ expoſitione. 120
II. *De celebratione Miſſarum.* 123
De implendis Miſſarum oneribus. 130
V. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 136
Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ. 139
VI. *De Extrema Unctione.* 144
VII. *De Ordine.* 149
VIII. *De Matrimonio.* 156
IX. *De Jejuniis.* 163
X. *De diebus feſtis.* 170
XI. *De ſacris Reliquiis, & Imaginibus.* 175
XII. *De Proceſſionibus, & quibuſdam aliis ſacris Functionibus.* 180
Art. I. *De Proceſſionibus.* ibid.
II. *De quibuſdam aliis ſacris Functionibus.* 188
XIII. *De Indulgentiis.* 191
XIV. *De Bonis Eccleſiaſticis.* 195

PARS

PARS III.

De Locis ſacris, aut piis.

Tit. I. *De ſacroſanctis Eccleſiis, & de Oratoriis.* pag. 203
Art. I. *De Eccleſiis.* 204
II. *De Oratoriis.* 212
II. *De Sepulturis: ubi etiam de Funeribus.* 214
Art. I. *De Sepulturis.* ibid.
II. *De Funeribus.* 219
III. *De Seminario.* 229
IV. *De Monaſteriis.* 235
De Monaſteriorum Clauſura. 236
De Monaſteriorum diſciplina. 241
De Confeſſariis Monaſteriis deputatis. 247
V. *De Conſervatoriis.* 249
VI. *De Confraternitatibus Laicorum.* 252
VII. *De Hoſpitalibus.* 256
VIII. *De Montibus Pietatis.* 260

PARS IV.

De Delictis, & Pœnis.

Tit. I. *De Infidelium, præcipue Hebræorum, necnon Hæreticorum conſortio.* 262
II. *De pravorum Librorum lectione, ſive editione.* 269
III. *De Blaſphemiis.* 272
IV. *De Superſtitionibus.* 275
V. *De Uſuris, & illicitis Contractibus.* 277
VI. *De Caſibus reſervatis.* 282

CONCLUSIO SYNODI.

De Conſtitutionibus Synodalibus. 286
Officiales Synodi. 289

CON-

Digitized by Google



CONSTITUTIONES SYNODALES

TITULUS PROŒMIALIS

DE FIDE.



QUoniam humanæ ſalutis initium, fundamentum, radixque omnis juſtificationis eſt Fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, atque ad filiorum ejus conſortium pervenire (1), & nihil ſine illa ſanctum, nihil caſtum eſt, nihil vivum (2); Synodales haſce noſtras Conſtitutiones, tamquam caput reliquo corpori præfigendum, jure meritoque præcedet procemialis titulus hic de Fide: difficile eſt enim, ut male vivat, qui bene credit (3).

Fidem igitur corde, & ore, ut monet Apoſtolus (4) profiteri debemus. Corde quidem, firmiter credendo quidquid Catholica docet Eccleſia. Et quoniam non ſatis eſt ad æternam ſalutem, omnia, quæ Eccleſia docet, involute tantum, & confuſim credere, ſed quædam diſtincte noſſe, atque expreſſe credere neceſſe eſt (5), animarum Paſtores

A invi-

(1) *Hebr.11. 6. Conc.Trid. ſeſſ.6.c.8.*
(2) *S. Leo ſerm.4. de Nativ.*
(3) *S. Auguſt. ſerm.49. c.2.*
(4) *Rom.10. 10.*
(5) *Vide Bened. XIV. Conſtit.* Etſi minime 7. *Febr.*1742.

invigilent attente, ne Fideles ſibi commiſſi illa ignorent, eoſque moneant, ut juxta divinum præceptum, actum Fidei, cæterarumque theologicarum virtutum ſæpius ex corde eliciant. Quod ut facilius aſſequantur, formulas in hac Diœceſi vulgatas eos memoria retinere curent, de qua re alibi etiam opportunus redibit ſermo.

Ore autem Fidem orthodoxam, Nobis ipſis præeuntibus, profitebuntur in hac Synodo ex Deceſſorum noſtrorum (1), atque ultimi Romani Concilii (2) decreto, quicumque eccleſiaſticis de Beneficiis proviſi, aut ſacris Ordinibus initiati, nondum hujuſmodi profeſſionem emiſerunt, ea repetentes, quæ a Synodi Secretario, ex formula a Pio IV. præſcripta, recitabuntur.

Extra Synodi tempus, Fidei profeſſionem juxta eamdem formulam, ſub pœnis a jure ſtatutis, emittent in manibus noſtris, aut Vicarii noſtri generalis ii omnes, qui a prælaudatis Romano Concilio, ac Prædeceſſoribus noſtris (3) recenſentur: videlicet

Infra bimeſtre a die adeptæ poſſeſſionis.

1. Dignitates, & Canonicatus obtinentes non tantum in manibus Epiſcopi, aut Vicarii generalis, ſed etiam in Capitulo.
2. Obtinentes beneficia quæcumque cum, vel ſine animarum cura.

Antequam ſuum munus in noſtra Diœceſi primo exercere aggrediantur.

1. Vicarius generalis.
2. Vicarii foranei.
3. Procuratores, & Promotores Fiſci epiſcopalis, Cancellarii, cæterique ejuſdem Curiæ miniſtri.

4. Con-

(1) *Synod. Mancinforte p.1. c.1. n.2.* (2) *Tit.1. cap.1.* (3) *Ubi ſupra.*

4. Concionatores, etiam Regulares.
5. Confeſſarii quicumque, etiam Monialium.
6. Docentes publice, vel privatim Theologiam; Philoſophiam, Jus Canonicum, aut Civile, vel inferiores quaslibet diſciplinas, etiam Grammaticam.
7. Medicinam, & Chirurgiam exercentes.
8. Denique Typographi, & Bibliopolæ.

In Cancellaria noſtra aſſervetur liber, in quo deſcribantur eorum nomina, qui Fidei profeſſionem, ut ſupra, ediderunt, atque idipſum mandamus fieri in Capitulo ſaltem Cathedralis Eccleſiæ, quoad eos, qui illam emiſerunt coram ipſo Capitulo.

P A R S I.

De Perſonis.

T I T U L U S I.

De vita, & honeſtate Clericorum.

Fidem, quæ prima ſubjugat animam Deo, ſequantur opus eſt præcepta vivendi, quibus cuſtoditis, ſpes noſtra firmatur, & nutritur charitas, & lucere incipit, quod antea tantummodo credebatur (1). Quum autem nihil ſit, quod omnem populum ad pietatem, religionem, & chriſtianæ vitæ inſtitutionem efficacius inſtruat, excitet, atque inflammet, quam eorum exemplum, qui divino ſe miniſterio dedicarunt (2), in id paſtoralia noſtra præcepta primum dirigenda eſſe exiſtimavimus, ut morum integritas, ac divini cultus ſtudium eluceat in Clero noſtro, & quæ ab ec-

(1) *S. Auguſt. de Agon. Chriſtian. c. 13. n. 14.*
(2) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. de Reform. cap. 1. Bened. XIV. in Epiſt. Commonitor. ad omnes Epiſc. 3. Dec. 1740.*

cleſiaſticis ſanctionibus de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac viciſſim de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ſæcularibus negociis, ac quibuſcumque criminibus fugiendis ſalubriter conſtituta ſunt, accurate ſerventur, & quatenus opus ſit, opportune inſtaurentur (1). In eum itaque finem hæc, quæ ſequuntur, decreta, a Prædeceſſoribus noſtris plerumque edita, promulganda in hac Synodo, ſeu potius confirmanda cenſuimus.

De Habitu, & Tonſura clericali.

NUllus, qui prima Tonſura initiatus non ſit, clericalem habitum aſſumat ſine noſtra ſcripta licentia (2).

Optamus vehementer, ut Clerici omnes, maxime qui in ſacris Ordinibus ſunt conſtituti, aut eccleſiaſticum poſſident Beneficium, talari continuo utantur veſte. Præcipimus autem, ut Sacerdotes, qui Civitatem incolunt, de mane ſaltem uſque ad meridiem quotidie, qui vero Oppida Diœceſis, & Caſtra, ſingulis feſtis diebus de mane uſque ad veſpertinas omnes functiones in Eccleſiis parochialibus abſolutas, ea induti veſte incedant. Canonici item, aliique choro addicti, quamvis Sacerdotes non ſint, dum pro matutinis horis, ac etiam in feſtis ad minimum ſollemnioribus pro veſpertinis, Eccleſiam petunt, & ab ipſa recedunt, eamdem deferant. Idem a reliquis de Clero, quoties ad Eccleſiam noſtram Cathedralem ſe conferunt, ut pontificalibus Cappellis aſſiſtant, obſervari mandamus (3).

Breves de cætero, nigri tamen coloris, permittimus veſtes, quas viles quidem, aut ſordidas nolumus, ſed multo minus ad luxum compoſitas: tales vero ſint, ut nihil ambitio-

(1) *Conc. Trid. loc. cit.*

(2) *Synod. Maſſæi ad Decr. 7. Mancinforte p. 2. c. 4. n. 2.*

(3) *Vide Synod. de Comit. tit. 26. c. 4. De Aſte Decr. 20. Maſſæi ad Decr. 19. Mancinforte p. 3. c. 1. n. 7. Edict. Noſtr. 22. April. 1771. Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib. 11. c. 8. Synod. Fulgin. 1722., aliaſque recent. hoc tit.*

tionis, vanitatis, aut laicalis uſus præſeferant: uno verbo eccleſiaſticum Virum omnino deceant, quem non ſolum colore, & forma a laicis in veſtitu ſecerni, ſed & in omnibus, quæ ad veſtiariam pertinent rem, nonniſi gravitatem, & moderationem, ac variabilis identidem mundani moris contemptum oſtendere oportet (1).

Pallium item, non tamen manicatum, alterius ſubnigri coloris, ut hyemis, vel pluviæ tempore adhibeant; modo veſtitus interior niger omnino ſit, indulgemus: ut etiam breves ſupradicti coloris tolerabimus veſtes extra Urbem, dum campeſtria petunt, dummodo *collare* numquam deponant; quod diu, noctuque, cum foris prodeunt, ſemper ab eis geri volumus; diſtricte vetantes, ne collari depoſito, ſudariolo utantur. Domi vero eas tantum adhibeant veſtes, quæ clericalem deceant honeſtatem, atque modeſtiam (2).

Tonſuram, & coronam conſpicuam Ordini ſuo congruentem ferant. Non inordinati, aut ſordidi, ſed multo minus calamiſtrati, aut cincinnati, cyprioque pulvere aſperſi, neque longiores ſint crines, ſed ita tonſi, ut aures pateant (3). Adſcititiam comam, ſive quæ integre capiti aptatur, ſive quæ in gyro tantum ad aures pendet, non aſſumant, niſi facta ſibi a nobis illam geſtandi poteſtate, qua obtenta capillitium iſtud fictitium modeſtum ſit, ſubobſcuri coloris, & clericale ſignum jugiter in eo pateat (4).

Annulum non deferant, niſi eis ratione dignitatis competat, & tunc illum in Miſſæ celebratione deponant (5).

De

(1) *Synod. de Aſte Decr. 20. Buſſi p. 2. c. 1. n. 2. Mancinſ. ubi ſupra, Bened. XIV. Inſt. 71. num. 9. Synod. Urbin. 1753., Civit. Caſtellanæ 1756. Viterb. 1762. Tuſculan. 1763. Forolivi. 1764. Civit. Caſtelli 1766. Firman. 1773. Foroſempron. 1777. alicq. recent. hoc tit.*

(2) *Vide Buſſi loc. cit. Bened. XIV. ibid. n. 10. Synodoſque recentior. citatas, aliaſque.*

(3) *Synod. de Comit. tit. 26. cap. 5. de Aſte decr. 20. Buſſi loc. cit. n. 3. Mancinſ. loc. cit. Edict. noſtr. cit. Vide Bened. XIV. de Synod. lib. 11. c. 9. Synodoſque citatas, aliaſque.*

(4) *Conc. Rom. 1725. tit. 16. c. 3. Buſſi loco cit. Bened. XIV. loc. cit. & Inſt. 96.*

(5) *Conc. Rom. loc. cit. S. Rit. Congr. pluries apud Bened. XIV. Inſtit. 34. n. 15.*

Digitized by Google

De cohabitatione, & familiaritate cum Fœminis.

NUlli Eccleſiaſtico liceat cum fœminis, quæ non ſint ei in primo, vel ſecundo conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu conjunctæ, ſine noſtra licentia domum communem habere, etiam ſub diverſis manſionibus, ſeu cubiculis (1). Si quis autem aliquam pro famulatu aſſumere cogatur, quadragenaria ſaltem ea ſit, & tam rectæ, integræque famæ, ut omnem effugiat ſuſpicionem (2). Patribus vero familias, qui vel juvenes, vel ſuſpectas ancillas domi cum filiis retinent, denuntiamus, nullo per nos favore filios eorum fore umquam proſequendos (3).

Nemo præterea mulieres, ac puellas legere, ſcribere, canere, muſica inſtrumenta pulſare, ſeu quidquid aliud doceat, non impetrata a nobis facultate (4).

Mulierum ſuſpectarum domum ne adeant, & cum eiſdem ne familiariter verſentur, immo ne ad mulieres etiam honeſtas ac pias nimis frequens, & familiaris ſit eorum acceſſus, licet ſub prætextu negocii alicujus, ſive modernarum, quas vocant, converſationum (5).

Item diſtricte vetamus ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis, ne quis eorum audeat fœminis, quamvis conſanguineis, per vias, & plateas, ſive diu, ſive noctu, brachium, aut manus ſacris myſteriis tractandis deputatas porrigere, neque alia præſtare obſequia, quæ eccleſiaſticum non deceant characterem. Immo nec comites illis ſeſe in viis adjungant, præſertim ſi florenti adhuc eæ fuerint, & integra ætate (6).

De

(1) *De Aſte*, & *Maſſai decr.* 20. *Buſſi loc. cit. num.*4. *Mancinſ. n.*6. *Bened. XIV. de Synod. lib.*11. *c.*4. *n.*5. & *ſeqq. ac Inſtit.*82. & 83.

(2) *Mancinſ. loc. cit. Bened. XIV. loc. cit.*

(3) *Buſſi loc. cit. n.*4. *Mancinſ. loc. cit.*

(4) *Buſſi loc. cit. num.* 6. *Acta Eccleſ. Mediol. pag.*70. *col.*1. *decr.*32. *edit. Mediol.*1599. (qua ſemper utimur).

(5) *De Comit. loc. cit. c.*3. & 7. *de Aſte dec.*20. *Buſſi loc. cit. n.*5. *Mancinſ. n.*6.

(6) *Edict. noſtr. pro dieb. Bacchanal. Acta Mediol. pag* 20. *col.*2. §. Neve præcurſor. *Synod. Tuſcul. Foroliv. Civit. Caſtell. Foroſempr. citatæ aliæque loc. cit.*

De Choreis, Comœdiis, Luſibus, aliiſque oblectamentis.

CHoreis interdicimus Clericis intereſſe, ſive publicis, ſive privatis, quocumque in loco, vel tempore habeantur, ſub pœna ſcutatorum viginti, & in ſubſidium etiam ſuſpenſionis. Clericus autem, qui choreas duxerit, aut mentito habitu, ſeu perſonatus inceſſerit, ſi in ſacris Ordinibus ſit conſtitutus, ſuſpenſionis pœnam nobis reſervatam ipſo facto ſubeat; ſi vero in minoribus tantum, carcere, & pecuniaria pœna ad noſtrum arbitrium plectetur (1).

Comœdiis, aliiſque ſcenicis ſpectaculis, quæ præſertim in theatris publicis ab hiſtrionibus, aliiſve mercenariis repræſentantur, nemo ex Clero interſit, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ab iis vel maxime, qui foris ſunt, quique hanc noſtram Urbem paſſim incolunt, atque in eam non raro confluunt. Qui ſecus egerit, ſecedere in piam domum a nobis cogetur, ut ſpiritualibus vacet exercitiis. Qui vero ſpectacula ejuſmodi promovebit, inſtituet, aut diriget, ſive in iis perſonam quamlibet ſuſtinebit, aut inſtrumenta pulſabit, aut alias quaſcumque partes aget, graviori adhuc pœna etiam ſpirituali arbitrio noſtro mulctabitur (2). Quod ſi aliqua honeſta in æque honeſta domo agatur comœdia, ad quam fœminis facilis non pateat acceſſus, Clericos ei intereſſe non prohibemus.

Alia etiam profana viro Eccleſiaſtico indigna devitent ſpectacula, & ſive noctu, ſive interdiu, ſiſtentes in plateis, aut triviis, ſeu qualibet Civitatem circumeuntes, aut Oppida, cytharas, vel alia hujuſmodi inſtrumenta pulſare, aut profana modulari cantica, aut aliis ea canentibus, ſeu muſica

(1) *De Comit. tit.26. c. 3. & 5. Buſſi loc. cit. n.9. Mancinf. p.2. c.3. n.6. & p.3. c.1. n.2. & 3. Edict. noſt. pro dieb. Bacchanal. Vide Bened. XIV. de Synod. lib.11. c.10. n.11. 12. & Inſtit. 37. & 76., Synodiſque recent. paſſim.*

(2) *Syn. IV. Galli c. 25., de Comit. tit. 26. c.5., Buſſi loc. cit. n. 10. Mancinforte p.3. c.1. n.2. & 3. Syn. Fulgin., Civit. Caſtellan., Viterb., Foroliv., Civit. Caſtells ſupracit., aliaque hoc tit. Vide Bened. XIV. de Syn. loc. cit.*

ſica inſtrumenta pulſantibus ſe comites adjungere ne audeant ſub pœna carceris, aut aliis arbitrio noſtro infligendis (1).

A viis, & locis, ad quæ perſonatorum hominum ſolet multitudo confluere, Clericos ſtudioſe declinare enixe cupimus. Si quem autem in illis ſubſiſtere, ac immorari non pudebit, is eadem pœna plectetur in publicæ comœdiæ ſpectatores mox conſtituta (2).

Talis, taxillis, aut quocumque alio vero alearum ludo, in quo ſors potiſſimum dominatur, & præſertim quem italice dicimus (*giuoco di reſto*), ſive publice, ſive privatim, ſive per ſe, ſive per alios, ludere, aut alios ludentes ſpectare, aut pro iis ſpondere, aut iis ad ludendum domum ſuam commodare non præſumant ſub pœnis cum ſpiritualibus, tum temporalibus per nos arbitrandis. Ludi vero, qui pila fiunt, vel ligneis globulis, aliive Clericis permiſſi, ut in remotis locis honeſtæ recreationis, vel valetudinis gratia, non depoſita veſte clericali, ab ipſis exerceantur, indulgemus. Si quis autem, aut publice in Aromatariorum tabernis, tonſtrinis, aliiſque officinis, aut in domibus publico ludo deſtinatis, ſeu aliis locis publicis, aut nimis frequenter, aut ad multas horas, ludis quamvis licitis vacaverit, opportuna a nobis coercitione punietur (3).

Sæcularia convivia, & maxime nuptialia omni conatu devitent. Ad cauponas, & tabernas, niſi itineris neceſſitate compulſi, numquam divertant, neque ante illas, vel haud procul ab illis conſiſtentes, ſive noctu, ſive interdiu, a cauponibus, ac tabernariis graviori cum inſpectantium laicorum ſcandalo vinum ſibi jubeant publice propinari (4).

A lai-

(1) *De Comit. tit. 26. c. 5. Buſſi, aliæque ſupra c.*

(2) *De Comit. loc. cit. c. 7. Synod. Forolivien., aliæque ut ſupra.*

(3) *De Comit. loc. cit. c. 6. Buſſi loc. cit. n. 12. Synod. Fulgin., Tuſcul., aliæque ut ſupra paſſim hoc tit. Vide Bened. XIV. de Synod. lib. 11. c. 10. n. 1. & ſeq.*

(4) *De Comit. tit. 26. c. 5. 7. Mancinſ. hoc tit. n. 2. Synod. Fulgin. Tuſculan., aliæque cit. ut ſupra.*

A laicorum hominum, eorum præcipue, qui terrena ſapiunt, & terrena loquuntur, conſuetudine, familiaritateque abſtineant. Per fora otioſi ne vagentur, immo ſecluſa neceſſitate ſedulo fugiant loca publica, in quæ laici ad ſorbillationes, vel ad otioſos conſeſſus, vaniloquia, converſationes, ſeu verius detractiones convenire ſolent. Decretum item prædeceſſoris noſtri cl. me. cardinalis Maſſæi, acceſſum vetans ad quemdam ſuburbanum locum vulgo nuncupatum (*le Cavorchie*), iterum probamus, & confirmamus (1).

De armorum delatione, ac venationibus.

Clerici ſine noſtra licentia ſecum ne deferant cujuſcumque generis arma, etiam prætextu defenſionis, aut inculpatæ tutelæ, ſub pœna aureorum trium pro qualibet vice: Excipimuſque ſolum cum S. Carolo cultellos ad domeſticum vitæ uſum accommodatos (2).

A clamoroſis venationibus, & aucupiis abſtineant ſemper; & in venatorio boum ſpectaculo ſeſe occupare, canes immittere, aut retinere, aut poſt bovem curſitare, plebive ſe immiſcere nullo modo audeant (3). Venationes autem non clamoroſas, ut aliquando exercere valeant (exceptis tamen ſemper jejuniorum, & feſtis diebus) indulgemus, impetrata prius noſtra ſcripta licentia, quæ protinus auferetur iis, qui in hujuſmodi toleratis venationibus aut clericalia inſignia umquam dimittent, aut venaticis armis muniti in locis frequentioribus verſabuntur, aut demum licentia noſtra ad intemperantiam uſque abutentur (4).

(1) *De Comit. loc.cit. c.7. Buſſi loc. cit. n. 11. Maſſæi ad decr.20. Mancinſ. hoc tit. n.3. Synod. Fulgin. aliæque cit.*

(2) *De Comit. loc.cit. Mancinſ. hoc tit. n.4. Concil. Rom. in append. ſub n.18. §.12. acta Mediol. pag.19. tit. de armis &c.*

(3) *Mancinſ. loc. cit. Synod. Fulgin. civit. Caſtelli cit. aliæque hoc tit.*

(4) *De Comit. loc.cit. cap.7. Benedictus XIV. de Synod. lib.11. c.10. n. 6. ſeqq. Synod. Fulgin. Tuſculan. aliaque ſupracit.*

De vetita negotiatione, & laicorum famulatu.

Meminerint clerici, nihil ferme antiquius per ſacros canones eis vetitum eſſe, quam ſæculares curas, & profana, vel quæſtuoſa negotia ſuſcipere. Antiquiores contra clericos ſæcularibus negotiis implicatos Conciliorum, & Pontificum ſanctiones nuper innovarunt fel. rec. Benedictus XIV. (1), & Clemens XIII. in nos munificentiſſimus (2); quorum primus inſuper declaravit, iiſdem obſtrictos etiam fore clericos ſub alieno laici nomine negotiationem exercentes, mandavitque, ut negotia a laicis inchoata, & ad clericos jure hæreditatis, aut alio titulo delata, ſtatim dimittantur, nec niſi neceſſitate urgente, de licentia tamen ſacræ Concilii Congregationis, ad tempus, & per interpoſitam laici perſonam continuentur. Alter vero hæc potiſſimum ſancivit I. Prædictis omnibus legibus, ac pœnis ſubjectos eſſe etiam Regulares. II. Cambium activum eſſe actum veræ, & propriæ negotiationis, ideoque eccleſiaſticis omnibus vetitum. III. Nulli eccleſiaſtico licere conjunctorum bona negotiationibus implicita, etiam ad eorum ſuſtentationem ex charitatis officio, & directionis titulo procurare, non impetrata prius intra Italiam ab Apoſtolica Sede diſpenſatione, quæ quidem pro revocata ipſo jure habeatur, quoties conjunctorum indigentia ceſſaverit, aut alia ſe offerat ratio eiſdem opportune proſpiciendi. IV. Quæ peculiaribus quibuſdam clericis hoc in genere aliquando permiſſa, & juſtis concurrentibus cauſis indulta dignoſcuntur (exempli gratia ut eccleſiarum fundos, certa annua penſione conventa, colendos conducant), eadem a reliquis eccleſiaſticis abſque juſta cauſa, & ſine ſpeciali indulto non eſſe uſurpanda. V. In ipſa etiam bonorum ſuorum adminiſtratione, eorumque cultura,

(1) *Conſtit.* Apoſtolicæ 27. *Febr.* 1741. (2) *Conſtit.* Cum primum 17. *Sept.* 1759.

tura, in diſtractione fructuum, animalium, & cæterorum, quæ in propriis, Eccleſiæve fundis enaſcuntur, ſeu aluntur, necnon in comparandis rebus, quæ vel ad proprios uſus, vel ad fundos prædictos inſtruendos ſunt neceſſariæ, illicitum illis eſſe adeo indecoris actibus ſe ipſos exercere, adeo ſe totos curis, ac ſollicitudinibus hujus ſæculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes oſtendere, ut ſæculares ipſos negotiatores terrenæ aviditatis anxietate ſuperare videantur; puta omnibus nundinis, atque mercatibus, laicali propemodum apparatu ſe ſiſtere, nec quicquam minus, quam clericalis moderationis, atque decoris ſpecimen præſeferre.

Hæc omnia igitur a clericis noſtris exacte ſervari præcipimus ſub pœnis per ſacros Canones, & Conſtitutiones prædictas ſtatutis. Et quoniam aliqui interdum occurrunt agendi contractus, de quibus dubium oriri poteſt, an eccleſiaſticis viris permiſſi ſint, an vero interdicti, monitis ejuſdem Summi Pontificis (1) obſequentes; non omittemus, ubi opus fuerit, ſacram concilii Congregationem pro opportuno reſponſo adire. Interim vero, quæ alias ab eadem ſacra Congregatione hac ſuper re prodierunt reſolutiones (2) accurate ſerventur.

Ad aliud corruptelæ genus extirpandum Epiſcopos omnes excitat prælaudatus Pontifex, eorum nempe eccleſiaſticorum, qui induſtriam, operamque ſuam, quam totam divino cultui, & proximorum utilitatibus impendere deberent, laicorum obſequiis, abjectiſque ſervitiis addicere, aut eorum negotiis adminiſtrandis locare non recuſant. Nos igitur prædeceſſorum etiam noſtrorum veſtigiis inhærentes, diſtricte eccleſiaſticis omnibus interdicimus, ne ullum in laicorum, ac præcipue fæminarum domibus, quantumvis hone-

 ſtius

(1) *Clem.XIII. Conſtit.cit. n.18. ſeqq. Vide Bened. XIV. de Synod. lib. 10. c.6. n.3.*

(2) *Habent. apud Ferrar. V.* Clericus *art.3.*

Digitized by Google

ſtius ſervitii genus ſuſcipiant, non obtenta prius a nobis in ſcriptis licentia, quam etiam ſtatim revocabimus, ſi eos vilibus, ac indecentibus obſequiis occupari nobis compertum fuerit (1).

Cum iiſdem præterea prædeceſſoribus vetamus, ne in propriis etiam domibus ſordidas quaſcumque artes, viliaque exerceant miniſteria; ne munera obeant medici, chirurgi, advocati, procuratoris, judicisve in laico tribunali, exceptis caſibus a jure permiſſis; ne in profanis rebus tabellionem agant; ne teſtimonium coram judice laico dicant; ne tutelam, aut curam, aut patrini munus in Baptiſmi, & Confirmationis ſacramento, nobis inconſultis, ſuſcipiant; ne denique fidejubeant pro laicis ſine ſcripto noſtro permiſſu (2).

De ſervitio Eccleſiæ præſtando.

CLerici extra Seminarium noſtrum degentes propriæ parochialis Eccleſiæ ſervitio ſint mancipati, niſi alteri, aut titulo beneficii, aut de noſtro mandato inſervire debeant. Et ne quis arbitretur, hujuſmodi mancipationem vel omnino otioſam eſſe, vel ſatis fore, ſi aliquando dumtaxat in ſuſcepto ordine deſtinatæ eccleſiæ inſervierit, ex ſacro Concilio Tridentino declaramus, teneri unumquemque omnibus ſaltem Dominicis, & ſollemnibus diebus cum clericali habitu, & tonſura in ſibi aſſignata eccleſia propria munia accurate, & diligenter obire. Qui ſecus egerit, ad altiores gradus numquam a nobis promovebitur, atque in eum præterea pœnis ab eadem ſancta Synodo, necnon a Concilio Romano (3) ſtatutis animadvertemus.

Pro-

(1) *De Comit. tit. 26. c. 8. Buſſi p. 3. c. 1. n. 7. Mancinſ. p. 3. c. 1. n. 6. Encycl. S. C. Epiſc. 16. Mart. 1697. quæ habetur in Append. Syn. Mancinſ. pag. 48.*

(2) *Syn. de Comit. aliaque cit. num. preced. Acta Mediol. pag. 20. tit. de Negot. Secul. &c.*

(3) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Ref. c. 6., & 16.* *Conc. Rom. tit. 6. c. 2. Buſſi p. 2. c. 8. num. 4. Bened. XIV. de Syn. lib. 11. c. 2. n. 13.*

Digitized by Google

Propriæ vero, vel alteri Parochiæ, cui forte adſcripti ut ſupra a nobis fuerint, præ cæteris obſequiis illud clerici præſtare omnino debeant, coadjuvandi ſcilicet Parochum in edocendis pueris Fidei rudimenta (1). Et ubi attenta eccleſiarum qualitate, nullum aliud eis ſuppetat obeundum munus, privatæ ſaltem alicui Miſſæ miniſtrare non omittant (2).

Qui in Civitate ſunt, teneantur præterea adeſſe Cappellis, quæ cum adſiſtentia Epiſcopi celebrantur, ſub pœna juliorum trium, qui Magiſtro cæremoniarum tradentur (3). Sacerdotes vero eadem lege, ac pœna teneri volumus ſaltem, cum a nobis ſive mane, ſive veſperi pontificalia habentur diebus ſollemnibus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, ac S. Cyriaci; Parochis exceptis, aliiſque, qui ex officio, aut beneficio aliis eccleſiis tunc temporis inſervire coguntur (4).

Qui in diœceſis locis ſunt ſacerdotes, aut clerici, licet forte eccleſiæ parochialis ſervitio non adſcripti, in functionibus eccleſiaſticis tam matutinis, quam veſpertinis, talari habitu, ac ſuperpelliceo, & birreto induti Parochis præſto eſſe non negligant; indignum quippe eſt, & pravum præbens laicis exemplum, ſi tunc temporis ab eccleſia abſint, vel adſint laicis immixti; cujus quidem rei habebitur ratio, quum ad excipiendas confeſſiones, vel ad ordines, beneficia, aliaque munera admitti poſtulabunt (5).

Exteri demum ſacerdotes, & clerici ad hanc diœceſim noſtram, in ea commoraturi, adventantes, intra triduum teſtimoniales, ſeu commendatitias ordinarii ſui litteras in cancellaria noſtra gratis regiſtrandas, teneantur exhibere:

(1) *De Comit. Tit.11. c.4. Aſte Decr. 9. Buſſi n.1. c.2. n. 3. Lambertin. in Edict. quod habetur in App.Syn. Maffei pag.21. Mancinf. p. 2. c. 4. p.4. Vide Bened.XIV. Conſt.*Etſi minime 7. *Feb.* 1742. §.6.

(2) *Buſſi p.2. c.8. n.4.*

(3) *Mancinf. p.2. c. c.4. n.2.*

(4) *Edict. noſtr. 22. April.1771.*

(5) *De Aſte decr.20. Mancinf. p.3. c.1. n.7.*

bere: tuncque certæ alicujus eccleſiæ ſervitio per nos adſcribentur.

De Sacramentorum frequentia, aliiſque piis operibus.

CLerici ſive in majoribus, ſive in minoribus ordinibus conſtituti curent quotidie Miſſæ ſacrificio religioſe intereſſe (1). Singulis ſaltem quibuſque quindenis diebus, & ſollemnioribus anni feſtivitatibus ad ſacram ſynaxim devote accedant (2). Sacerdotes autem, cujuſcumque ſint gradus, dignitatis, & conditionis, Dominicis, & reliquis feſtis diebus, niſi jure impediantur, Miſſam celebrare non omittant (3). Divinæ præterea Euchariſtiæ eccleſiaſtici omnes ſint cultores eximii, eamdemque ſemel ſaltem in die viſitare, & quoties ad ægrotos deferri ſcient, quoad fieri liceat, aſſociare non prætermittant (4). Minores vero clerici parochiæ illius, in qua ad infirmos defertur, dummodo legitimo non ſint impedimento detenti, comitari eamdem teneantur, atque parocho aſſiſtere in iis, quæ fieri a clericis poſſunt juxta rubricas (5).

Qui ſacris ordinibus, aut eccleſiaſtico beneficio ſunt inſigniti, horas canonicas juxta formam ab Eccleſia præſcriptam quotidie recitent; & ne ulla detur errandi occaſio, cum prædeceſſoribus noſtris (6) mandamus, ut ſinguli divini Officii ordinem quotannis edendum ſibi comparent ſub pœnis arbitrio noſtro. Hujuſmodi autem penſum ſtatutis, quoad fieri poteſt, temporibus perſolvant, compoſito corporis habitu, ac devoto cordis affectu. Non aliud ab eo munere alienum interim agant, unde ſæpius mentis evagationes oriuntur, ſed in locum aliquem orationi, animique re-

(1) *Synod. Tuſculan. 1763. p. 2. c. 6. ar. 2. n. 1. aliaque.*

(2) *Conc. Rom. tit. 16. c. 5. Buſſi p. 2. c. 4. n. 15. Mancinſ. p. 2. c. 2. n. 2.*

(3) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Ref. c. 14. Acta Mediol. pag. 16. tit. de freq. div. Sacrif. ollat. de Comit. tit. 26. c. 1.*

(4) *Syn. Fulgin. 1722. c. 13. n. 3. aliaque.*

(5) *Buſſi loc. cit. n. 8. Mancinſ. loc. cit. n. 4.*

(6) *In litter. præfix. Ord. offic.*

recollectioni aptiorem ſecedant. Verba quidem diſtincte, aperteque proferant, neque præcipiti lingua involvant, & glomerent, aut intercipiant, ac veluti devorent, antequam ex ore profundant. Verum id etiam, quod legent, curent intelligere, & quod ore proferunt, intimo animi ſui ſenſu proſequantur. Eadem omnino præſtare debent in recitatione Officii B. M. Virginis, qui ad id tenentur propter penſionem, quam ex beneficio eccleſiaſtico ut clerici percipiunt (1).

Clerum noſtrum enixe in Domino hortamur, & obſecramus, ut quotidie ſinguli per ſemihoræ ſaltem ſpatium orationi mentali vacent: aliamque ſemihoram circiter impendant in lectione pii alicujus libri (2). Quotannis præterea, aut ſæpius ſaltem in vita (præſertim animarum rectores, confeſſarii, canonici, aliique chori ſervitio adſtricti) ſpiritualia, ut vocant, exercitia in domo ad hæc deputata, aut in alia religioſa peragant (3).

Singularem quoque cultum, & devotionem erga Deiparam Virginem omnibus impenſe commendamus, ut non ſolum in ſe ipſis illam fovere, ſed ſuo exemplo, ac zelo in animos etiam cæterorum inſinuare ſtudeant (4). Sciant vero, qui clericali tonſura initiati fuerint, maxime decere, ſi Officium parvum ejuſdem beatæ Virginis quotidie recitare aſſueſcant, quoadusque divini Officii recitandi onus ex hac pia conſuetudine levius effectum, eos premere incipiat (5).

Mane, meridie, ac veſpere, cum æris campani pulſu ſignum datur Salutationis angelicæ, & prima noctis hora, cum campani pariter æris ſonitu excitantur fideles, ut pro defunctis pias ad Deum fundant preces, & feria ſexta cujuslibet hebdo-

(1) *S. Pius V. Conſtit.* Ex proximo Lateranenſi 1571. *Vide Syn. Fulgin. cit. aliaſque.*
(2) *De Aſte Decr. 20. Buſſi p. 3. c. 1. n. 18. Mancinſ. hoc tit. n. 8.*
(3) *Encycl. Clem. XI. 1. Febr. 1710. ut in Append. Synod. Mancinſ. pag. 49. Syn. ejuſd. p. 2. c. 4. n. 6.*
(4) *Syn. Fulgin. cit. c. n. 3., aliæque.*
(5) *Eadem c. 11. n. 4.*

hebdomadæ hora vigeſima prima, ſicut & quotidie hora vigeſima ſecunda, cum eodem ſigno monentur fideles ad Dominicam recolendam Paſſionem, & ad orandum pro iis, qui in extremo vitæ agone conſtituti cum morte luctantur: Eccleſiaſtici viri ſive in privatis domibus, ſive in publicis verſentur viis, laicos exemplo præeant, flexiſque ad terram genibus ea, qua par eſt, reverentia, ac pietate præſcriptas recitent preces (1).

Si quod a ſanctis, ac litterariis occupationibus ſuperſit tempus, illud ſeorſim a turba cum viris bonæ famæ, ac præſertim eccleſiaſticis, in aliqua honeſta converſatione, non in otioſis confabulationibus impendant, ne otio ad corporis vires reficiendas dato, in animæ ſuæ perniciem, & in aliorum offenſionem abutantur (2).

De Clericorum ſtudiis.

CAveant imprimis clerici ab iis ſtudiis, quæ vana, & inutilia, & eccleſiaſtico prorſus indigna a cordatis hominibus exiſtimantur. Libri propterea otioſa, ſcurrilia, aut obſcœna continentes, vel bonos mores quomodolibet corrumpentes, aliave ratione vetiti, perpetuo faceſſant; eiſque ſubſtituant ſacros utriuſque Teſtamenti libros, Concilium Tridentinum, ejuſque Cathechiſmum, Rituale Romanum, has noſtras ſynodales conſtitutiones, vitas ſanctorum, librum aliquem piarum meditationum, ac probatos quoſdam Theologiæ præſertim moralis libros, alioſque ad pietatem fovendam, & ad ſtudia clericorum propria accommodatos. Hujuſmodi autem librorum, utrum ſi non copiam, neceſſarium ſane delectum habeant, in viſitatione perſcrutari non obliviſcemur (3).

In

(1) *Syn. Tuſcul. cit. p.2. c.6. art.2. n.3.*
(2) *Buſſi p.3. c.1. n.11. Syn. Tuſcul. loc. cit.*
(3) *Buſſi loc. cit. n. 17. Maſſei ad Decr. 7. Syn. Tuſcul. loc. cit. art.3. aliaque.*

In optimis itaque ſtudiis, ſacriſque litteris ſe diligenter exerceant, ſacros ritus, rubricas, & cæremonias calleant, cantumque Gregorianum ediſcant, ut divina munia in eccleſiis cum pietate obeant, & majeſtate. Moralis præſertim Theologiæ, ac Juris Canonici ſtudio ſtrenue incumbant; cujus tamen nulla a nobis ratio habebitur, ſi inordinate, ac ſine debita methodo fiat (1).

Quoniam vero Grammaticæ rudis, aut parum inſtructus, ac Logicæ leges non bene edoctus, nullatenus, aut ſane exigue in ſuperioribus facultatibus proficere valet (2); ne ad has præpropere clerici noſtri gradum faciant, Grammaticæ, ac humanioribus litteris eos, quantum opus fuerit, inſiſtere non pigeat; nulluſque ex ipſis ad ſtudia Philoſophiæ, vel alterius ſuperioris facultatis ſe conferat, niſi antea vel coram nobis, vel ab Examinatoribus a nobis deſignandis examinatus fuerit, & repertus idoneus (3).

Conveniant præterea Sacerdotes omnes, & Clerici (4), qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, ad rerum moralium collationem, quæ coram nobis habetur in civitate, & ſub præſidentia Vicariorum foraneorum per diœceſim. Parochus quilibet, aut confeſſarius, qui hujuſmodi collationi deerit, trium juliorum pœnam qualibet vice ſubibit. Cæteri autem, qui abeſſe conſueverint, ad confeſſiones, animarum curas, ſeu alia eccleſiaſtica miniſteria nequaquam aſpirent (5).

Atque hæc ſunt, quæ pro cleri noſtri diſciplina præcipue conſtituenda, ſeu commemoranda duximus: quæ ut in viridi jugiter obſervantia permaneant, atque in illo morum integritas, & ſacrarum litterarum ſtudium floreat ſemper, & augeſcat, eccleſiaſticorum virorum congregationem a

C præ-

(1) *Conc. Rom. tit.26. c.3. Synod. Buſſi, aliæque, ut in numero præced.*
(2) *Bened.XIV. Inſtit.42. Buſſi loc.cit.*
(3) *Maſſei ad Decr.7.*
(4) *Conc. Rom. tit.15. c.9. S.C.C. in Larinen. 29. Aug. 1732. ad I. & II. & in Salernitana, Editor. 27. Sept. 1732. ad I.*
(5) *De Aſte Decr. 22. Edict. Card. Maſſei in Append. ad Syn. ejuſd. pag.147. Mancinſ. p. 3. c.3. n.8.*

Digitized by Google

prædeceſſore noſtro Nicolao Mancinforte (1) inſtitutam innovabimus, atque inoperoſam eſſe non patiemur. Omnes interim in Domino monemus, & obſecramus, ut vitam, moreſque ſuos ita componant, quemadmodum eos decet, qui in ſortem Domini ſunt vocati. Salutaria idcirco ad clerum monita a prædeceſſoribus noſtris (2) promulgata, ac præſertim epiſtolam paſtoralem piiſſimi Cardinalis de Aſte, quam ad calcem Synodi in appendice (3) iterum imprimi curavimus, perſæpe legant, eiſque pro viribus obtemperare nitantur.

TITULUS II.

De Clericis beneficiatis.

CLericos beneficia ſequuntur. Pro beneficiis quippe curandis clerici provehuntur ad ordines: pro clericis ſuſtentandis beneficia ſunt inſtituta. Sanctum enim, & ſollemne eſt, ut qui altari deſervit, de altaris menſa participet. Sed quia in beneficiorum tum inſtitutione, tum collatione, aut adminiſtratione, aliquod vitii aliquando poteſt obrepere, nonnulla ad rem ipſam, prout ſequuntur, innuenda exiſtimavimus.

Eccleſiaſtica beneficia ſine noſtra auctoritate erigi non debent. In eorum autem erectione id præcipue cavebimus, ut convenienti dote ad onera eis impoſita congrue ferenda inſtruantur.

Nemo ad beneficia conſequenda ſibi viam paret laicorum, ac præpotentium hominum precibus, & commendationibus, ſed doctrinæ, ac morum probitate. Qui beneficium vacans multis, & ambitioſis precibus per ſe, vel per alios

(1) *Synod. Mancinſ. p.3. c.1. n.9.* (2) *De Aſte in Append. p.135. Mancinſ in Append. p.85.*
(3) *Sub num.1.*

alios petierit, ei neque illud, neque aliud quodcumque per biennium conferemus: quam pœnam ſubibunt ii quoque, qui beneficium nondum vacans poſtularint (1).

Illi, quibus ad beneficia nominandi jus competit, diligentiſſime caveant, ne in ſuæ, aliorumque animarum perniciem eo abutantur, precibus, vel humano affectui, aut ambientium ſuggeſtionibus indulgendo: ſed Dei gloriam unice præ oculis habentes, illum nominent, quem digniorem, & eccleſiæ utiliorem in Domino judicaverint (2), potiſſimum ſi de parochiali beneficio agatur (3).

Proviſi de aliquo beneficio, non ſolum Fidei profeſſionem, ut ſupra dictum eſt (4), ſed & juramentum juxta formas appendici inſerendas in manibus noſtris, aut Vicarii noſtri generalis emittent (5).

Quicumque ſui beneficii proviſionem a Curia Romana obtinuerit, & ab aliis, quam a nobis, vel Vicario noſtro generali in poſſeſſionem fuerit immiſſus, teneatur infra menſem a die adeptæ hujuſmodi poſſeſſionis Litteras apoſtolicas in cancellaria noſtra regiſtrandas exhibere ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis (6).

Sub iiſdem pœnis cuilibet beneficiato mandamus, ut infra bimeſtre a die initæ poſſeſſionis inventarium omnium bonorum tam mobilium, quam immobilium ſui beneficii, confectum juxta formam in appendice Romani concilii impreſſam, in eadem cancellaria noſtra præbeat aſſervandum (7).

Onus reſidentiæ, ſi forte beneficio ſit adjectum, & alia quæcumque præcipue Miſſarum, quæ in fundatione, aut ere-

(1) *Acta Eccleſiæ Mediol. pag.14.col.2. §.Monemus.*

(2) *Vide Bened.XIV. Inſtit.7.n.8.*

(3) *Vide Tridentinum ſeſſ.24.c.1.de Ref. & Theſ.47. proſcript. ab Innoc.XI. 2.Martii 1679. & Bened.XIV. loc.cit.*

(4) *In Tit. Proœmial. de Fide.*

(5) *In Append. ſub num.II.*

(6) *Synod. Fulgin. 1722.c.12.n.1. & ibi allegat.*

(7) *Conc. Rom. in Append. ſub num.10. de Commiſ. tit.29. c.2.*

ctione ſunt impoſita, ſollicite unuſquiſque adimpleat. Ut autem de eorum implemento nobis conſtet, maxime cum diœceſim ſacra viſitatione luſtramus, quilibet beneficiarius per ſe, aut ſi ultra dietam abſit, aliove legitimo impedimento detentus ſit, per ſuum procuratorem, viſitationi eccleſiæ, ſeu altaris, ubi beneficium eſt erectum, teneatur intereſſe, ut de ejus adminiſtratione rationem reddere poſſit, noſque viſitantes, ubi opus ſit, opportune inſtruere (1).

Quæ de vita, & honeſtate clericorum a nobis in ſuperiori titulo ſancita ſunt, a beneficiatis omnibus indiſtincte ſervanda erunt, etiamſi animus eis non ſit ad ſuperiores ordines aſcendendi. Tonſuram præſertim, ac veſtem clericalem quilibet eorum deferat ſub pœnis a Tridentina ſynodo, Sixto V. & Benedicto XIII. conſtitutis (2).

Præcipuum beneficiariorum onus eſt horarum canonicarum debita perſolutio; quas ſi recitare omiſerint, beneficiorum fructus juxta Leonis X. in concilio Lateranenſi, & S. Pii V. conſtitutiones (3) ſuos non faciunt, ſed eos etiam ante judicis ſententiam reſtituere omnino tenentur. Ex eadem Piana conſtitutione patet quoque, eos, qui penſionem ex eccleſiaſtico beneficio ut clerici percipiunt, fructuum tamquam injuſte perceptorum reſtitutioni pro rata omiſſionis officii, & temporis eſſe obnoxios, ſi officium parvum beatæ Virginis, aut aliquam ejus partem recitare neglexerint.

Alterum, quod ſingulos de beneficiis proviſos premit onus, illud eſt, ut Templa, aliaque ſui beneficii ædificia ſarta tecta ſervare, nec non prædiorum culturæ, cæterorumque eccleſiæ bonorum indemnitati proſpicere ſedulo ſtudeant. Quare quæ infra in hanc rem ſub titulo *De bonis eccleſiaſticis* con-

(1) *Synod. Fulgin. loc. cit. n. 9.*

(2) *Trident. ſeſſ. 14. de Ref. c. 6. Sixtus V. Conſtit.* Cum ſacroſanctam *Bened. XIII. Conſt.* Catholicæ Eccleſiæ regimini.

(3) *Leo X. Conſtit. 7.* Supernæ §. 38. *Pius V. Conſtit.* Ex proximo Lateranenſi 1571. *Vide Theſ. 20. proſcript. ab Alexandro VII. 24. Sept.* 1665.

conſtituta a nobis ſunt in hac Synodo, a beneficiariis omnibus erunt accuratiſſime ſervanda.

Meminerint denique, eccleſiaſticos redditus non eis datos eſſe, ut divitiis affluant, aut conſanguineos locupletent, aut in luxum, vanitates, & ſæculi pompas inſumant, ſed ut honeſtæ ipſorum ſubſtentationi deſerviant, & quod inde ſupereſt, in eccleſiarum, & pauperum utilitatem erogetur. Si ſecus egerint, nec a gravis culpæ reatu apud Deum, nec a meritis pœnis in eccleſiaſtico judicio erunt immunes (1).

TITULUS III.

De Dignitatibus, & Canonicis.

Clericalis vitæ integritas, de qua in præcedentibus titulis locuti ſumus, in Dignitatibus, & Canonicis præfulgeat neceſſe eſt, numeris omnibus, quoad fieri poteſt, abſoluta. In eos, qui in ſortem Domini vocati ſunt, oculos conjiciunt laici, atque inde ſumunt, quod imitentur (2). Dignitates vero, & Canonicos, nedum laici, verum etiam cæteri de clero fixis intuentur oculis, & ad eorum mores, ac vitam, qui honore, & loco præ reliquis clericis præſtantiores ſunt, ſeſe haud ægre componunt. Eodem ferme pacto titulum hunc exorditi ſumus, ac piiſſimus deceſſor noſter clar. mem. Cardinalis de Aſte ſua monita auſpicatur ad Dignitates, & Canonicos, quæ iterum in appendice (3) hujuſce noſtræ Synodi damus, eorumque frequentem lectionem commendamus eiſdem impenſe. Verba ipſa modo ſubjicimus alterius prædeceſſoris noſtri Epiſcopi Aloyſii Galli (4), quæ quoniam de-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Ref. c. 1. Syn. de Comit. tit. 29. c. 8. de Aſte Decr. 23. Vide Bened. XIV. de Synod. lib. 7. c. 2.*

(2) *Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de Reform.*

(3) *Sub num. III.*

(4) *In ſua IV. Synod. c. 26.*

decreto a nobis in ſacra viſitatione (5) edito juſſimus exſtare perpetuo in ſacrario eccleſiæ Cathedralis omnium oculis conſpicua, prætereunda hic non eſſe putamus. *Inprimis* (Dignitates, & Canonicos) *meminiſſe cupimus, quod eos ignorare non credimus, eccleſiaſticos gradus, non ſanguinis nobilitati, aut divitiarum ſplendori, ſed probitati, innocentiæ, & religioni deferri; ac propterea invaſores, & uſurpatores magis, quam legitimos dignitatum poſſeſſores cenſendos fore, ſi quos gradu, & dignitate excellunt, iis prudentia, doctrina, humilitate, vitæ, morum integritate, & gravitate, virtutum denique omnium ornamento præſtare, atque præire non ſtudeant*. Id vero (proſequitur laudatus deceſſor) magna ex parte aſſequentur, ſi quæ ad eorum diſciplinam fovendam, aut inſtaurandam, tum a peculiaribus cujuſcumque capituli conſtitutionibus, tum ab epiſcopis pro tempore decreta, atque ſancita ſunt, ex animo exequi, eiſque ad unguem, ut decet, parere pro viribus curaverint.

Porro nos ſequentia ſynodalia ſtatuta circa Dignitatum, & Canonicorum reſidentiam, eccleſiæque ſervitium, diſciplinam chori, capitularia comitia, præbendæ denique Pænitentiariæ, necnon Theologali adnexa munera duximus edenda; ratas nihilominus habentes in iis, quæ hiſce noſtris ſtatutis non adverſantur (quæ enim adverſantur, caſſa & irrita volumus), reliquas cujuſcumque capituli leges, & conſtitutiones, eas vel maxime, quæ in limine ipſo fundationis, ſeu erectionis appoſitæ inveniuntur.

De eccleſiæ ſervitio, & reſidentia.

IN eccleſia noſtra Cathedrali chori ſervitium quotidianum eſt; in duabus, quæ in hac diœceſi erectæ ſunt, collegiatis, non item. Nam Præpoſitus, & Canonici collegia-

(1) *Die 27. Aug. 1767.*

legiatæ eccleſiæ S. Mariæ de *Platea* appellatæ jam ab anno 1727. a ſacra Concilii Congregatione (1) exemptionem a quotidiano chori famulatu, cui jampridem obſtricti erant, impetrarunt: Archipresbyterum, atque Canonicos collegiatæ terræ Camerani ab eodem quotidiano ſervitio exemptos facit Bulla apoſtolica erectionis (2). Hujuſmodi exemptionis, ac indulti limites utriuſque collegiatæ capitulum ne tranſgrediatur, ſed ad ejus normam, eccleſiæque ſuæ conſtitutionum, chori ſervitium componat: meminerintque præſertim Canonici collegiatæ S. *Mariæ de Platea*, ea conditione præfatam exemptionem ipſis fuiſſe tributam, ut Paræciarum hujus urbis cathecheſibus invigilarent aſſidui. Quare quæ tum in noviſſimis eorum conſtitutionibus per nos editis, tum in ſequenti titulo V. hujus Synodi, de hac ipſa eorum obligatione traduntur, ſtrenue pro viribus implere ſtudeant; ne ſi forte in hoc tam gravi munere delinquant, ad quotidianum rurſus chori obſequium illos compellere cogamur (3).

Canonici noſtræ cathedralis eccleſiæ, quamvis, ut præmonuimus, ad horarum canonicarum penſum quotidie in choro perſolvendum ſint obſtricti, annua nihilominus vacatione fruuntur, quæ quum antea bimeſtre ſpatium non excederet, ad trimeſtre deinde ab eadem ſacra Concilii Congregatione (4) fuit extenſa. Non omnibus tamen indiſcriminatim diebus ea vacatione potiri poſſunt, ſed feſti dies, aliique ſollemnes excipiuntur, qui in altero decreto (5) a nobis edito, ac in tabella juſſu noſtro exarata, ac per nos confirmata, & ſubſcripta (6) ſingillatim enumerantur. Porro decreti hujuſmodi, ac tabellæ exemplar in ap-

(1) *Reſcript. S. C. C. 6. Dec. 1727.*
(2) *Bulla Erect. Colleg. Cameran. edit. 20. Aug. 1744.*
(3) *Vid. Edict. Lambertini 30. Jan. 1730., in App. Syn. Maſſei, pag. 27. & 28.*
(4) *Per Reſcript. 17. Apr. 1728.*
(5) *Decr. noſtr. 23. Jul. 1776.*
(6) Tabella delle funzioni della chieſa Cattedrale *habetur affixa in Sac. Eccl. ſ. Cathedr.*

Digitized by Google

appendice impreſſum datur (1), eiſque ſynodalis etiam legis robur adjicimus. Præterea, ne ex vacationum indulto eccleſia debito fraudetur obſequio, ſacra eadem Congregatio (2) hanc quoque clauſulam ſuo reſcripto appoſuit, ut nempe non omnes ſimul Canonici diebus, licet minime exceptis, trimeſtri vacatione frui poſſint, ſed ea tantum eorum pars, quæ arbitrio ordinarii videbitur. Hanc porro partem certis modo, & forma in mox laudato decreto ſtatuimus, ejuſque obſervantiam ſub pœnis ibidem expreſſis rurſus urgemus.

At Cathedralis ejuſdem eccleſiæ dignitates, nempe Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius, partim ex decreto prædeceſſoris noſtri Caroli Cardinalis de Comitibus (3), partim ex antiqua conſuetudine, a quotidiano chori famulatu eximuntur. De hac dignitatum exemptione verba pariter fecimus in præfato noſtro decreto, ibique modum, ac tempus præfinivimus ſervitii, quod præſtare debent eccleſiæ. Itaque diebus omnibus tum in eo decreto, tum in tabella, quæ in ejus executionem exarata eſt (4), enumeratis, choro ad præſcriptas functiones interſint.

Singuli choro obſtricti, ſi ſtatutis diebus, & horis juxta propriam cujuſque obligationem ad divina officia perſolvenda non accedant, diſtributionibus omnino careant, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa (5): Capitulum etenim, immo & Epiſcopus amiſſas de jure diſtributiones condonare nequit (6).

Porro is pro abſente habeatur, qui in Matutino ad chorum acceſſerit poſt completum primum pſalmum primi nocturni: in Laudibus, cæteriſque omnibus horis poſt primum

(1) *Sub num. IV. & V.*
(2) *In Reſcript. cit.*
(3) *Habet. in Act. ejus Viſit. de anno* 1586. *pag.* 66.
(4) *Tabella cit.*
(5) *Cap.* Conſuetudinem *de Cleric. non reſid. in* 6. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 22. *de Reform.*
(6) *S. C. C. apud Bened. XIV. Inſtit.* 107. *num.* 24.

mum pariter illius horæ pſalmum ; in Miſſa vero conventuali poſt finem ultimi *Kyrie eleiſon* (1) .

Legitimæ tamen adſunt cauſæ , ob quas qui a Choro abſunt , diſtributionibus privari haud debent , atque eæ enumerantur a Bonifacio VIII. (2), cujus decretum Tridentina ſynodus (3) innovavit ; ſuntque *infirmitas* , *ſeu juſta* , & *rationabilis corporalis neceſſitas* , *aut evidens Eccleſiæ utilitas* .

Et primum haud ficto morbo laborantes Eccleſia ſumma humanitate , ac pietate proſequitur ; eiſque quotidianas diſtributiones , earumque augmentum , quod exſurgit ex aliorum *fallentiis* , largitur , perinde ac ſi eſſent Choro præſentes ; dummodo cum valerent, Divinis Officiis intereſſe conſueverint (4). At quia non quicumque levis morbus, non quælibet medicinæ ſumptio , vel ſanguinis imminutio a Chori ſervitio excuſat , ne chorales hac in re nimium ſibi conniveant , leges quaſdam in citato decreto noſtro per Cathedralis Eccleſiæ Capitulum ſervandas ſtatuimus , ut quis valetudinis cauſa a punctatione cenſeatur immunis . Has eaſdem leges in poſterum a Collegiatarum quoque Capitulis adamuſſim ſervari præcipimus (5).

Ad juſtam , & *rationabilem corporalem neceſſitatem* pertinet , ſi quis Choro addictus injuſte carceribus detineatur (6); verum cum iſte , aliique , qui huc referuntur , caſus (7) contingere in hac Diœceſi noſtra non ſoleant , conſulto a nobis prætermittuntur .

Ob evidentem Eccleſiæ utilitatem diſtributiones percipiunt (præter Canonicos Pœnitentiarium , & Theologum , de quibus infra) , qui adnexam in eadem Eccleſia curam anima-

D rum

(1) *Conc. Prov. Mediol.* 1. *Vide Bened. XIV. loc.cit. num.*23. & 89.

(2) *In cap.* Conſuetudinem *cit.*

(3) *In cit. cap.*12. *ſeſs.*24. *de Ref.*

(4) *S. C. C. apud Bened. XIV. loc.cit. numer.*46. & 47.

(5) *Vide Bened. XIV. ibid.* , & *num.* 100. *Syn. Fulgin.* 1722. *Civitatis Caſtellanæ* 1756. *Foroliv.*1764. , *aliaſque hoc Tit.*

(6) *Bened. XIV. ibidem num.*52. & 53.

(7) *Ibidem . Vide num.*50. & 51.

rum habent, dum confeſſiones fidelium excipiunt, vel aliud ad animarum curam pertinens exercent (1): qui Epiſcopo Pontificalia exercenti inſerviunt (2): qui ſpiritualibus exercitiis de Epiſcopi licentia vacant in aliqua pia Domo juxta encyclicas ſacræ Concilii Congregationis litteras (3). Præter has, ſimileſve aperte legitimas, notorias, ac patentes cauſas ſi quis a Choro abfuerit, & nihilominus ſe a punctatione immunem eſſe contendat cauſam adducens evidentis Eccleſiæ utilitatis, Punctatores rem ad nos deferant, ut quod gerendum ſit in peculiaribus caſibus, ſtatuamus, quemadmodum in allegato decreto noſtro præſcriptum eſt, quod pro norma quoad hoc haberi volumus non tantum in Cathedrali, ſed in Collegiatis quoque Eccleſiis. Id ſane a mente ſacræ Congregationis Concilii non erit alienum: licet enim decreverit, Canonico deberi quotidianas diſtributiones pro tempore, quo vere abſuit pro negotiis Capituli; ſubdidit tamen, pertinere ad Epiſcopi officium *examinare, an cauſa negotiorum vere ſubſit, & quaſcumque colluſiones, & illicitas remiſſiones inter Canonicos prohibere* (4).

Qui, dum divina peraguntur officia, Chorum deſerunt Miſſam privatam ad proprium, non ad Eccleſiæ commodum, atque indigentiam celebraturi, ii profecto dici nequeunt abſentes a Choro *ob evidentem Eccleſiæ utilitatem*; ideoque tum ex ejuſdem ſacræ Congregationis (5) ſententia, tum per deceſſorum noſtrorum decreta (6) punctandi omnino ſunt pro rata abſentiæ. Hujuſmodi Eccleſiæ commodo, ac neceſſitati nos conſulere volentes leges quaſdam poſt eoſdem prædeceſſores noſtros conſtituimus in prælaudato decreto, quas ſervare exacte debent, qui Officii tempore ſacrum fa-

(1) *Bened. XIV. ibidem num. 56.*
(2) *Ibidem num. 60. & 61.*
(3) 1. *Feb.* 1710. *Habent. in Append. Syn. Mancinſ. pag.* 49.
(4) *Apud Bened. XIV. loc. cit. num.* 54.
(5) *Ibidem a num.* 74.
(6) *Syn. IV. Galli c.* 26. *& de Comit. tit.* 27. *c.* 4. *de Aſte Decret. edit. ſub die* 22. *Mart.* 1702.

facturi ſunt in Cathedrali noſtra . Idipſum præſtitimus quoad Collegiatam urbanam in ejus conſtitutionibus . Qui neglectis hujuſmodi legibus Miſſam celebraverit , ſciat ſe diſtributiones jure percipere non poſſe , quamvis punctator contra quod præſcriptum eſt, conniveat. Æditui vero, qui eiſdem parvipenſis quempiam e choro evocaverint , unius aurei mulctam qualibet vice ſubibunt , quæ ſacrario applicabitur . Pro Collegiata Camerani , ubi modicus eſt pſallentium numerus, id edicimus, ut niſi ob urgentiſſimam Eccleſiæ neceſſitatem ab Archipresbytero recognoſcendam (cujus conſcientiam hac ſuper re oneramus) nemini permiſſum ſit chorum derelinquere ob privatam celebrationem.

Conſtitutæ hactenus pro debito ſervitio Eccleſiæ leges facile eluderentur , niſi in qualibet Cathedrali, & Collegiata certi , & deſignati forent chorales , quibus onus incumberet accurate adnotandi quotquot a divinis officiis , aut aliqua eorum parte ſe ſubducunt . Hi, qui olim *Obedientiales* dicebantur , nunc communi vocabulo appellantur *Punctatores* (1). Ut diligentius hoc munus exerceatur, illuſtrium Præſulum (2), ac præcipue S. Caroli (3) exempla ſecuti, præter punctatorem a capitulo electum, alterum etiam a nobis ſeligendum in Cathedrali noſtra conſtituimus (4). Idem in poſterum ſervabitur quoque in Collegiatis. Uterque, priuſquam officium aſſumat, jurejurando ſe obſtringet ad illud fideliter obeundum . Electus a capitulo coram eo , a nobis vero deputatus, in manibus noſtris juramentum emittet (5). Hujuſmodi juramenti formula dabitur in appendice (6).

Diſtinctum uterque punctator habeat librum , in ſacriſtia , non domi retinendum , ut cuique poſtulanti ſit obvium : atque in eo confeſtim abſolutis divinis officiis puncta-

(1) *Bened.XIV. de Syn. Diœceſ.lib.4. c.4.*
(2) *Apud eumdem ibidem.*
(3) *Act. Mediol. p.1. pag.29.*
(4) *In Decret. noſtro cit.*
(5) *S. C. C. apud Bened.XIV. loc. cit.*
(6) *Sub. num.II.*

ctationes conſcribantur . Si alteruter a choro vacaverit ; alium ſuo loco ſufficiat. Quod ſi contingat binos hoſce libros inter ſe diſcrepare , res ad Capitulum definienda deferatur, reſervato ſemper ad nos recurſu (1). Nefas porro ſit aliquid ex his libris delere , ſeu exaratas punctationes expungere , abradere , aut quolibet modo alterare , ſub gravibus arbitrio noſtro decernendis pœnis . Punctatores vero in Domino monemus , ut ſumma integritate , ac fidelitate munus ſibi commiſſum exequantur ; nec ullo humano reſpectu, aut paſſione abduci ſe ſinant , ut quempiam indebite gravent , aut levent : ſecus, præter graviſſimum perjurii reatum , pœnaſque , quas arbitratu noſtro incurrent , noverint ſe ad ſatisfactionem teneri , illatumque cæteris damnum reparandum (2).

Ex punctatorum libris eruendum eſt , quas quiſque diſtributiones lucratus ſit , quaſve amiſerit . Amiſſæ autem diſtributiones a Dignitatibus Cathedralis Eccleſiæ, cum hæ peculiares proventus a menſa capitulari ſeparatos habeant; Fabricæ, ſeu *Operi* Eccleſiæ, ut hactenus ſervatum eſt (3), vel alteri pio loco debent arbitratu noſtro applicari (4). Quocirca punctatoribus mandamus, ut notulam diſtributionum ab iiſdem amiſſarum quotannis nobis exhibeant (5) . Quæ vero amittuntur a Canonicis,aliiſque proventus ex communi maſſa percipientibus, inter ipſos dividendæ ſunt, non tamen æqualiter, ſed pro rata ſervitii, ut alias monuimus in ſæpedicto decreto noſtro. Ibi quoque præcepimus quoad canonicos *Capitulares* Cathedralis Eccleſiæ,qui maſſam habent diſtributionum a præbendis ſecretam, ut quotidianæ eorum diſtributiones, nempe pecuniæ quantitas punctaturæ cujuslibet diei reſpondens,adæqua-

(1) *Syn. Civit. Caſtellanæ 1756. tit.4. c.3. num.29. Viterb. 1760. Tit.4. cap.2. num. 30. Civit. Caſtelli 1766 art.3. c.2.n.22. & ibi alleg.*

(2) *Vide Synodos citat. & Ben.XIV.Inſtit.107. num.89. & 103.*

(3) *Ex Decr. Card. de Aſte 28. Sept.1707.*

(4) *Conc. Trid. ſeſſ.22. c. 3. de Ref. Benedict.XIV. Inſtit. cit. n.41.*

(5) *Card. de Aſte in cit. decret.*

quaretur redditibus, ac proventibus præfatæ maſſæ, ne ex eadem indebite percipiant a choro abſentes in detrimentum præſentium. Dignitatibus autem Cathedralis ejuſdem jam ab anno 1586. Carolus Cardinalis de Comitibus (1), decreto Tridentini (2) inhærens, mandavit, ut tertiam partem omnium ſuorum reſpective fructuum, ac proventuum in quotidianas diſtributiones converterent & clar. mem. deinde Card. de Aſte (3) anno 1707. in ejus rei faciliorem executionem, recognito tunc redditum ſingularum Dignitatum ſtatu, eoque attento, prædictæ tertiæ partis valorem in certa pecuniæ quantitate pro qualibet Dignitate præfinivit, quam deinde in ſingulos dies & horas partitus eſt. Cum autem modo redditus, & proventus ſingularum Dignitatum, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ non in eo reperiantur ſtatu, quo olim erant, cumque de præſenti eodem ſtatu Dignitates, & Canonici nos docuerint, novam diſtributionum partitionem, redditibuſque reſpondentem conficiemus, tam pro Dignitatibus, quam pro Canonicis capitularibus. Quod vero pertinet ad ſupranumerarios (quorum numerum, redditusſque nuperrime auximus, atque in communem maſſam, auctoritate nobis a SS. D. N. tributa, redegimus) id jam præſtitimus in noſtro decreto diei 7. Junii currentis anni.

Noverint præterea omnes choro addicti, poſſe Epiſcopum, præter diſtributionum amiſſionem, per mulctas quoque pecuniarias, aliaque juris remedia illos coercere, qui divinis officiis, cum debent, non interſunt (4). Quapropter ſi quis eorum a choro frequenter ſe ſubducat, aut certis quibuſdam diebus, ſeu horis abeſſe paſſim conſueverit, jubemus punctatores ejus nomen ad nos deferre; eoque

(1) *In cit. decr. in act. viſit.*

(2) *S. ſſ.22. de Ref. c.3.*

(3) *In decret. 28. Sept. 1707. cit.*

(4) *S. C. C. apud Benedict. XIV. Inſtit. cit. num.44.*

que magis, ſi quis abſque Apoſtolico indulto, nobis omnino exhibendo, nullaque ex cauſis ſupra commemoratis legitime excuſante, ultra tres menſes, ſive continuatos, ſive interpolatos (1), a choro intra annum vacaverit; tunc enim pœnis a jure ſtatutis in eum diſtricte erit animadvertendum. Noverint quoque, nemini eorum, legitimæ etiam vacationis tempore, permiſſum eſſe, nobis inſciis, a Diæceſi diſcedere (2). Quare ſi quis ultra triduum abſque noſtra licentia (quam, niſi rationabili de cauſa, numquam erimus negaturi) a Diœceſi abſuerit, pecuniariam mulctam a nobis arbitrandam ſubibit.

Conveniant Canonici, aliique choro mancipati, ad conciones quoque, quæ in eorum Eccleſiis tempore Adventus, & Quadrageſimæ habentur, ſciantque cogi a nobis ad id poſſe ſub punctationis pœna (3). Qui frequenter in hoc deliquerint, per punctatores notentur, nobiſque denuncientur. Tenentur præterea Canonici Cathedralis Epiſcopo pontificalia obeunti, ſeu Miſſæ ſolemni, aliiſve divinis officiis aſſiſtenti, etiam in aliis Civitatis eccleſiis, licet Collegiatis inſervire (4), Immo ex conſuetudine jamdiu laudabiliter inducta, duo Canonici nobis etiam aſſiſtunt, cum privatim ſacrum facimus in aliqua hujus Urbis eccleſia; quam conſuetudinem inviolate retineri mandamus (5).

Quamvis Canonici jubilati reſidentiæ legibus, & chori ſervitio amplius obſtricti non ſint (6); ſciant nihilominus, poſſe eos ad Eccleſiæ inſerviendum rurſus ab Epiſcopo evocari, ſi adhuc viribus polleant, quoties propter illorum abſentiam divini cultus ratio detrimentum aliquod ſubire dignoſcatur (7).

De

(1) *S. C. C. apud eumdem num.33.*

(2) *S. C. C. ſæpius apud eumdem num.36.*

(3) *S. C. C. apud Card. Petra ad Conſtitut.1. Nicolai III. num.15. ſeen. & in Verulana Viſit. Sacr. Limin. 21. Jan. 1719.*

(4) *S. C. C. ſæpius apud Bened. XIV. Inſtit. cit. num.60. S.R.C. in Brunduſina 15 Jul.1617.*

(5) *S. R. C. in Raguſina 16. Mart. 1658. & in Catacen. Servitii 29. Nov. 1698. Syr. Viterb. loc. cit. num.27.*

(6) *Bened.XIV. de Syn. Diœceſ. lib.13. c.9. num.15.*

(7) *S.C.C. ſæpius apud Bened.XIV. loc. cit.*

De Chori diſciplina .

QUA ratione in Choro explendæ ſint Dei laudes , ac divina officia perſolvenda , graviſſimis præclari Pontificis Clementis XI. verbis , necnon deceſſorum noſtrorum ſynodalibus ſtatutis in medium prolatis , in ſæpius commemorato decreto noſtro conſtituimus . Ibi Punctatores ſerio monuimus de arctiſſima , qua tenentur , obligatione notandi non modo eos , qui a Choro abſunt , verum etiam qui præſentes cum ſint , alta voce non pſallunt , aut feſtinanter nimis , ſeu mutilando verba pronunciant , privatim Officium recitant , confabulantur , epiſtolas , aliaſve chartas legunt , uno verbo diſciplinam , ſilentium , ac modeſtiam non ſervant : Chori etiam *Deputatos* ad ſedulo invigilandum excitavimus , ut omnia ex ordine fiant . Quæcumque igitur eo decreto in hanc rem præfinita a nobis ſunt , exactiſſime ſervari præcipimus tum a Cathedrali , tum a Collegiatis Eccleſiis .

Ex prædictis Chori Deputatis , quos plures in unoquoque Capitulo conſtituimus , ille Præfectus cenſeatur , qui digniorem præ aliis præſentibus locum tunc occupat : & ſi omnes abſint , antiquior Canonicus hujuſmodi munus gerat (1) . Invigilet autem Chori Præfectus diligenter , ne quid in divinis officiis prætermittatur , neve quid committatur contra Cæremonialis , Breviarii , ac Miſſalis leges . Si abſint , qui ex præſcripto aliquam Officii partem recitare debent , ut puta Invitatorium , Lectiones , Martyrologium &c., jubeat , proximiores , quamvis altioris ordinis chorales ſupplere . Qui muneri ſuo non ſatisfaciunt , eos leniter primum corripiat ; quod ſi non reſipuerint , mandet , Punctatores in libro illos deſcribere , & ſi neque hac ratione emendentur ,

ad

(1) *Act. Eccleſ. Mediol. pag.*27. §. Si quæ . *&* 155. §. Præfectus Chori .

ad nos deferat (1). Ejus quoque erit ſignum dare ingreſſus in Chorum; quod ſignum juxta idem decretum noſtrum per octavam circiter horæ partem ſubſequi debet conſuetum campanæ majoris ſonum. Quod ſi Chori Præfectus cunctaretur, qui eum proxime ſequitur, id agat. Signo dato curet, ut omnes inſimul, &, quoad fieri poteſt, bini & bini, feſtis præcipue diebus (2), a Sacrario ad Chorum accedant, eodemque ordine, abſolutis officiis, revertantur (3). Officium non inchoetur, niſi facto ab eo nutu: ipſe vero non annuet, niſi prius chorales pauliſper flexis genibus oraverint, ac deinde ſtantes orationem Dominicam, cæteraque ſubmiſſa voce recitarint. Nemo a Choro diſcedat, nondum plane, integreque abſolutis divinis officiis, niſi petita prius per capitis inclinationem in medio Chori venia a Præfecto, ab eoque pari ſigno conceſſa, ſub punctationis pœna (4). Ne autem hac licentia chorales abutantur, ad tramites laudati decreti noſtri ſtatuimus, ut qui (communibus naturæ indigentiis exceptis) ex aliqua urgenti cauſa Chorum deſerere ad tempus cogitur, cauſam hujuſmodi Chori Præfecto ſignificare debeat, qui eam in Capitulo, ſi opus fuerit, diſcutiendam proponat (5): nemini vero ad declinandam punctationem adducta cauſa, ſeu licentia a Præfecto conceſſa ſuffragetur, qui ejus prætextu in Sacrario, aut alibi inutiliter tempus teret (6). Iis, qui per Æditaum a Choro avocantur ad privatam Sacri celebrationem, Præfectus veniam diſcedendi non faciat, niſi ſervatis accurate legibus, ut ſupra, conſtitutis: illos autem, qui conventualem Miſſam, aut Veſperas celebrare debent, ſeu munia diaconi, aut

(1) *Acta Mediol. loc. cit.*

(2) *S. C. C. in Salernit. Edictor. 27. Septembris 1732. ad V.*

(3) *Syn. Galli, & de Comit. ll. citt.*

(4) *Syn. Galli loc. cit. S. C. Episc. in Theat. 28. Apr. 1617. apud Barbeſ. de Canon. cap. 34. num. 17. S. C. C. in Salernit. cit. ad XI. Vid. Synod. Viterb. loc. cit. num. 14. Civit. Caſtell. num. 11. Firman. 1773. lib. 5. c. 2. num. 7. aliaſque.*

(5) *S. C. Episc. in Theat. cit. Decr. noſt. cit.*

(6) *Decr. noſtr. cit. Syn. Viterb. loc. cit.*

aut ſubdiaconi obire, non permittat a choro, pluſquam oportet, ea de cauſa abeſſe. Denique licentiam exeundi plerumque non præbeat, pluſquam duobus choralibus ſimul (1).

Quod alias cuilibet ex Capitulis hujus noſtræ Diæceſis mandavimus, rurſus in hac Synodo edicimus, & confirmamus; ut nempe Miſſa conventualis cum cantu numquam omittatur, licet altera votiva, aut plures ex conſuetudine, legato, aut alia quavis cauſa, & obligatione cantandæ eſſent (2); ſecunda etiam, tertiave Miſſa conventualis decantentur iis diebus, quibus id faciendum rubricæ præſcribunt, atque in ordine divini Officii quotannis edendo indicentur ii dies (3). Hæc conventualis Miſſa, & non alia privata ejus loco, pro benefactoribus Eccleſiæ in genere applicanda eſt (4). Quapropter Præpoſitus Collegiatæ urbanæ, & Archipresbyter Camerani, qui curam animarum ſuæ Dignitati adnexam habent, cum Miſſam conventualem canunt, eam pro benefactoribus in genere applicare tenentur, alterumque ſubſtituere, qui ipſorum loco Miſſam pro populo celebret, applicetque (5). Pari ratione cum clar. mem. Carolus Card. de Comitibus prædeceſſor noſter jam ab anno 1586. (6) indulſerit, ut in Cathedrali conventuale Sacrum per cappellanos ſtipendio a Capitulo conductos diebus ferialibus peragatur; cumque in ſollemnioribus quibuſdam anni feſtivitatibus conventualis Miſſa cantetur a Dignitatibus, quæ de maſſa capitulari non participant; mandamus, ut nihilominus Miſſa conventualis iis diebus pro benefactoribus, ut ſupra, applicetur: illis tamen, qui eam celebrant,

E pro

(1) *S. C. Epiſc. in Theat. cit. Synod. Viterb. loc. cit.*

(2) *Galli Syn. IV. c.22. confirmat. in decr. noſtr. ſacra Viſit.* 12. *Sept.* 1767. *de Comit. cit.* 13. *c.* 5.

(3) *Decr. ſacr. Viſit. cit.*

(4) *Bened. XIV. Conſtit.* Cum ſemper 19. *Auguſt.* 1744.

(5) *Conſtit.* Cum ſemper *cit.* §. 17.

(6) *In Actis ejus Viſit. de anno* 1586. *pag.* 64. *ſeqq.*

pro hac applicatione a Capitulo, ut moris eſt, fiat ſatis (1). At cum noſtra hac in Diœceſi conſuetudo non vigeat applicandi pro benefactoribus in genere ſecundam, aut tertiam conventualem Miſſam; liberam earum applicationem celebrantibus relinquimus, dummodo in commemoratione pro defunctis benefactorum eorumdem non obliviſcantur (2). Præterea tam in Cathedrali, quam in Collegiatis, anniverſarium pro ultimi defuncti Epiſcopi anima; alterum etiam pro omnibus hujus Diœceſis Epiſcopis, diebus in ordine Officii indicendis, quotannis celebretur (3) cum applicatione ſollemnis ſaltem Miſſæ *de Requie*. Recenſitæ omnes conventuales Miſſæ deſcribantur in peculiari codice ab unoquoque, qui eas celebraverit, addita nota, ſi quando pro benefactoribus applicatæ ut ſupra non fuerint.

In choro, & non alibi, niſi de noſtra licentia, Horæ canonicæ recitentur (4); ac per octavam SS. Corporis Chriſti ad altare chori expoſita interea maneat ſanctiſſima Euchariſtia, ſtantibus, vel ſaltem detecto capite ſedentibus iis, qui pſallunt (5). Nullus, qui choralibus veſtibus indutus non ſit, pro præſente umquam habeatur (6). Si quæ autem Hora, aut Miſſa conventualis quocumque prætextu omittatur, diſtributiones omnium ſervitio addictorum, omiſſioni reſpondentes, ſacriſtiæ, vel alteri pio loco arbitrio noſtro erunt applicandæ.

Quod pertinet ad cantum Horarum, ac Miſſarum ſolemnitatem, in Collegiatis ſervari mandamus cujuſque Capituli conſtitutiones, ac laudabiles conſuetudines. In Cathedrali, quibus diebus, & a quo celebranda ſit Miſſa ſollemnis cum

(1) *Vide Conſtit. cit.* §. 18. *S. C. C. in una Burgi S. Donnini 16. Maii 1716. & in Ferrarien. 18. Martii 1719. apud Theſaur. reſolut. tom. 8. pag. 113.*

(2) *Conſtit.* Cum ſemper *cit.* §. 22.

(3) *Conc. Rom. ſub Benedict. XIII. tit. 15. cap. 5. Ceremon. Epiſc. lib. 2. cap. 36. & 37.*

(4) *Syn. de Comit. tit. 27. c. 3. Syn. Fulgin. 1722. c. 2. n. 5.*

(5) *Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 32. n. 33.*

(6) *Syn. de Aſte Decr. 21. Man. inſ. p. 3. c. 2. num. 4.*

cum ſacrorum miniſtrorum aſſiſtentia, præfinitum habetur in ſuperius memorata tabella (1) juſſu noſtro exarata. In illa etiam, ut mos eſt, quibuslibet diebus feſtis, aliiſque ſollemnibus, quibus omnes choro tenentur adeſſe, decantentur Martyrologium, hora Tertia, & Veſperæ. Eæ præterea Veſperæ cum cantu peragantur, quibus vel omnes de choro, vel ſex ſaltem canonici *Capitulares* intereſſe tenentur, juxta peculiarem hujuſmodi Veſperarum tabellam a nobis ſubſcriptam. Hymnus *Te Deum*, & Capitulum cum reliquis ſubſequentibus ad Laudes canantur in iis deſignatis per annum Eccleſiæ ſollemnitatibus, quibus aut Epiſcopus, aut Dignitates, aut prior Canonicorum ſollemne Sacrum faciunt. Denique cantu abſolvatur primum ſaltem nocturnum cum omnibus lectionibus in nocte Nativitatis Domini, ac in matutinis tenebrarum.

Statis horis divina pſalmodia agenda eſt. Matutinum cum laudibus (poſtremis tribus diebus majoris hebdomadæ exceptis) veſpere præcedenti recitari, ſeu veſperarum Officium de mane perſolvi (extra quadrageſimale tempus juxta rubricas) diſtricte vetamus, niſi facultas noſtra acceſſerit, ob urgentiſſimam dumtaxat cauſam concedenda (2). Capitulum tamen noſtræ Cathedralis eccleſiæ apoſtolico potitur indulto, recitandi mane Veſperas, ac Completorium hyemali tempore, quod indultum quibus concludatur finibus, declaravimus in ſæpius allegato decreto. Ibi quoque mandavimus, ut Miſſa conventualis decantetur omnino poſt eam horam canonicam, quam rubricæ pro dierum diverſitate præfiniunt, quod & in Collegiatis ſedulo obſervandum erit. Demum cum in utroque hujus urbis Capitulo chori horarium a nobis probatum, ac ſubſcriptum ante omnium choralium oculos proſtet, idem horarium a Capitulo etiam Ca-

(1) *In append. num. V.* (2) *Decr. noſt. cit. Bened. XIV. Inſtit. cit. num. 22.*

merani infra duos menſes a publicatione hujus Synodi jubemus nobis exhiberi confirmandum, ac ſubſcribendum. Horam in hujuſmodi horariis notatam prætergredi non liceat, niſi ex gravi cauſa a Capitulo probanda, & tunc horæ immutatio omnibus choro obſtrictis ſignificetur.

Ad occludendum in poſterum aditum cuicumque controverſiæ circa Canonicorum inter ſe præcedentiam, ſtatuimus, ut Canonicus non adhuc ſacerdotio inſignitus, licet canonicatus poſſeſſione prior, tam in choro, quam in proceſſionibus, aliiſve eccleſiaſticis functionibus, locum digniorem cedat Canonico ſacerdoti, quamvis ſimplici coadjutori, & in præſentia coadjuti (1); ita tamen ut ad Presbyteratum promotus ſuum locum recuperet poſſeſſionis antiquitati reſpondentem. Cæterum Canonicus coadjutor ſedere debet poſt omnes Canonicos ejuſdem ordinis (2): & extra ſuam Eccleſiam, ac ſine Capitulo nulla fruitur prærogativa, ac ſi coadjutor non eſſet (3). Epiſcopo etiam pontificalia exercenti, vel divinis intereſſenti aſſiſtentiam præſtare nequit (4); ejuſque præcedentia quoad locum computanda eſt ab obitu coadjuti (5).

Opportune hic monemus, nullum adhuc repertum eſſe documentum, quo olim canonicales præbendas noſtræ Cathedralis Eccleſiæ a deceſſoribus noſtris diſtinctas, eiſque aliquem ex ſacris ordinibus adnexum fuiſſe indicetur. Ex diciplina tamen huc uſque ſervata conjici non obſcure poteſt, omnes habitas ſemper fuiſſe tamquam præsbyterales (6). Quapropter nos ſacroſanctæ Tridentinæ ſynodo (7) inhærentes, quæ ſtatuit prius, ut in quibuſcumque Eccleſiis Cathedralibus cano-

(1) *Syn. Viterb. loc. cit. n. 10. Civit. Caſtelli n. 8. S. R. C. in Æſina 4. April. 1705.*

(2) *S. R. C. in Æſina 31. Maii 1670. Syn. Viterb. & Civit. Caſtelli loc. cit.*

(3) *S. R. C. in Anconit. 18. Mart. 1623. & in Lauden. 7. Mart. 1637.*

(4) *Ead. in Civit. Caſtel. 24. Maii 1636. Vide Syn. cit.*

(5) *Eadem in Bergom. 7. Aug. 1627.*

(6) *Vide etiam Act. viſit. perſonal. Epiſcop. Galli de anno 1628. in reſponſ. ad interrog. 7.*

(7) *Seſſ. 24. c. 12. de ref.*

canonicatus omnes aliquem ex ſacris ordinibus habeant adnexum, deinde conſuetudinem earum Cathedralium magis laudat, ubi omnes ſunt presbyterales, decernimus, ordinem Presbyteratus ſingulis duodecim canonicatibus noſtræ Cathedralis eſſe adnexum, atque præbendas omnes presbyterales declaramus. Idem declaravimus de canonicatibus Collegiatæ S. Mariæ in ipſius conſtitutionibus, quæ attendendæ erunt. Quoad Collegiatam Camerani, & canonicatus ſupra numerum in Cathedrali erectos, nihil decernimus, ſed fundationis, ſeu erectionis leges in unoquoque canonicatu ſervari præcipimus.

De comitiis Capitularibus.

HAbeantur Capitulares congregationes quolibet ſaltem trimeſtri, prævio ſemper campanæ ſono, ut collatis conſiliis, quæ divinum cultum, ſeu res Eccleſiæ reſpiciunt, pertractentur. Cæterum ſæpius quoque, occurrente gravi cauſa, etiam ad unius Capitularis inſtantiam, convocari debent hæc comitia ab eo, qui præſes eſt Capituli. Si de re aliqua gravioris momenti deliberandum ſit, quod in uno Capitulo proponitur, in alio definiatur, quo maturior ſit deliberatio; niſi res moram omnino non patiatur (1).

Non celebrentur comitia extra Capitularem locum, nec divinorum officiorum tempore, niſi grave negotium cito expediri neceſſe ſit (2). Conſuetis præmiſſis precibus, per Capituli præſidem negotium proponatur, omneſque gradatim ſuam ſententiam promant, incipiendo a ſenioribus. Abſint jurgia, rixæ, & convicia ſub punctationis pœna, aliiſque gravioribus per nos infligendis. In ſuffragio ferendo unuſquiſque conſulat conſcientiam ſuam, nec privatis ſtudiis, aut affe-

(1) *Conc. Prov. Mediol. IV. in act. Mediol. pag. 163. Syn. Viterb. loc. cit. n. 33.*

(2) *S. C. C. apud Bened. XIV. Inſtit. cit. n. 73.*

affectionibus ſinat ſe a veritate, & juſtitia abduci. Suffragia ſecreta ſint; ſecus captæ deliberationes nullius ſint roboris (1). Qui ſaltem Subdiaconatus ordine non ſit initiatus, vocem in Capitulo non habeat (2). Is etiam a Capitulo recedere debet, de cujus negotio, ſive ejus conſanguineorum, & affinium in primo, & ſecundo gradu agendum eſt (3). In cæteros, qui abſque legitima cauſa a comitiis abſunt, mulcta aliqua ſit conſtituta, quam ſubeant ii quoque, qui nondum abſoluto Capitulo diſceſſerint (4).

Nemini liceat munus ſibi a Capitulo, vel per fortuitam eductionem nominis ab urna, vel per ſecreta vota demandatum reſpuere, niſi legitima de cauſa, quæ occultis pariter ſuffragiis a Capitulo probetur. Qui aliter recuſaverit, pœnam ſubeat in ſtatutis ſuæ Eccleſiæ conſtitutam; & ſi nulla conſtituta ſit, tribus aureis arbitrio noſtro applicandis mulctetur (5). Graviori adhuc pœna plectetur, qui alteri, quam Epiſcopo, rerum, ac negotiorum in Capitulo geſtorum ſecretum prodet (6).

Regerantur acta capitularia, ſtatim ac abſoluta ſunt, vel ſaltem infra hebdomadam, per Canonicum, qui eſt a ſecretis, in librum numeratis foliis coaleſcentem; ac deinde legantur coram Capitularibus, & charactere illius ad minimum, qui Capitulo præfuit, ſubſcribantur. Hæc porro acta nobis requirentibus denegari nequeunt; cum ad nos ſpectet agnoſcere, an aliquid in iis decernatur contra juris diſpoſitionem, aut in Eccleſiæ præjudicium (7).

Nullo modo mittantur epiſtolæ, ſeu aliud quodvis ſcriptum Capituli nomine, niſi fuerit ſecretarii ſubſcriptione muni-

(1) *Syn. Civit. Caſtellanæ loc. cit. n. 41. Viterb. n. 31. Civit. Caſtelli n. 38. Firman. 1773. lib. 5. c. 2. n. 3.*

(2) *Trid. ſeſſ. 22. c. 4. de Ref.*

(3) *Syn. Fulgin. 1722. c. 3. n. 28. Civit. Caſtellanæ loc. cit. n. 40. Civit. Caſtelli n. 40. &c.*

(4) *Acta Mediol. pag. 99. Vide Syn. citatas.*

(5) *Vide acta Mediol. p. 100. & Syn. citatas.*

(6) *Syn. Fulgin. loc. cit. n. 38. & ibi allegat. aliasque ſupracit.*

(7) *S. C. apud Pignatel. tom. 4. conſult. 134. n. 7. Syn. Fulgin. in Append. pag. 44. & ibi allegat.*

munitum, ac publice in Capitulo antea lectum. Litteræ ſimiliter ad Capitulum miſſæ, ſeu communia Capituli negotia reſpicientes, a ſecretario aperiantur, & coram omnibus legantur in Capitulo (1).

Infra bimeſtre a die completæ adminiſtrationis, canonici, qui Capitularium rerum geſſerunt curam, ſyndicis a Capitulo deputatis adminiſtrationis ſuæ reddant rationem; atque rationes redditæ referantur poſtmodum coram Capitulo, ut poſſint ſinguli promere quid ſentiant (2).

Cum recens quis dignitatem, aut canonicatum aſſecutus eſt, Capitulo ad campanæ ſonum convocato, poſſeſſionem nonniſi capitulariter ineat (3). Statuta deinde, ac conſtitutiones ſuæ Eccleſiæ, quæ præſertim in hac Synodo latæ ſunt, jurejurando ſpondeat ſe ſervaturum, necnon bona, ac jura ejuſdem pro viribus defenſurum (4), adhibita formula, quæ appendici inſeretur (5).

De Canonicis Pœnitentiario, & Theologo.

NON oblivìſcatur Canonicus Pœnitentiarius, ſe eſſe quaſi parochum totius Diæceſis (6); atque inde teneri ſe ad confeſſiones diœceſanorum audiendas promptum, ac facilem præbere, quotieſcumque in Eccleſia Cathedrali ad hujuſcemodi munus obeundum vocatur. Tenetur præterea, quamvis non vocatus, feſtis de præcepto diebus, præſertim ſollemnioribus, in exedra ad excipiendas confeſſiones eidem aſſignata, mane præſto eſſe ad ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum (7). Dum vero in Cathedrali Eccleſia ſua in ſede confeſſionali aſſiſtit, interim in choro præſens cenſetur, ac lucratur diſtributiones quaſcumque, aliaque, ſi quæ ſint,

(1) *Syn. Fulgin. n.35. & ibi allegat.*
(2) *Syn. Viterb. loc. cit. n.36.*
(3) *Rot. p.2. Rec. deciſ.701. n.5. p.10. deciſ. 140. n.12. & p.18. deciſ.412. n.24.*
(4) *Syn. Fulgin. n.36. aliaque ſupracit.*
(5) *Sub num. II.*
(6) *Bened. XIV. de Syn. diœceſ. lib.3. c.4. n.3.*
(7) *S.C.C. in Segobien. in Verulan. in Foſſanen. aliiſque apud Syn. Fulgin. c.5. n.1. & Civit. Caſtelli n.31.*

ſint, id genus emolumenta (1); quod privilegium conceditur etiam Canonico loco Pœnitentiarii per Epiſcopum ſuffecto (2). Eas tamen neuter lucrari poterit, ſi pœnitentium confeſſionibus abſolutis, in ſede confeſſionali, aut alibi moretur otioſus (3). Pœnitentiarius igitur in munus ſuum pro virili parte incumbat; utque ab illis expediatur curis, quæ obſtant, quominus in ſuo miniſterio totus ſit, in memoriam revocamus decreta, quibus ſacræ Congregationes arcendum eum eſſe voluere ab officiis Capituli operoſioribus, veluti punctatoris, ſive bonorum Capitularium adminiſtratoris (4), & ſimilibus.

Quod ad Canonicum Theologum pertinet, habeat ille præ oculis documenta de ſacræ Scripturæ lectione, quod munus eſt præbendæ Theologali inſeparabiliter adnexum, a Benedicto XIII. (5) tradita. Nos pauca hæc addimus. Eos Canonicus Theologus interpretabitur, & explanabit ſacrarum litterarum libros, quos Epiſcopus pro tempore conſtituerit (6). Adventu, & Quadrageſima exceptis, niſi infirmitate impediatur, vel alia de cauſa noſtro conſenſu approbanda, ut a numero lectionum non deficiat a Benedicto XIII. (7) præſcriptarum, ſingulis Dominicis diebus poſt Veſperas, & Completorium, ſacras litteras declarabit, adſtantibus ſub pœna pecuniaria arbitrio noſtro irroganda Dignitatibus omnibus, & Canonicis (8). Sermone utetur perſpicuo, & ex narratis, explicatiſve, morales ſententias, quæ valeant æternæ audientium ſaluti prodeſſe, inferre haud prætermittet. Ne autem umquam lectionum numerus paullo ante decretus parvi habeatur, ſtatuimus pro qualibet lectione abs jure omiſ-

(1) *Trid. ſeſſ. 24. de Ref. c. 8. Conc. Rom. Bened. XIII. tit. 32. c. 4.*
(2) *S. C. C. apud Bened. XIV. Inſtit. 107. num. 55.*
(3) *Bened. XIV. loc. cit.*
(4) *S. C. C. in Converſan. 19. Nov. 1729. & mot. in fol. eiuſd. cauſ. 24. Sept.*
(5) *In Conc. Rom. tit. 1. c. 8.*
(6) *S. C. C. pluries apud Petra d. 4. p. 255. & apud Syn. Fulgin. c. 6. ſuo init.*
(7) *Loc. cit. c. 7.*
(8) *Ibidem c. 9.*

omiſſa, pœnam amiſſionis diſtributionum integræ illius diei; quæ pro arbitratu noſtro ſacriſtiæ adſcribentur (1) vel alteri pio loco. Cæterum ea die, qua lectionem habuerit, diſtributionibus privari haud poterit, ſi ad hoc, ut accuratius muneri ſuo incumbat, choro cum aliis non interſit (2): quem etiam ob finem ad Capituli negotia pertractanda nequit procul a civitate ablegari (3); quamquam cætera capitularia officia, quæ eidem a Capitulo demandantur, recuſare nequeat (4).

TITULUS IV.

De Parochis.

PArochorum munera, aliorumque, quibus animarum cura commiſſa eſt, enumerans Tridentinum (5), mandatum eis eſſe denunciat præcepto divino 1. *Oves agnoſcere*, 2. *Pro his Sacrificium offerre*, 3. *Verbique divini prædicatione*, 4. *Sacramentorum adminiſtratione*, 5. *Ac bonorum omnium operum exemplo paſcere*, 6. *Pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera omnia paſtoralia incumbere*. Percurramus ſingula.

Ac *primo* oves ſuas agnoſcere ſatagant Parochi, fideles nempe eorum curæ commiſſos, præſertim quum novi parochiam ſuam inhabitaturi accedunt (6). Utque id facilius aſſequantur, illos etiam ab altari ſæpe moneant, ut coram ipſis ſe ſiſtant intra quindecim dies, ex quo in paræcia habitare cœperunt; ſi ſecus fecerint, arbitrio noſtro puniendi.

Curent potiſſimum errantes oves cognoſcere, ut eas ad ovile reducant, nec muneri ſuo ſatisfeciſſe arbitrentur,

 ſi, er-

(1) *Bened. XIII. Conſt.* Paſtoralis Officii. *& apud Syn. Tuſcul. 1763. p. 1. c. 23. art. 2. n. 3.*

(2) *S. C. C. apud Bened. XIV. Inſt. 107. n. 55. Syn. Fulgin. c. 6. n. 2. &c.*

(3) *S. C. C. apud Syn. Fulgin. loc. cit. n. 3.*,

(4) *Ibidem.*

(5) *Seſſ. 23. de Ref. c. 1.*

(6) *Syn. de Aſte decr. 19.*

ſi errata, ac ſcandala tantum, quæ ad ipſos deferuntur, ſtudeant corrigere; ſed ſcrutentur oportet attente, qua quiſque ratione vivat, memores non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit (1).

Si quos vero inter ſe impudice verſantes in paræcia noverint, ſemel, iterum, ac tertio eos commonebunt, & ſi alter alienæ parochiæ incola ſit, proprio ipſius parocho opportune ſignificabunt, ut ambo delinquentes inſimul commoneantur. Quod ſi triplici hac monitione nihil profecerint, rem totam ad nos, aut Vicarium noſtrum deferent (2).

Si quando contingat labi virginem, & ventre illiciti commercii fructum geſtare, Parochus non ſaluti ſolum animarum, ſed & famæ quantum fieri poteſt, proſpiciens, præceptum de cuſtodiendo fœtu ei faciat, præſentibus duobus teſtibus ſecretis, & a perſona, cui ſit, beneviſis, ut ſic periculum & infamiæ, & abortus evitetur (3).

Ad mala hujuſmodi præcavenda, & occaſiones impudicitiæ, quantum fieri poteſt, de medio tollendas, prædeceſſores noſtri abuſum profani amoris tum paſtoralibus monitis, tum latis edictis corrigere curarunt (4), & alia plura ſalubriter ſtatuerunt, præſertim quoad fœminas cæmentariis deſervientes (5) a nobis confirmata, magiſque declarata in noſtro edicto diei 15. Julii 1768. appendici inſerendo (6). Invigilent ergo, ac diligenter excubent Parochi, quantum in ipſis eſt, ut ſingula in eis contenta executioni mandentur. Præterea, quod etiam a prædeceſſoribus eiſdem decretum fuit, ſerio moneant parentes, tutores, alioſque, quorum intereſſe debuerit, ne pueros, quum ad eam ætatem creverint, quæ

(1) *Capit. 10. de Reg. Juris. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 1. de Ref. Synod. Buſſi p. 3. c. 2. n. 21.*

(2) *Vide Synod. de Comit. tit. 37. c. 1.*

(3) *Synod. Mancinſ. p. 3. c. 3. n. 5.*

(4) *De Aſte in epiſt. Paſtorali, ut in append. ejus Syn. pag. 86. Maſſei in ſuo edicto ibidem pag. 91. Mancinſ. in alio edicto in App. ejus Syn. pag. 44.*

(5) *Vide Buſſi p. 1. c. 5. n. 10., & p. 4. c. 2. Mancinſ. p. 3. c. 3. n. 6., & in App. pag. 53.*

(6) *Sub num. VI.*

quæ malitiæ capax eſt, ſinant cum puellis ſæpe, ſolos præſertim, diuque verſari; multoque minus in uno lecto inſimul dormire, ne fratres quidem cum ſororibus; neque eoſdem in proprio ſecum conjuges lecto detineant (1).

Aliam item ſcandalorum radicem evellere omnino conentur, inhoneſtas nempe, & obſcœnas picturas, quæ aliquando domi incaute aſſervantur, vel in foro publice venales proſtant, monentes eos, ad quos pertinent (præſertim cum Sabbatho ſancto domos ipſas aqua benedicta aſpergunt), ut quam citiſſime illas amoveant; eiſque pias potius imagines domi ſubſtituant. Abſtineant autem ab eo cubiculo benedicendo, in quo obſcœna aliqua, ut ſupra, pictura habeatur (2).

Abuſus cæteros, & ſcandala, ſi quæ adſint, in paræcia, vel per ſeipſos, cum poſſint, vel recurſu ad nos habito, evellere; errantes oves leniter, quantum fieri poteſt, reducere; diſſidentes componere omni ope ſatagant (3).

Cum vero ſtudent Parochi oves ſuas agnoſcere, evitent tamen, neceſſe eſt, nimiam cum eis familiaritatem, ne inde dicteria, diſſidentiæ, ac venerationis ipſis debitæ detrimentum ſequantur (4).

Ovium denique ſuarum exactum cenſum, ſeu, ut vocant, animarum ſtatum, quolibet anno deſcribant, & in feſto S. Cyriaci, præcipui hujus civitatis patroni, nobis, aut Vicario noſtro tradant, referentes, ſi quid in paræcia conſilium, auxilium, ſeu providentiam noſtram expoſcere videatur. Aliud ejuſdem exemplar referant in librum, quem diligentiſſime ſervabunt ſimul cum aliis parochialibus libris, nempe baptizatorum, confirmatorum, conjugatorum, ac defunctorum. Omnes ii codices ſint optime compacti, nume-

 me-

(1) *Mancinſ.* p.3. c.3. n.4.
(2) *De Comit.* tit.18.c.8. *Synod.Fulgin.*1722. c.1. n.14.
(3) *De Aſte decr.*19. *Buſſi* p.3. c.2. n.21.
(4) *De Comit.* tit. 24. c. 7. *Syn. Fulgin.* cit. c.7. n.48.

mericis notis ad quamlibet paginam ſignati, ac adamuſſim conſcripti juxta formulas Ritualis Romani. Supradictis addant ſextum librum, ubi annuas decimas, quas, a quibus, & quotas exigunt, diligenter deſcribant (1). Qui in eis libris, quæ notanda forent, ſcribere neglexerint, pœnam trium aureorum ſubibunt. Quum vero in teſtimonialibus litteris aliquid ex illis exſcribere debuerint, ut quodlibet adulterationis periculum evitetur, dies, menſes, & annos non numericis notis, ſed per extenſum litteris exaratis deſcribi mandamus, idemque in poſterum ſervari volumus in ipſis parochialibus libris, baptizatorum præſertim, ac defunctorum (2).

Secundo debent animarum Paſtores ex Tridentino pro ovibus Sacrificium offerre. Hoc autem eorum munus abunde declaravit ſan. mem. Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione: *Cum ſemper* (3), in qua definivit, teneri eos pro populo ſibi commiſſo Miſſæ ſacrificium applicare diebus Dominicis, aliiſque feſtivis de præcepto; de cujus oneris implemento Reviſores a nobis deputatos eodem modo docebunt, ac de adimpletis cæteris Miſſarum oneribus.

Paſcere debent *tertio* oves ſuas verbi divini prædicatione. Quare ſingulis ſaltem diebus Dominicis, aliiſque feſtivis de præcepto, in Miſſa parochiali hora populo commodiore celebranda, confeſtim poſt lectum Evangelium, ſermonem brevem habeant, & facilem, auditorumque captui accommodatum; in quo, aut myſterium aliquod annuncient, in primis vero quod eo tempore Eccleſia recolit, aut ea differant, quæ ad virtutem incitamento ſint, & ad vitia fugienda, graviora præſertim, & quæ fœdius graſſantur in populo.

(1) *Inſtruct. de Scriptur. in Archiv. reponen. juſſu Benedicti XIII. publicat. ab Epiſcopo Lambertum an. 1727. Vide Synod. de Comit. tit. cit. c. 9. & 10. Syn. Fulgin. loc. cit. n. 43.*

(2) *Syn. Fulgin. loc. cit., aliæque recent. paſſim.*

(3) *Edit. 19. Aug. 1744.*

lo (1). Ea autem occaſione eccleſiaſtica etiam jejunia, & feſtos dies populo annuncient. Publicationes item in hac Synodo præſcriptas ſtatis diebus, aliaſque juſſu Epiſcopi peragant, opportunas ad rem addentes monitiones. Poſt habitum vero ſermonem, aut poſt Miſſam, ſtatim alta voce, & vulgari idiomate, populo univerſo reſpondente, recitent *ſignum S. Crucis*, *myſteria SS. Trinitatis*, *& Incarnationis*, *ſymbolum Apoſtolorum*, *orationem Dominicam*, *ſalutationem Angelicam*, *præcepta Decalogi*, *præcepta Eccleſiæ*, *ſeptem Sacramenta*, *& actus fidei*, *ſpei*, *charitatis*, *& contritionis*, juxta vulgatas in hac diœceſi formulas; quæ omnia recitanda erunt in locis diœceſis etiam in ſecunda Miſſa poſt parochum (2).

Ne autem in diebus feſtis retrahatur populus ab audienda Miſſa parochiali, cuilibet ſacerdoti in quacumque eccleſia intra parochiæ fines celebrare interdicimus (ſaltem extra urbem) tempore Miſſæ parochialis: immo hæc non ultra duas horas ab ortu ſolis differatur, nec antea celebrari volumus, præſertim prævio campanæ ſigno, niſi Parochi ipſius licentia acceſſerit (3); exceptis tamen eccleſiis, ſeu oratoriis campeſtribus ultra milliare a parochiali diſſitis (4).

Iiſdem Dominicis, & aliis feſtivis diebus, a prandio (niſi forte neceſſitas, aut populi commoditas id de mane fieri ſuadeat) poſt ſolitum æris campani ſonum, duo ſaltem pueri, quorum unus crucem deferat, alter tintinnabulum, circumeant univerſam paræciam, decantantes vulgari ſermone hæc verba: *Padri, e madri mandate i voſtri figliuoli alla dottrina criſtiana, altrimenti ne renderete conto a Dio.* Convocatos vero pueros alioſque rudiores, Parochi initia fidei doceant per

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 7. de Ref. Concil. Rom. tit. 1. c. 4. Bened. XIV. Conſtit.* Etſi minime *7. Febr. 1742. Synod. de Comit. de Aſte, & Buſſi hoc tit. Lambertini in Edict. infra citan. Mancinſ. p. 1. c. 2. n. 7.*

(2) *Bened. XIV. Conſtit. citat., & in Edict. 1. Nov. 1727. ut in App. Syn. Maſſ. ei pag. 21. Conc. Rom. tit. 1. c. 5. Mancinſ. loc. cit. n. 5.*

(3) *Bened. XIV. locis cit. & Inſtit. 44. Syn. de Comit. tit. cit. c. 5. Buſſi p. 1. c. 2. n. 10.*

(4) *Vide Bened. XIV. Conſtit.* Etſi minime *cit.*

per horæ ſaltem ſpatium, ea ſervantes, quæ in ſequenti titulo habentur de modo chriſtianam doctrinam tradendi (1).

Præterea ante tempus paſchale adultos quoque, quos rudimentorum fidei ignaros eſſe timuerint, in examen advocent (2), & ſi revera parum inſtructos deprehenderint, non antea ad paſchalem communionem admittant, quam rite inſtruantur (3).

Ut autem facilius agnoſcant, quinam doctrinæ chriſtianæ intereſſe negligant, catalogum habeant puerorum utriuſque ſexus, decimumſextum ætatis annum non adhuc attingentium, quem etiam legent aliquoties in anno ante ejuſdem doctrinæ explicationem, & ſi quos ſæpe abeſſe animadverterint, præſertim impuberes, & nondum ad primam communionem admiſſos, eorum parentes, aut dominos primum moneant; quod ſi nihil hac via profecerint, tum puerorum, tum parentum, ſeu dominorum nomina ad nos mittant, ut validioribus remediis tanto malo occurramus (4).

Interim vero negligentibus, ut ſupra, tam filiis, quam parentibus, teſtimoniales non præbeant litteras, cum eleemoſynas, aut ſubſidia dotalia, ſeu montium frumentariorum, conſequi cupiunt, vel in Conſervatoria introduci; nos enim Officialibus piorum locorum, ſeu montium hujuſmodi, aut Confraternitatum inhibemus, ne talia ſubſidia elargiantur iis, qui prædictum Parochi teſtimonium non habuerint ub pœna tantumdem de proprio refundendi (5). Illis præterea, qui fidei rudimenta ignorant, conſuetas atteſtationes pro munere patrini in baptiſmo, vel in confirmatione obeundo, vel pro matrimonio contrahendo, nequaquam concedant,

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de Ref. Concil. Rom. tit. 1. c. 4. Bened. XIV. in Conſtit. & Edict. cit. & Inſtit. 9. Buſſi loc. cit. n. 2. Mancinf. p. 1. cap. 2.*

(2) *Syn. de Comit. tit. 11. cap. 2. Mancinf. loc. cit.*

(3) *Syn. de Aſte decr. 9. Lambertini in Edict. citat.*

(4) *De Aſte, & Lambertini loc. citatis.*

(5) *De Comit. tit. 11. c. 3. Buſſi loc. cit. n. 11. Lambertini in Edict. cit.*

dant, eoſque generatim ad quæcumque ſacramenta non admittant (1).

In parochialibus ſermonibus moneant ſæpe parentes, & dominos, de gravitate peccati, cui fiunt obnoxii, cum filios ſuos, & ſervos fidei rudimenta ignorantes, mittere negligunt ad ea addiſcenda, edicantque eis, donec vere reſipuerint, denegandam eſſe in foro ſacramentali abſolutionem (2).

Unum tamen advertant animarum curatores ex doctrina ſan. mem. Benedicti XIV. (3), nimirum quandoque evenire, ut quis præcipua fidei noſtræ myſteria & ſciat, & credat, cætera pariter, quæ neceſſitate præcepti ſunt addiſcenda, aliquo ſaltem rudi modo perceperit; ſed quia hebetis eſt ingenii, & exilis memoriæ, poſt omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, & recitare non valeat; in hoc autem rerum ſtatu id ſolum reſtat curandum, ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat, quæ ſemel craſſe didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.

Quarto Parochi juxta Tridentinam ſynodum paſcere tenentur oves ſuas ſacramentorum adminiſtratione, ad quam promptos ſeſe, ac faciles, non ſegnes, non murmurantes, nec verbis, aliove ſigno ſe ægre id ferentes oſtendant; appareant, immo etiam non quærentibus; ideoque feſtis præcipue diebus per id temporis ſpatium, quod reliquis ſacris functionibus ſupereſt, in confeſſionali ſede uſque ad meridiem maneant expoſiti, ad Pœnitentiæ ſacramentum, cujus inter fideles frequentior eſt uſus, impigre miniſtrandum (4).

Quæ

(1) *Bened. XIV. Conſtit.* Etſi *cit. & Conſtit.* Cum Religioſi *26. Junii 1754. Syn. Mancinſ. p. 2. c. 5. n. 2.*

(2) *Vide Bened. XIV. in Conſt. & in Edict. cit.*

(3) *De Syn. diœceſ. lib. 8. c. 14. n. 6.*

(4) *Buſſi p. 3. c. 2. n. 6. Synod. Fulgin. 1722. c. 7. n. 15.*

Quæ infra in ſecunda hujus noſtræ Synodi parte de ſacramentis, tum in genere, tum in ſpecie rite adminiſtrandis ſtatuta ſunt, præ oculis habeant, ſtudeantque ſedulo executioni mandare.

Ut autem in verbi divini prædicatione, & in ſacramentorum adminiſtratione fructus colligant uberiores, paſcant *quinto* oves ſibi commiſſas bonorum omnium operum exemplo, neque confundant opera ſua ſermonem ſuum (1), ſed ſit eorum doctrina duplex, ut verbis facta conveniant, actus doctrinæ reſpondeant (2). Quare quæ ſuperius in titulis de vita, & honeſtate clericorum, & de clericis beneficiatis ſtatuta ſunt, primum ipſi exequantur. Avaritiæ præſertim non modo vitium, ſed ipſam quoque ſuſpicionem a ſe amoliri ſtudeant; & quoad parochialia emolumenta, nonniſi id exigant, quod a probata hujus diœceſis conſuetudine præfinitum reperitur. Vereantur lucra funerum, ſpectante populo, & miſeris lugentibus derelictis viduis, & conſanguineis, quæritare, aut altercationes ſuper his habere. Si qua vero pro tuendis paræciæ juribus, aut in decimis exigendis difficultas emerſerit, nos opportune moneant, ut quantum fieri poterit, ſine judicii ſtrepitu res componatur (3).

Occaſione feſtivitatum, aut officiorum funeralium, quæ in parochiali Eccleſia aguntur, & ad quæ cæteri Parochi, aliique ſacerdotes conveniunt, abſtineant omnino ab indecoris commeſſationibus, compotationibus, ludicriſque actibus; clericalis immo modeſtia in omnibus præluceat. Quod ſi convivia fiant, ea ſint moderata, nec ultra tria, quatuorve fercula ad menſam apponantur (4). Præcedat menſæ benedictio, & gratiarum actio ſubſequatur. Laici non admit-

(1) *S. Hieron. ad Nepotian.*

(2) *S. Joan. Chryſoſt. Homil. de eo, qui incidit in latron.*

(3) *De aſſe decr. 9. Buſſi loc. cit. n.18.*

(4) *Vide Syn. de Comit. tit.24. c.3. Syn. Fulg. 1722. c. 21. n.8., & ibi allegat., Forolivien. 1764. c.15. n.23.*

mittatur; niſi quorum vita, ac modeſtia nota ſit, & laudabilis (1).

Sexto monentur per ſanctam Synodum Parochi, ut pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerant: ipſos etenim parentis amantiſſimi viſcera induere decet erga fideles ſibi commiſſos, præſertim qui magis illorum ope indigent. Sint ergo ſolliciti viduarum, & pupillorum defenſores, mœrentium conſolatores, pauperum adjutores, in quorum potiſſimum levamen paræciæ redditus, ſi honeſtæ ſuſtentationi ſuperſint, impendendos eſſe meminerint.

Potiſſimum vero infirmorum curam plane paternam gerant. Nullo itaque ſub prætextu eos inviſere, ac ſolari recuſent, ſed ſtatim ac ægritudinis conſcii fuerint, etiam non vocati, ad illos accedant, periculum attente ſcrutentur, de Deo interim, de æterna vita opportune loquentes, ut ad Sacramenta, quandocumque opus fuerit, ſuſcipienda ægrotantium animi diſponantur (2). Utque infirmorum notitiam facilius aſſequantur, ſæpe parochiales ſuos moneant etiam ab Altari, ut, quum aliquem de eorum familia ægrotare contigerit, ipſos confeſtim ad opem ei ferendam advocare non omittant (3).

In viſitatione infirmorum ea omnia præſtent, quæ in Rituali Romano præſcribuntur (4). Quod ſi animadverterint a Medicis, aut Chirurgis negligi quæ in ſequenti Titulo VIII. habentur mandata, rem ad nos deferant. Cum vero iſtorum judicio morbus ingraveſcens mortis minatur periculum, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis tempeſtive ægrotum muniant; neque deinde ab omni onere ſe ſolutos putent, ſed infirmum præterea omnibus ſpirituali-

 bus

(1) *Can.* Non liceat *final. diſt.* 44. *Syn. de Comit. & Fulgin. loc. citatis.*

(2) *De Aſte decr.* 19. *Buſſi loc. cit. n.* 14.

(3) *Rit. Rom. tit.* 5. *cap.* 4. *Synod. IV. Galli c.* 23. *circa fin.*

(4) *Loc. cit.*

bus auxiliis, ut ab eodem Rituali edocentur (1), juvare curent. Inter ea enumeratur Pontificia Benedictio in mortis articulo cum plenaria Indulgentia, cujus impertiendæ facultatem tribuimus proprio infirmi Parocho, & ejus Cappellano curato, & ſi uterque fortaſſe deficiat, proximiori Parocho. Potiſſimum vero, dum æger eſt morti proximus, ne eidem præſentes eſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare omittant (2). Si quis in præmiſſis notabiliter deliquerit, & præſertim ſi ejus culpa infirmus ſine Sacramentis deceſſerit, graviſſima a nobis pœna plectetur. Quod ſi ægrotum quempiam a Diœceſis locis in hanc noſtram Urbem tranſmitti ad Noſocomia contigerit, Sacramentis prius, quorum capax fuerit, rite muniatur (3).

Quum Parochi, præſertim rurales, ad conſcribenda pro infirmis teſtamenta ſæpius advocentur, formulam in iis adhibeant alias vulgatam (4), ac teſtamenti exemplar infra menſem ab obitu teſtatoris ad Cancellariam noſtram deferant (5); nullum tamen ſtipendium pro ea re exigant, caveantque, ne ullo quovis modo teſtatores inducant, hortentur, vel alliciant, ad aliquid ſibi, vel ſuæ Eccleſiæ relinquendum: quinimmo ægrotis hortatores plerumque ſint, ut proximioribus bona ſua relinquant (6). In legatis vero piis, quæ ab ægrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque ſolent, ut fraudes, liteſque evitentur, duo ſaltem adhibeantur teſtes, coram quibus teſtator declaret, ſe quædam ad pias cauſas diſpoſuiſſe, prout ſuo Parocho, ſeu Confeſſario injunxit (7).

Si Parochus ipſe graviter ægrotaverit, ejus in animarum cura coadjutor, vel, ſi coadjutor nullus ſit, vicinior Pa-

(1) *Cap. cit. & ſeqq.*
(2) *Syn. Maſſei ad decr. 19. Mancinf. p. 2. c. 3. n. 8.*
(3) *Buſſi loc. cit. n. 16.*
(4) *In Append. Syn. Mancinforte pag. 64.*
(5) *Maſſei ad decr. 18. Mancinf. p. 3. c. 3. num. 9.*
(6) *Maſſei, & Mancinf. loc. citatis Synod. Forolivien. 1764. c. 15. n. 14. ab. eatte.*
(7) *Conc. Rom. tit. 20. c. 1. Buſſi p. 2. c. 6. n. 16.*

Parochus eidem ſacramenta, aliaque ſuperius recenſita pietatis officia præſtabit; & ſequuta illius morte, illico nos certiores reddet Paræciæ interim curam gerens, donec idoneum œconomum eligamus, qui onera ſuſtineat vacantis Eccleſiæ (1).

Hæc omnia, & cætera paſtoralia munera, in quæ ex Tridentini ſententia Parochi incumbere debent, ipſimet per ſe tamquam paſtores (niſi ſint legitime impediti), præcipue quantum ad Sacramentorum adminiſtrationem, exequi tenentur. Illi ergo, quibus provide, attento ovium numero, coadjutores, quos vocant *Cappellanos*, addidimus, ſciant, non ad fovendam eorum deſidiam, ſed ad populi neceſſitatibus conſulendum hoc factum eſſe (2). Nullus vero cappellanus, ſeu coadjutor fixus aſſumatur, qui non ſit a nobis ad talem peculiariter Parochum coadjuvandum approbatus (3).

Ut propria munia rite obeat Parochus, antequam graviſſimum ſuum miniſterium exercere aggrediatur (4), vel ſaltem intra annum a die, quo parochiæ poſſeſſionem inivit, quod in ultima Synodo ſtatutum legitur (5), ſpiritualia, ut vocant, exercitia peragat, iteretque deinde ſingulis ſaltem trienniis. Juvabit præterea quammaxime, ſi quolibet menſe legat attente præclara monita ad Parochos per modum examinis a numquam ſatis laudato Card. de Aſte prædeceſſore noſtro exarata, quæ pariter ad calcem Synodi (6) iterum imprimi curavimus.

Poſtquam præfata Parochorum munera enumerarunt Tridentini Patres, ſubdunt, *ea omnia nequaquam ab eis præſtari, & impleri poſſe, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt*. Pœnas igitur a jure, & a

 præ-

(1) *Buſſi hoc tit. n.19.*
(2) *Buſſi loc.cit. n.5.*
(3) *Syn. Fulgin.1722. c.7. n.5.*
(4) *Buſſi loc.cit. n.2. de Aſte decr. 19.*
(5) *Mancuſ. hoc tit. n.2.*
(6) *In Append. ſub num.VII.*

prædeceſſoribus noſtris (1) contra non reſidentes innovamus, ſtatuimuſque, ut quilibet Parochus in ædibus ipſis parochialibus inhabitet, & ſi forte parochialis domus non adſit, in alia domo intra Paræciæ fines ſita (2), & quam fierit poſſit, Eccleſiæ proxima.

Nullus ultra biduum abeſſe valeat a reſidentia ſine noſtra, aut Vicarii noſtri generalis licentia (3). Licet autem abſentia ſit vel unius diei, & extra parochiam minime pernoctetur; diſcedere tamen non ſit permiſſum, niſi idoneo relicto ſubſtituto, ad confeſſiones excipiendas ſaltem approbato (4). Quod ſi id Parochus præſtare neglexerit, acriter a nobis punietur, & nihilominus ne inde fideles ſpirituale aliquod detrimentum patiantur, vicinior Parochus intelligatur per nos loco abſentis ſubſtitutus (5). Qui vero paſſim celebrata ſummo mane Miſſa a reſidentia abſcedunt, nonniſi ſero ad Paræciam reverſuri, noſtram animadverſionem minime effugient (6).

Diebus feſtis a parochiali abeſſe ſine noſtra venia parochis non permittitur. Quod ſi aliquando ad Eccleſiam, extra Parochiam, Sacrum facturi occaſione alicujus feſtivitatis ſe conferant, ſi id quidem perraro fiat, & idoneus relinquatur ſubſtitutus, qui munia parochialia adimpleat, tolerabimus (7).

Denique omnia, quæ ſub hoc titulo de Parochis ſancita ſunt, proportione ſervata, ad œconomos quoque ſpectare volumus parochialium vacantium, cæteroſque, quibus parochiales Eccleſiæ quomodolibet curandæ traduntur.

TI-

(1) *Vide Mancinſ. hoc tit. n.3. & ibi allegat.*

(2) *Syn. Fulgin. loc.cit. n.4. & ibi allegat.*

(3) *Conc. Rom. tit.17. c.6. Bened.XIV. Inſtit. 27. n.23. Vide Syn. de Comit. tit. cit. c. 1. Mancinſ. loc.cit.*

(4) *Bened.XIV. Inſtit. cit. n.24.*

(5) *Baſſi loc.cit. n.15.*

(6) *S.C.C. 10. Maii 1687. apud Bened.XIV. Inſtit.cit. n.18.*

(7) *Vide Bened.XIV. loc.cit. n.27.*

TITULUS V.

De verbi Dei Miniſtris.

Etſi præcipuum animarum Rectorum munus eſſe debet, verbi Dei miniſterium numquam prætermittere, adſunt tamen & alii in agro Dominico operatores, qui, ut multa meſſis in horreum reportetur, miniſterium hoc diſſeminandi verbum Dei cum ipſis Parochis partiuntur, & pueros modo, alioſque rudiores primis doctrinæ chriſtianæ elementis imbuunt, modo adultos per cathecheſim jam inſtructos, ſacris cujuſcumque generis concionibus ædificant. De hac duplici verbi Dei tradendi ratione, nonnulla ejus miniſtris, quicumque ii ſint, ſub hoc titulo præſcribenda cenſuimus.

De doctrina chriſtiana tradenda.

Cum ſatis experientia compertum ſit, imparem eſſe ſolius Parochi laborem ad pueros quoſque, ac rudiores divinæ legis, Fideique rudimentis informandos; præter Clericos, quibus hac in re Parochos coadjuvare mandavimus ſuperiore titulo primo, quique ad campanæ ſignum in parochialem Eccleſiam convenire debent (1), Sacerdotes omnes in primis hortamur, ut operam ſuam Parochis iiſdem commodare non renuant (2); immo quavis oblata occaſione, per ſe ipſi etiam tam ſancto, ac ſalutari operi incumbant. Qua quidem in re aperte denunciamus, in conferendo Parochiarum, & aliorum Beneficiorum jure, plurimum apud nos ponderis, & momenti habiturum ſtudium, & diligentiam in hoc opus ab eiſdem collatam (3).

Piam

(1) *Syn. Buſſi p. 1. c. 2. n. 3.*

(2) *Acta Eccleſ. Mediol. Syn. Diœceſ. IV. decr. 5. p. 358.*

(3) *Bened. XIV. Conſtit.* Etſi minime *7. Feb. 1742., & in Edict. 1. Nov. 1727. ut in Append. Syn. Maſſai pag. 21. Syn. de* [illegible] *decr. 9.*

Piam quoque, ac laudabilem, & in omnibus Paræciis inducendam conſuetudinem plurimum commendamus, ut Parocho idem munus perſequenti auxilium ferant laici, tum viri, tum maturæ ætatis mulieres, qui audiunt pueros, ac puellas orationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, ſymbolum Apoſtolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes (1).

Præterea, quum jampridem in Eccleſia parochiali S.Mariæ *de Miſericordia* hujus noſtræ urbis erecta fuerit *Doctrinæ chriſtianæ* Societas, cui regulas præſcripſit cla. mem. Card. Maffæus prædeceſſor noſter (2), cujuſque inſtitutum nedum meritis laudibus cumulat S. Pius V., ſed in omnibus etiam Diœceſibus propagari enixe expoſcit (3), ſtudium omne in id conferant Parochi urbani, ut pium iſtud Sodalitium omnino reviviſcat; rurales vero, ut illud ipſum in propria cujuſque Paræcia erigatur: noſque in tam ſalutari opere inſtituendo, ſeu inſtaurando, curam, ac ſollicitudinem noſtram deſiderari profecto non patiemur.

Denique in hac Civitate Canonicis collegiatæ S. Mariæ de Platea illud onus incumbit, ut diebus feſtis, cum doctrina chriſtiana populo traditur, ad Eccleſias parochiales per vices accedant, videantque, an omnia ex ordine fiant. Sibi autem præſcriptum eſſe meminerint, ut chriſtianæ inſtitutioni ab initio ad finem uſque aſſiſtant, neque adjutricem in ea manum Parochis porrigere graventur (4).

Porro tum a Parochis, tum ab aliis fidei rudimenta tradentibus, hanc methodum ſervandam edicimus.

Dum congregatur Populus, præſertim ubi numeroſior eſt, ne vanis oblocutionibus debita Eccleſiæ reverentia violetur,

(1) *Bened.XIV. & Syn. de Aſte loc.cit.*

(2) *Syn. Maffæi ad decr. 9. Regulæ editæ fuerunt anno 1712. typis Belkelli.*

(3) *S.Pius V. Conſtit.*Ex debito, *Bened.XIV. Conſtit.*Etſi *cit.*

(4) *Lambertino in Edicto* 30.*Jan.*1730. *in App. Syn. Maffæi pag.*27.

letur, immo ut audientium animi ad ſuſcipiendum inſitum verbum magis diſponantur, aut pii alicujus libri lectiône, aut ſacrarum cantionum concentu, eos interim occupari præſtabit (1).

Fæminæ ſedere jubeantur ſeorſim a maſculis, & utrique in varias claſſes, quantum fieri poteſt, ſint diſtributi (2).

Antequam initium detur catheche ſi, omnes ante Altare ſanctiſſimi Sacramenti genuflexi, clara & intelligibili voce, Parocho, ſeu alio præeunte, recitent vernacula lingua *ſignum s. Crucis*, *myſteria ss. Trinitatis*, & *Incarnationis*, *orationem Dominicam*, *ſalutationem Angelicam*, *ſymbolum Apoſtolorum*, *præcepta Decalogi*, *præcepta Eccleſiæ*, *ac ſeptem Sacramenta* (3).

Incipiat deinde cathecheſis, ſedentibus ut ſupra pueris, & puellis. Qui docent, nunc hos, nunc illos interrogent, myſteria, ac præcepta chriſtianæ Religionis annuncient, dubia, ac involuta explicent, aptis quandoque ſimilitudinibus, & exemplis utentes, ut facilius, quæ audiunt, rudes intelligant, nec pſittacorum more verba fideliter referant, ſenſum vero penitus ignorent. Salutaria demum inferant monita, ſpirituali audientium utilitati accommodata (4).

Cathecheſi expleta, omnes denuo in genua provoluti, Parocho ut ſupra præeunte, recitent *actus fidei*, *ſpei*, *charitatis*, & *contritionis*: diſcedantque fæminæ ſeorſim a maſculis (5).

Nemo, inconſultis nobis, alio audeat in tradendis fidei rudimentis uti libello, quam eo, quem vocant parvam Doctrinam Cardinalis Bellarmini, nec alias adhibere formulas

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 2.*

(2) *Buſſi loc. cit. num. 3. Lambertini in Edicto* 1. N... 1727. *cit.*

(3) *Vide Edictum cit.*

(4) *Vide Bened. XIV. Conſtit.* Etſi minime, & *in Edicto cit. Buſſi n. 5. & 6.*

(5) *Edictum cit.*

las in edocendis actibus theologalium virtutum , quam illas in hac Diœceſi jampridem vulgatas (1).

Summa ope nitantur Parochi, propoſito præſertim Indulgentiarum lucro, ut adulti quoque rudimentorum fidei ignari, ad ea addiſcenda ſimul cum pueris ad Eccleſiam conveniant. Quod ſi pudore aliquo illos ob id affici animadvertant, abſtineant ab eis publice interrogandis; immo nec inter pueros ſedere jubeant, ſed liberum eis relinquant quemcumque malint locum eligere (2).

Inter cæteros vero præcipuas ſollicitudinis noſtræ partes ad ſe vocant ruſtici homines, & armentorum cuſtodes, qui maximam anni partem in agris degunt, nec tempus ferme aliud habent, quo in chriſtiana diſciplina inſtituantur, quam breviſſimum illud, quo diebus feſtis ſummo mane ad Miſſam audiendam conveniunt. Æternæ idcirco illorum ſaluti conſulere quocumque modo cupientes, præter ea, quæ in titulo præcedenti pro Parochis ſancita ſunt, diſtricte præcipimus Sacerdotibus cunctis, etiam Regularibus, qui diebus feſtis celebrant in Oratoriis, Cappellis, & Eccleſiis ruralibus, ut chriſtianæ doctrinæ ſummam populo ad Eccleſiam convenienti tradant, & alta voce recitent ea, quæ loco ſupracitato in Miſſa parochiali recitari mandavimus (3).

Quum autem vereamur, ne id ſatis non ſit ad ruſticanos homines in chriſtiana doctrina inſtituendos, cum deceſſoribus noſtris (4) Sacerdotes, atque inferiores Clericos hortamur, atque in Domino obteſtamur, ut quandoque, & ſemel ſaltem ſingulis menſibus, in agros ad horum hominum inſtitutionem, & ad evangelizandum pauperibus divertant.

Hanc autem provinciam quoad agros ſuburbanos iis potiſſimum commendamus Sacerdotibus, qui presbyterorum ſocie-

(1) *Bened. XIV. In Conſtit. & Edict. cit. Buſſi n. 4. Mancinſ. p. 1. c. 2. n. 5.*

(2) *Buſſi n. 12.*

(3) *Conc. Rom. tit. 1. c. 5. Bened. XIV. Conſtit. & Edict. citatis Mancinſ. p. 1. c. 2. n. 4.*

(4) *Mancinſ. loc. cit.*

ſocietatem pauperibus adultis inſtruendis addictam, jampridem forte inchoatam (1), noviſſime ſuſcitarunt, aut potius efformarunt, & ampliarunt. Ii ſiquidem tum maſculos, tum fœminas in quibuſdam hujus noſtræ Urbis Eccleſiis, ſeparatim congregatas, in chriſtianæ Fidei elementis, ac piæ vitæ inſtitutis, certa cujuslibet hebdomadæ die, eademque hora erudiunt, nec niſi ſingulis erogata eleemoſyna, quam pii benefactores ſuppeditant, illos dimittunt. Societatem hanc fovere, ac omni gratia proſequi numquam omittemus, eique, ut Sacerdotes noſtri, qui aliis piis operibus præpediti non ſunt, nomen, & opem ferant, hortamur enixe, atque obſecramus.

De ſacris Concionibus.

NEmo, quamquam Doctor ſit, aut noſtræ Cathedralis Canonicus (exceptis Parochis, quoad ſuæ Paræciæ Eccleſias, & Regularibus, quoad Eccleſias ſui Ordinis, de quibus Titulo ſequenti) in hac Civitate, aut Diœceſi, ſive publice in templis, aut plateis, ſive privatim in oratoriis, etiam Parochis annuentibus, concionari audeat, ſine noſtra licentia, ac facultate, licet alias approbatus ad id munus fuerit, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, quas ſubibit etiam Eccleſiæ Rector, in qua habita concio fuerit (2).

Qui vel ex privilegio, vel ex legitima conſuetudine jus nominandi Concionatorem obtinent pro Adventus, ſeu Quadrageſimæ tempore, non humanis reſpectibus, aut commendatitiis litteris moti, ſed quos aptiores huic divino obeundo muneri agnoverint, hos nominent (3).

Quoniam vero nonniſi nominatio, ac præſentatio eis competit, caveant, ne in patentibus litteris vocem ullam

H uſur-

(1) *Vide Syn. Buſſi p.1. c.2. n.12.*

(2) *Clem. X. Conſtit.* Superna *Syn. Mancinſ. loc. cit. n.8. Vide Syn. Fulgin. 1722. c.8. n. 6. & Tuſcul. 1763. p.3. c.5. art.2. n.1. ubi plura allegantur.*

(3) *Syn. de Aſte decr. 10. Fulgin. loc. cit. n.1.*

uſurpent, quæ electionem, deputationem, declarationem, vel conſtitutionem ſignificet, ſed his dumtaxat utantur verbis: *nominamus, & præſentamus*. Si ſecus fecerint, eorum nominatio nullius apud nos erit ponderis, & confeſtim ad alterius ſacri Oratoris electionem pro illa vice deveniemus (1).

Idem præſtabimus, ſi ultra præfinitum a nobis tempus, quod uſque ad totum diem feſtum Epiphaniæ aſſignamus pro Quadrageſima, feſtumque omnium Sanctorum pro Adventu (2); ejuſmodi nominationem diſtulerint; pro illa enim vice privabuntur jure nominandi, quod ad nos devolvetur: conſuetam tamen eleemoſynam Concionatori, qui a nobis deputabitur, ſubminiſtrabunt, quin illam iiſdem liceat diminuere, aut denegare (3).

Antequam evangelicum hoc miniſterium aggrediantur Concionatores, ad nos accedant paſtoralem benedictionem recepturi, audituríque de ore noſtro neceſſitates populorum, ad quos mittuntur (4). Secum autem deferant tum patentales litteras ſuæ nominationis, tum teſtimoniales de vita, & moribus. Qui eas non exhibuerint, a nobis rejicientur, quique de ſtudiis, ac ſufficienti peritia per legitimas probationes non docuerint, examini ſubjicientur (5).

A facetiis, & ridiculis, aut apocryphis narrationibus verbi Dei miniſtri abſtineant, ſupervacuas, aut curioſas quæſtiones non agitent, ſacram Scripturam non pervertant, & ejus verbis, nonniſi juxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſenſum, ac unanimem ss. Patrum interpretationem utantur. Nova, aut quæ Eccleſia nondum probarit, miracula non evulgent. Præter Crucem, & Chriſtum crucifixum, non alias

(1) *Syn. de Comit. tit. 12. c.4. ex decr. S. C. Eccleſ. impreſſ. in Append. eiuſdem Syn. pag. 144. Mancinſ. loc. cit. Syn. Tuſcul. loc. cit. n. 6. Civit. Caſtelli 1766. Act. 1. c. 2. n. 16., aliæque.*

(2) *Mancinſ. loc. cit.*

(3) *Syn. Fulgin. & Tuſcul. loc. cit.*

(4) *Syn. Baſil. p. 1. c. 2. n. 2. Mancinſ. loc. cit.*

(5) *Clem. X. Conſtit. Superna, Mancinſ. loc. cit.*

alias imagines, ſtatuas, & pia ſpectacula e concionatorio ſuggeſtu exponant. Nulla, ne dominicæ quidem Paſſionis, concio nocturno tempore habeatur (1).

Contra vitia, & corruptelas, quæ præſertim frequentiores eſſe ſolent in populo, atque in loco, ubi conciones habentur, prævalent, vehementer agant; ita tamen, ut nullam peculiarem perſonam laudent, aut perſtringant, nullumque etiam publicum peccatorem aperte notent, vel ita circumſcribant, ut denotaſſe videantur. Blaſphemos, ac juramento abutentes; ſacrorum profanatores dierum, aut locorum; ſuperſtitioſos; profanis amoribus, aut fraudibus in vendendo, & emendo, aliiſve contractibus, ſeu palliatis uſuris implicatos; piorum relictorum, aut decimarum ſatisfactionem negligentes; crapulæ, ebrietati, aut ludis deditos; in peccandi occaſione verſantes; obſcœnis verbis, aut detractionibus aſſuetos; inimicitias, aut diſcordias foventes; hos arguant Concionatores, obſecrent, increpent in omni patientia, & doctrina. De impudicitia acriter, ſed caute; de ſacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſæpe, & copioſe; de parentum, ac filiorum, necnon ſuperiorum, ſubjectorumque mutuis obligationibus ſolide, pleneque loquantur (2). De cæteris præterea Sacramentis; de famæ, aut rei ablatæ reſtitutione omnino facienda; deque recta, ac fideli locorum piorum adminiſtratione ſermonem habere non prætermittant. Tandem ad virtutum praxim, Sacramentorum, ac Theologicarum virtutum actuum frequentiam; orationis ſtudium; cultum, ac devotionem erga diviniſſimam Euchariſtiam, atque Deiparam Virginem, perpetuo, ac ſuaviter populum alliciant. Hæc, & his ſimilia ea ſunt argu-

(1) *Vide Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. Bened. XIV. Conſtit.* Singularem 31. *Aug.* 1745. *Syn. de Comit. tit. 12. c. 2. 3. De Aſte in Monit. ad Concionat. ut in Append. Syn. Maſſæi pag.* 28. *Buſſi loc. cit. n. 1. & in Inſtruct. pro Concionat. in App. ejus Syn. pag.* 200.

(2) *Vide de Aſte in Monit. cit. Buſſi in Inſtruct. cit. Manciuſ. loc. cit.*

menta; quæ Concionatores pertractare expedit, prout enixe optamus. In his itaque immorentur, abdicatis prorſus, quæ ſpirituali audientium utilitati nihil, aut certe parum inſerviunt. Immo per Diœceſis loca, ubi rudiores ſunt auditores, ſecundam concionis partem quotidie inſumant in iis familialiter explicandis, quæ vel ad Symbolum pertinent, vel ad Sacramenta, vel ad aliud Cathechiſmi caput (1).

Ut Concionatorum verba vocem habeant virtutis, & omnes Chriſto lucrifaciant, bonorum operum exemplo in primis populos ædificent; quorum enim vita deſpicitur, etiam prædicatio neceſſe eſt, ut contemnatur. Sæcularium domos non frequentent; vana cum ipſis colloquia, ſeu converſationes non habeant; profanis negociis, etiam ſub ſpecie honeſti, non ſe immiſceant (2). Caveant quoque, ne propriam magis, quam Dei gloriam, & temporale lucrum potius, quam ſpirituale animarum quærere videantur. Profanum idcirco eloquentiæ ne oſtentent apparatum, ſed plano, ac intelligibili jugiter ſermone utantur. Reſpuant, ac pro viribus impediant quæcumque cantica, vanoſque poeticos plauſus, præſertim in Eccleſia (3). Eleemoſyna dari ſolita contenti, non alias nec pro ſe, nec pro ſocio, ſive in concionibus, ſive extra petant; pro aliis vero, quantumvis pauperibus, nonniſi venia ab Ordinario impetrata, ad quem privative ſpectat de hujuſmodi eleemoſynis favore pauperum diſponere. Chriſtifideles vero ad pias largitiones erogandas in redemptionem Chriſtianorum captivorum apud barbaras nationes excitare non omittant. Idem præſtabunt quater ſaltem in anno, nempe bis in Adventu, & bis in Quadrageſima, ad ſubſidia, & eleemoſynas Terræ ſanctæ comparandas, nedum Concionatores, ſed parochialium etiam Rectores, aliarumque Eccleſia-

(1) *Ibidem.*
(2) *De Aſte decr. 10. Buſſi p. 1. c. 3. n. 3. & in Monit. & Inſtruct. citt.*
(3) *De Aſte in Monit. cit.*

cleſiarum adminiſtratores, dum populum præſertim inter Miſſæ celebrationem alloquuntur, miſerum illorum ſacrorum locorum, & Catholicorum illic degentium ſtatum, etiam quater in anno, diſerte exponere curantes; ac inſuper perſonas eximiæ probitatis ſeligentes ad colligendas eleemoſynas, quæ ſtatim ac collectæ fuerint, in loco a nobis deſignando deponantur, ut ad Apoſtolicum Syndicum quamprimum juſſu noſtro deferri valeant (1).

Tempore, quo ſacra concio habetur, apothecæ, atque officinæ claudantur ſub pœnis in Edicto quadrageſimæ contentis (2). In ea Eccleſia, in qua concio habetur, mares a fæminis tabula, vel tela ſeparentur, nullumque virorum, cujuſcumque ſit conditionis, & ſtatus, intra ſepta mulieribus deſtinata ad concionem audiendam ſedere, aut ſtare, Parochi, aliique Eccleſiarum Rectores unquam patiantur (3). Nulla interim celebretur Miſſa, nulluſque cantus, aut ſtrepitus intra, vel prope ipſam Eccleſiam fiat; immo, quantum fieri poteſt, nec confeſſiones fidelium excipiantur, aut eis Euchariſtia miniſtretur. Commonemus etiam, atque in Domino rogamus cujuſcumque fori Judices, ut ea hora, qua in templo publica habetur concio, neque jus dicant, neque judicia exerceant (4).

Oves autem omnes curæ noſtræ commiſſas enixe in Domino pariter hortamur, atque obſecramus, ut ad audiendum verbum Dei tam a paſtoribus, quam ab aliis evangelicis miniſtris annunciatum, alacres, & frequentes confluant; illudque attente, ac reverenter excipiant. Eccleſiaſtici vero laicis exemplo præeant: quod ſi concionis tempore otiari potius, aut vagari, quam concioni adeſſe maluerint, quam gra-

(1) *SS. D. N. PIUS PP. VI. Conſtit.* Inter extera 31. *Julii* 1778. *Vide Buſſi in Inſtruct. cit. Man. loc. cit.*

(2) *De Aſte loc. cit. Buſſi loc. cit. n. 5. Mancinſ. loc. cit.*

(3) *Synod. Fulgin. loc. cit. n. 7. Tuſcul. n. 5., aliaque.*

(4) *Buſſi p. 1. c. 2. n. 10. Syn. Fulgin. loc. cit. Tuſcul. n. 7. &c.*

gravem, inviſamque de ſe opinionem nobis ingeſſerint, innuemus.

Ne quid eorum, quæ hucuſque ſtatuta ſunt, negligatur, non antea per nos Concionatores deputabuntur, quam perlectus ab ipſis fuerit iſte Synodi noſtræ titulus. Parochi vero rurales non omittant notitiam eiſdem præbere vitiorum, quæ in ſua Paræcia magis graſſantur, ut acrius in ea invehi poſſint.

Eos, qui Monialibus verbum Dei miniſtrant, peculiariter monemus, ut argumenta, & ſermonem adhibeant, quæ religioſæ vitæ inſtitutum profitentibus conveniant. Privatas colloquutiones, etiam colore quæſito ſpiritualis utilitatis, niſi noſter, aut noſtri Vicarii generalis accedat conſenſus, ſibi omnino eſſe noverint interdictas (1).

Qui munus concionandi Judæis (quod nonniſi viris prudentia præſtantibus, ac in Theologia, ſacrarumque Scripturarum ſtudio verſatis demandabitur) aſſumunt, non tam Hæbraicarum, & Rabbinicarum litterarum gnaros ſeſe oſtendere ſtudeant, quam eorumdem animarum amore, & ſalutis impartiendæ deſiderio teneri. Nihil igitur, quod eos exaſperet, nihil quod contemptum prodat, excidere ſibi patiantur, ſed ſumma benignitate, & charitate errantem populum ad viam veritatis adducere conentur (2).

(1) *De Comit. tit. 12. c. 5. Mancinf. loc. cit. Vide infra p. 3. tit 4.*

(2) *Clem. XI. Conſtit.* Propagandæ 8. *Mart.* 1704. *Mancinf. loc. cit.*

TITU-

TITULUS VI.

De Regularibus, Tertiariis, & Eremitis.

ARTICULUS I.

De Regularibus.

REgularium privilegia inviolata ſervari, eorumque nos vindices, & aſſertores eſſe ex una parte, ex altera vero juriſdictionem quoque noſtram, cui in plurimis Regulares ipſi, quantacumque fruantur exemptione, ſubſunt (1), ſartam tectam cuſtodiri omnino decet. Quapropter, ut quæ hactenus inter nos, ac Regulares noſtros concordia viguit, permaneat ſemper, & augeatur, opportunum viſum eſt nobis ex Tridentino Concilio, Pontificiis Conſtitutionibus, ac ſacrarum Congregationum decretis, nonnulla, quæ eoſdem reſpiciunt, in hac Synodo recolere, præcipuaque fere omnia, ut Regularium ipſorum commodo conſulamus, ſub hoc Titulo congerere; præſertim quum quædam ſint, quæ aliis titulis minus appoſite inſerta viderentur. A ſacris rebus, ſeu functionibus exordiemur, ac deinde de reliquis inſtituetur ſermo.

Quum Regulares in primis nobis ſubſint in iis, quæ reſpiciunt curam animarum, aut Sacramentorum adminiſtrationem (2), Eccleſiarum parochialium, quæ a Regularibus adminiſtrantur, viſitationem habituri, ea omnia perquiremus, quæ a Benedicto XIV. enumerata ſunt (3), & a Parocho Regulari in perſonali viſitatione exquirere, & exigere, ut hactenus a nobis factum eſt, non omittemus (Regulari obſer-

(1) *Vide Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. lib. 9. c. 15. n. 3.*

(2) *Trid. ſeſſ. 25. c. 11. de Regul. Vide Bened. XIV. Conſtit.* Apoſtolicum miniſterium 30. *Maii* 1753. §. 12. *ſeqq. & de Syn. lib. 13. c. 4. n. 5.*

(3) *Conſtit.* Firmandis 6. *Novembr.* 1744. *num.* 7.

obſervantia unice excepta) quicquid a ſæculari Parocho exquirere , ac exigere pro noſtro munere ſolemus ; ac præſertim eorum adimplementum , quæ in titulo ſuperiori *de Parochis* ſancita ſunt (1) ; illumque , ſi oportuerit , quod numquam eventurum confidimus , corrigere , punire , ac etiam removere plena nobis ſit poteſtas (2) . Regulares autem ſuperiores ſciant , nullam ipſis in ſæculares parochiæ ſubditos juriſdictionem competere (3).

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumma diligentia a Regularibus cuſtodiri pro certo ferme habemus, & numquam futurum nobis pollicemur , ut in quemquam illorum animadvertere debeamus , quod deliquerit contra decretalem Innocentii III. (4) . Meminerit quoque ſibi nequaquam licere ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum etiam in propriis Eccleſiis exponere , niſi ex cauſa publica , quæ a nobis probata ſit . Ex cauſa autem privata licere quidem , dummodo ſanctiſſimum Sacramentum a tabernaculo non extrahatur , & ſit velatum ita , ut ipſa ſacra Hoſtia videri non poſſit (5). Hæc, & alia plura circa tanti Sacramenti venerationem , cuſtodiam , publicamque expoſitionem inferius a nobis tradita (6) præ oculis continuo habere ſtudeant .

Quamvis tempore Paſchali ſanctiſſimam Euchariſtiam adminiſtrare in eorum Eccleſiis non ſit Regularibus vetitum ; die tamen ſacro Paſchatis eam miniſtrare nequeunt ſæcularibus perſonis , (etiamſi præcepto Eccleſiæ in propria jam ſatisfecerint Parochia (7)) , niſi eorumdem Regularium ſint familia-

(1) *Ibidem n.8. ſeqq.*

(2) *Ibidem n.10. 11.*

(3) *Ibidem .*

(4) *In cap.1. de Cuſtod. Euchariſt.S.C.Epiſc. 8.Jan.1724. Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 9. c.15. n.4.*

(5) *Bened. XIV. in Epiſt. ad Epiſc. Warmien. 16.April.1746. & de Syn. loc. cit. ac Inſtit.30. S.C.C. in Neapolit. 17.Aug. 1610.*

(6) *P.2. tit.4.*

(7) *S. C. C. ſæpius. Vide Bened. XIV. de Synod. lib.9. c.16. n.3. Giraldi Expoſit. Juris Pontif. p.2. ſect.612.*

Digitized by Google

miliares (1) ; quorum nomine ii ſunt intelligendi , qui Regularibus ipſis actu inſerviunt , ac expenſis Monaſterii intra eorum ſepta , domoſque reſident , necnon ſub eorumdem ſervili obedientia vivunt (2) .

Iiſdem familiaribus exceptis , ſanctiſſimi Viatici , vel extremæ Unctionis ſacramenta nulli ſæcularium , etiamſi in eorum Monaſteriis hoſpitans ægrotaret , ſub cenſuris S. Sedi Apoſtolicæ reſervatis, adminiſtrare poſſunt , Parochis invitis (3) . Quod ſi in ipſis clauſtris , ſepultura non electa , obierit , in Parochiali , aut alibi , prout de jure , tumulandus erit (4) .

Romani Concilii decreto obſequentes , ſacræ audiendæ Confeſſionis munus Regularibus ſacerdotibus , quamvis ad illud & peritia , & ſcientia idonei appareant , non committemus , niſi a Monaſterii Præfecto litteris teſtatum fuerit, eos in eximiis etiam pro Confeſſariis datis a S. Carolo monitis inſtructos eſſe , & vitæ diſciplina , ac moribus probatos haberi , & dignos , quibus id munus laudabiliter imponatur . In hoc autem teſtimonii genere , ipſo Concilio monente , Superior animadvertat , ne quid teſtificando admittat , quod religioſæ conſcientiæ ſuæ fraudi ſit , aut labem inferat (5) .

Jam vero per ſacrum Tridentinum Concilium (6) , ac plures Pontificum Conſtitutiones (7) decretum eſt , nullum Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam ſacerdotum audire , eoſque neque a venialibus , vel læthalibus peccatis

(1) *Vide Bened.XIV. Inſtit.55. n.7. & 8. Giraldi loc. cit.*

(2) *Trident. ſeſſ. 24. c.11. de Ref. Greg. XIII. Conſtit.* Circumſpecta . *Vide Giraldi loc. cit. ſect.*891.

(3) *Clementin. 1. de Privileg. Gregor. XV. Conſtit.*18. Inſcrutabili . *S. C. C. in Aſten. in fol.* 29. *Jan.* 1718.

(4) *Cap.* In noſtra *de Sepultur. S. C. C. in Ravennaten.* 20. *Jan.* 1674. *& alii apud Ferraris V.* Sepultura *n.*26. , *& in Aſten. cit.*

(5) *Conc. Rom. tit.32. c. 2. Syn. Buſſi p.2. c.6. n.11.*

(6) *Seſſ. 23. c.15. de Reformat.*

(7) *Pius V. Conſtit.* 133. Romani Pontificis *Urbanus VIII. Conſtit.*92. Cum ſicut &c. *Vide Bened.XIV. Conſtit.* Apoſtolicum miniſterium *cit. §.7.*

alias rite confeſſis abſolvere (1), nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochus actu exiſtat, aut ab Epiſcopo, qui actualiter, & pro tempore ordinariam juriſdictionem in ea Diœceſi exerceat (2), per examen, ſi ita ei videbitur, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtante. Tantaque eſt hujus approbationis neceſſitas, ut neque Regularis Epiſcopo eidem præſentatus, & ab eo licet injuſte reprobatus confeſſiones hujuſmodi excipere valeat (3).

Qui vero a nobis licentiam obtinuerint audiendi confeſſiones, limitatam vel quoad locum, vel quoad genus perſonarum, vel quoad tempus, nequeunt Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel genus perſonarum præſcriptum, quocumque privilegio pariter nullatenus ſuffragante (4).

Præterea licet quis generaliter, & indiſtincte abſque ulla limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum foret a nobis approbatus, attamen non ei facta intelligeretur poteſtas abſolvendi a caſibus nobis reſervatis, a quibus nec abſolvere poſſunt Regulares, licet ampliſſima fruerentur facultate abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis (5).

Quamvis vero ad audiendas confeſſiones ſuorum Religioſorum (6), ac ſæcularium illorum, qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales [non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt], non indigeant Regulares approbatione Epiſcopi (7), ſine hac tamen Monialium etiam ipſis ſubje-

(1) *Decret. de Communione quotid. 12. Febr. 1679. approb. ab Innoc. XI. Vide Bened. XIV. Inſtit. 86.*

(2) *Benedict. XIII. Conſtit.* In ſupremo 23. *Sept.* 1724. §. 17.

(3) *Ex Theſi 13. confixa ab Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

(4) *Bened. XIII. Conſtit. cit. Benedict. XIV. Conſtit.* Apoſtolicum *cit. §. 9. & de Synod. lib. 9. c. 16. n. 7. & Inſtit. 86.*

(5) *Clem. X. Conſtit.* 10. Superna 1670.

(6) *Vide Trident. loc. cit.*

(7) *Clement. X. Conſtit.* Superna *cit.*

ſubjectarum nequeunt ullo modo confeſſiones excipere (1), prout inferius Titulo *de Monaſteriis* in hac Synodo edicitur, ubi etiam reliqua habentur, quæ Regulares ſervare debent circa Moniales.

Quæ pro recta ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione in hac ipſa Synodo (2) a nobis fuerint conſtituta, a Regularibus omnibus ſedulo ſervanda fore confidimus.

Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinari, privilegiis quibuſcumque quoad hoc ſublatis, Tridentinum præcepit (3). Plura item circa eorumdem ordinationem tum Clemens VIII. (4) cum Benedictus XIV. (5) ſtatuerunt, quorum ſanctiones Regulares accurate obſervare debent. Dimiſſoriales porro litteras, quæ a Prælatis Regularibus ſuis ſubditis conceduntur, ea omnia continere volumus, quæ in formula Tribunalis Eminentiſſimi Vicarii Urbis habentur, quam idcirco in Appendice (6) exhibemus, ut eam qui cupit, conceptis verbis adhibere poſſit. Hujuſmodi autem Dimiſſoriæ (ſi eas ad Epiſcopum non Diœceſanum dirigere oporteat) nullius roboris, & momenti erunt, niſi illis juncta fuerit authentica atteſtatio Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii Epiſcopi diœceſani, ex qua conſtet, vel ipſum Epiſcopum a Diœceſi abeſſe, vel Clericorum ordinationem non eſſe habiturum proximo legitimo tempore per eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto (7).

Quum non infrequenter controverſiæ ſuper nullitate Religioſæ profeſſionis oriantur, quæ coram nobis, & Regulari ſuperiore ut plurimum diſcutiendæ ſunt juxta normam, ac methodum, quam late præſcribit Benedictus XIV. (8); Nos,

 ut

(1) *Cit. Conſt.* Superna.
(2) *P.2.tit.5.*
(3) *Seſſ.23. de Reform. c.12.*
(4) *Decret. 15. Mart. 1596. Concil. Rom. tit.21. c.2.*
(5) *Conſtit.* Impoſiti nobis 27. *Febr.* 1747. *Vide etiam Inſtit.53. ejuſdem.*
(6) *Sub num.VIII.*
(7) *Bened.XIV. Conſtit.* Impoſiti *cit.*
(8) *Conſtit.* Si datam 4. *Mart.* 1748.

ut cuilibet occurramus periculo, S. Caroli Borromæi (1) veſtigiis, ac plurimarum Diœceſum Synodis, & praxi inhærentes volumus, ut Regulares ad titulum Religioſæ paupertatis ſacris Ordinibus per nos initiandi, præter Dimiſſoriales litteras, teſtimonium proprii Superioris nobis exhibeant, qui eos in Religione, cui adſcripti ſunt, expreſſam profeſſionem rite emiſiſſe teſtetur; ipſi vero Ordinandi ſub eodem teſtimonio jurati ſcribant, ſe prædictam profeſſionem libere, ac ſine vi, & metu nuncupaſſe, eamque libere nuncupatam ſe tunc ex animo ratam habere, & hunc in finem ſeſe ſubſcribere (2).

Quum etiam Regulares circa Miſſæ ſacrificium teneantur ad plenam, & exactam obſervantiam non tantum eorum, quæ in decreto ſacri Concilii Tridentini (3) continentur, verum etiam aliorum, quæ Epiſcopus ad majorem illius ineffabilis myſterii decorem, & cultum duxerit præcipienda; Superiores Regulares monemus, ut per ſuos ſubditos diligentiſſime ſervari faciant, quæ a nobis Tit.IV. Art.II. P.II. in eum finem mandata ſunt, aut in poſterum præcipientur, ne poteſtate nobis competente uti cogamur in Regulares, qui prohibita, vel indecentia in Eccleſiis etiam ſuorum Ordinum circa Miſſæ ſacrificium committerent (4). Caveant propterea, ne quempiam exterum, & ignotum Sacerdotem ſive ſæcularem, ſive regularem, præſertim alterius Ordinis, ad celebrandum, licet ſecreto, in ſuis Eccleſiis admittant, niſi legitima exhibuerit documenta a nobis, aut a Vicario noſtro recognita, atque ſignata (5). Taxam eleemoſynarum pro Miſſis a nobis approbatam ne prætergrediantur (6); nullusque eorum

(1) *Acta Eccleſ. Mediol. Concil. Provinc. 2. tit. 1. Decr. 23. pag. 64.*

(2) *Synod. Fulgin. 1722. c. 11. n. 22. ubi plures aliæ allegant. Urbin. 1753. ſect. 2. tit. 9. §. 5. Tuſculan. 1763. p. 3. c. 15. art. 4. n. 6. Foroliv. 1764. c. 11. n. 11. &c.*

(3) *Seſſ. 22. de obſervand. & evitand. in Celebrat. Miſſæ.*

(4) *Bened. XIV. de Synod. lib. 9. c. 15. n. 5. S. C. C. apud Ferraris V.* Regulares *art. 2. n. 17.*

(5) *Bened. XIV. Conſtit.* Apoſtolicum *cit. §. 6. & de Synod. loc. cit. & Inſtit. 34. n. 4.*

(6) *S. C. C. in una Romana 15. Jan. 1639. Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 5. c. 9. n. 2.*

eorum ſine noſtra ſpeciali approbatione Miſſam celebret in Eccleſiis Monialium nobis plene ſubjectis, (1) exceptis diebus, qui Tit.IV. P.III. indicantur.

Hortamur in Domino, & obſecramus Superiores Regulares Conventuum hujus noſtræ Diœceſis, ut a Sacerdotibus ſibi ſubjectis id præſtari omnino curent, quod a Sacerdotibus ſæcularibus exigemus, ut nempe interdum coram ſacrorum Rituum peritis experimentum faciant de recta Miſſæ celebratione.

In Regularium etiam Eccleſiis plena nobis a jure ſit poteſtas viſitandi Cappellas, atque Altaria, ad quorum manutentionem laici, ſeu laicorum Sodalitia tenentur, & de legatorum adimplemento, quod eiſdem laicis incumbit, exquirendi (2).

Quoad verbi Dei prædicationem, meminerint in primis, nequaquam ipſis licere ea hora in ſuis Eccleſiis conciones habere, qua per ſemetipſum concionatur Epiſcopus (3), cui inſuper liberum eſt non ſolum Confirmationis ſacramentum adminiſtrare (4), ſed & concionem habere ad populum in qualibet ſuæ Diœceſis Eccleſia, etiamſi ad Regulares pertineat (5).

Præterea in ſui Ordinis Eccleſiis de Superiorum ſuorum licentia prædicaturi, benedictionem ab Epiſcopo Diœceſano petere debent, quam tamen licet non obtinuerint, prædicare poſſunt, niſi Epiſcopus aperte contradixerit; tunc enim, ſi concionari audeant, ab eo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato cenſuris, aliiſque eccleſiaſticis pœnis coerceri, ac puniri poſſunt (6). Eamdem benedictionem petere debent, ſi ad Sanctimoniales eorum Ordini ſubjectas, licet clau-

(1) *Bened.XIV. Inſtit.*34. *n.*7.

(2) *Bened.XIV. de Syn. lib.*13. *c.ult. num.*6. *S.C.C. in Foroliv. Viſit. Sacr. Limin.* 23. *Martii* 1764. *ad* 7. 8. & 9. *apud Syn. Foroliv. ejuſdem anni c.*22.

(3) *Vide Bened.XIV. de Syn. lib.*9. *c.*17. *n.*7.

(4) *Idem Conſtit.* Firmandis *cit. n.*6.

(5) *Idem de Syn. loc. cit.*

(6) *Conc. Trid. ſeſſ.*5. *de Ref. c.*2. *Greg.XV. Conſtit.* Inſcrutabili, *Clem. X. Conſtit.* Superna.

clauſis januis, nulloque ſæcularium interveniente, concionem ſint habituri (1). In Eccleſiis autem, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare nullo modo poſſunt, niſi, præter ſuorum Superiorum, Epiſcopi quoque licentiam gratis dandam obtinuerint (2). Cætera, quæ in Titulo ſuperiori de verbi Dei miniſtris, præſcripta ſunt, & ipſi diligenter ſervare ſtudeant.

Regulares quicumque, niſi jure, aut privilegio directe conceſſo poſt Tridentinum eximantur (3), ad publicas, & conſuetas, necnon eas, quæ pro bono, cauſa, aut honore publico indictæ erunt, Proceſſiones; nedum accedere tenentur vocati, ſed etiam pœnis ſibi beneviſis compelli poſſunt ab Epiſcopo (4). Quod ſi aliqua inter Regulares diverſorum Ordinum, aut Regulares, & Clericos ſæculares oriatur controverſia in dictis Proceſſionibus, aut in iis, quæ ſiunt in tumulandis defunctorum corporibus, aliiſve ſimilibus, ſciant a nobis, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque, componendam eſſe (5).

Indulgentias promulgare, aut earum chartas præ foribus ſuarum Eccleſiarum affigere Regulares minime poſſunt, niſi poſtquam fuerint ab Epiſcopo recognitæ, prout infra decernetur ſub titulo *de Indulgentiis* (6). Quicumque vero Pontificiam benedictionem ſuper populum elargiendi, privilegio ipſis a Clemente XIII. præſervato (7), donati ſunt, illo non utantur, niſi juxta ritum, & formam a Benedicto XIV. præſcriptam (8), & nonniſi accedente noſtra ſcripta facultate, ante impetranda, quam per publica edicta, enunciationes

(1) *Clem. X. Conſtit.* Superna.
(2) *Conc. Trid. Greg. XV. Clem. X. L. cit.*
(3) *Vide Giraldi par. 1. ſect. 875., & par. 2. ſect. 168.*
(4) *Trid. ſeſſ. 25. c. 13. de Regularibus S.C.C. apud Giraldi loc. cit., Cong. partic. juſſu Urbani VIII. 27. Julii, 21. Aug., ac 19. Sept. 1628. apud Pignatel. tom. 2. conſult. 122., & apud Ferraris V.* Proceſſiones *n. 14. Bened. XIV. de Synod. lib. 9. c. 15. n. 11.*
(5) *Trid. loc. cit.*
(6) *Trid. ſeſſ. 21. de Reform. c. 9. Vide infra p. 2. tit. 13.*
(7) *Conſtit.* Inexauſtum *3. Sept. 1762.*
(8) *Conſtit.* Exemplis *19. Martii 1743.*

nes, aut proclamationes, benedictionis dies indicetur, vel ſi edicta hujuſmodi omittantur, triduo ſaltem ante ipſam diem benedictionis, ſub pœna ſuſpenſionis ab omni officio, & dignitate, aliiſque ſummi Pontificis arbitrio inferendis (1). Noverint præterea ab eadem benedictione impertienda prorſus eis abſtinendum eſſe ſolemnibus diebus, quibus eadem facultate nobis elargita utemur (2).

Sine noſtra in ſcriptis licentia energumenos, ſive in ſua, ſive in aliena Eccleſia, exorcizare non præſumant (3); nec ſæcularium domos aqua luſtrali aſpergere Sabbatho ſancto (4), quo die Cathedrali noſtræ in Civitate, & Parochialibus Eccleſiis per Diœceſim debitum illud obſequium præſtare meminerint, ne ſcilicet ante illarum ſignum campanas pulſent (5), neque novas Reliquias, vel inſolitas imagines exponere, ſeu nova evulgare miracula ab Epiſcopo nondum probata, ne canonicas pœnas, & cenſuras incurrant (6).

Regularium Superiores, in quorum Monaſteriis ſacrorum Bibliorum lectio, & moralium quæſtionum diſcuſſio præſcripta eſt, monemus, ut eam omnino habendam curent, neque id nobis oſtendere graventur; ſecus, ad ſacræ Scripturæ lectionem in Cathedrali noſtra, & ad collationem moralium quæſtionum, quæ coram nobis, aut Vicariis noſtris habetur, Regulares Confeſſarios accedere compellemus (7).

Neminem ex Regularibus ignorare arbitramur, ipſis vetitum eſſe per Apoſtolicas Conſtitutiones, ſub graviſſimis pœnis, fæminas in eorum Clauſuram ducere, aut admitti,

ac

(1) *Clem. XIII Conſtit.* Decet Romanos 30. *Aug.* 1763.

(2) *Item Conſtit.* Inexauſtum *cit.*

(3) *Vide Bened. XIV. Conſtit.* Magno 2. *Junii* 175 . §. 24.

(4) *S. C. C. apud Barboſa de Parochis p. 1. c. 12. n. 12.*

(5) *Leo X. Conſtit. 22. Bened. XIV. Inſtit. 20.*

(6) *Trid. ſeſſ. 25. de invoc. Sanctor. Benedict XIV. de Synod. lib. 9. c. 15. num. 5.*

(7) *Trid. ſeſſ. 5. de Reform. c. 1. Conc. Rom. tit. 1. cap. 9. & tit. 15. c. 9. Encycl. S. Cong. diſpoſ. 8. Nov. 1752., ut in Append. ad Tom. IV. Bullar. Benedicti XIV. pag. 35.*

ac recipi mandare (1). Sciant vero fæminæ (idque Parochorum ſit curæ), clauſuræ nomine totum id ſpatii intelligi, quod intra Cœnobii, ſeu Monaſterii ſepta continetur (2); viridaria quoque, ſive hortos, & prata, dummodo Cœnobiis, Monaſteriis, eorumque clauſtris conjuncta intermedio muro non ſeparentur (3): atque ipſis interdictum eſſe, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſummo Pontifici reſervatæ, in præfatam Regularium clauſuram ſe inferre, etiam occaſione indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Oratorium, ſeu Cappellam intra clauſtra exiſtentem (4), ſive ſupplicationum, quæ cum ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, ſacriſve Reliquiis, Statuis, aut Imaginibus per clauſtra, ſepta, & alia Monaſteriorum loca habentur (5). Pariterque in eamdem pœnam ſe incurſuras noverint, ſi in præfata Regularium clauſtra, hortos, viridaria, & prata, vel ad ea excolenda, vel ad aquam hauriendam, vel alia de cauſa, quæcumque demum ea ſit, ingredi audeant (6).

Ad hæc nemo Regularium mulieres, aut puellas, legere, ſcribere, canere, muſica inſtrumenta pulſare, ſeu quidquid aliud doceat, non impetrata a nobis facultate (7).

Eoſdem etiam monemus in Domino, ut nimiam vitent cum ſæcularibus familiaritatem, eorumque ædes non frequentent; ſoli ſine ſocio non incedant; noctu per Civitatem, aut loca nequaquam diſcurrant (8); ſed memores Inſtituti, quod profeſſi ſunt, virtutum omnium exemplo cæteris prælucere ſtudeant. Quæ omnia potiori jure exigemus a Religioſis Ordinis S. Hieronymi, Congregationis B. Petri e Piſis, degentibus in parvo Conventu *S. Laurentii* pro-

pe

(1) *Pius V. Conſtit.* Regularium, *Greg. XIII. Conſtit.* Ubi gratiæ, *Bened. XIV. Conſtit.* Regularis diſciplinæ 3. *Jan.* 1742.

(2) *Vide Syn. Fulgin.* 1766. *ad cap.* 16.

(3) *S. Congreg. Epiſc. ſæpius apud Ferraris V.* Conventus *art.* 1. *n.* 10.

(4) *S. Rit. Cong. in Piſauren.* 22. *Mar.* 1631. *S. C. Indulgentiarum* 2. *Maii* 1679. *Vide Syn. Fulgin.* 1722. *c.* 16. *n.* 10.

(5) *Bened. XIV. Conſtit. cit. n.* 2.

(6) *Vide Decret. S. C. Epiſc.* 13. *Julii* 1764. *omnibus Ordinum Regular. ſuperioribus notificat.*

(7) *Synod. Buſſi p.* 3. *c.* 1. *n.* 6.

(8) *Vide Ferraris V.* Regularis *art.* 2. *n.* 45.

Digitized by Google

pe flumen Æſinum, noſtræ viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecto.

Meminerint potiſſimum Regulares omnes quantumvis exempti, nemini eorum licere ad præſcriptum Tridentini extra propria clauſtra moram trahere, etiam ſub obtentu proprios adeundi Superiores, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint (1). Quod ſi quis extra clauſtra, etiam cum Superiorum obedientia, vel licentia, degens deliquerit, nobis uti Sedis Apoſtolicæ delegatis ſubjectus eſt, & proinde eum viſitare, punire, & corrigere poſſumus (2). Intra Monaſterii vero clauſtra degentes, ſi extra illa notorie deliquerint, ut populo ſcandalo ſint, nobis inſtantibus, intra tempus a nobis conſtituendum a ſuis ſuperioribus ſevere puniendi erunt, qui mox de irrogata pœna certiores nos faciant (3). Quamobrem criminoſi, antequam pœnam ſubeant, extra noſtram Diœceſim ne amandentur, vel, ſi tranſmiſſi fuerint, revocentur, ſub pœnis a Concilio Tridentino, & a Clemente VIII. conſtitutis (4).

Hæc ſunt, quæ præcipue Regularibus noſtris ob oculos ponere opportunum duximus. Confidimus autem, eos æque ſervaturos cætera, quæ ſub aliis hujus Synodi titulis ad ipſos quoque pertinere noſcuntur. Propterea eoſdem enixe hortamur, & commonemus, ut noſtras haſce Conſtitutiones ſynodales attente perlegere curent, noſtrique eſſe adjutores velint in vinea Domini excolenda, quilibet pro Inſtituti ſui ratione, & juxta facultates, quas illis largiti ſumus, aut in poſterum largiemur.

(1) *Trid. ſeſſ. 25. c. 4. de Regular.*
(2) *Trid. ſeſſ. 6. c. 3. de Reform.*
(3) *Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c. 14.*
(4) *Trid. loc. cit. Clemens VIII. Conſtit. 39.* Suſcepti muneris.

ARTICULUS II.

De Tertiariis.

REgularibus proxime accedunt eorum Tertiarii, tum viri, tum mulieres. Quod pertinet ad mulieres, Tertiariæ collegialiter viventes, quæ neque ſollemne profeſſionis votum emittunt, neque clauſuræ legibus ſunt obſtrictæ, omnimodæ Epiſcopi juriſdictioni ſubduntur (1). Nulla in hac Diœceſi noſtra illarum domus erecta habetur: ſed quædam dumtaxat in Orphanotrophio, ſeu Conſervatorio S. Laurentii conjunctim degunt, puellarum, quæ ibi educantur, inſtitutioni deputatæ. De his infra ſub Titulo de Conſervatoriis differemus.

De aliis vero Tertiariis, quæ disjunctæ in privatis ædibus ſingulæ immorantur, edicimus in primis, ut nulla mulier, ſive virgo, ſive vidua, a Regularibus ad tertii Ordinis habitum ſub pœna nullitatis actus admittatur, niſi noſtra in ſcriptis præceſſerit licentia gratis danda (2).

Ad hanc vero obtinendam ſequentes requiruntur conditiones, quarum examen ad nos pertinet (3) 1. Quod ſint probatæ vitæ, & bonis moribus præditæ. 2. In ætate quadraginta annorum conſtitutæ. 3. De proprio habeant, unde ſufficienter vivere poſſint. 4. Non cum aliis viris, quam conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu ſibi conjunctis cohabitent.

In habitu autem Tertiariis concedendo, ac reſpective deferendo, abſtinendum omnino eſt a velo ſupra caput, quod

(1) *Vide Bened. XIV. Inſtit. 105. n. 73. & ſeqq. Inſtruct. edit. juſſu S. C. de Propag. Fide approb. a Clem. XIII. 16. Jan. 1763. apud Gi-raldi Expoſ. Jur. Pontific. p. 1. ſect. 566.*

(2) *S. C. C. in Mazarien. 10. Maii 1727. Inſtruct. cit. Syn. Buſſi p. 3. c. 5. n. 8.*

(3) *S. C. C. in Mazarien. cit. S. C. Epiſc. in Decret. general. 20. Dec. 1616. apud Ferraris V.* Tertiarii *n. 3. & in Append. Syn. Bu ... pag. 237. Inſtruct. cit. S. C. de Prop. Ben dict. XIV. Inſtit. cit. num. 63. ſeqq. Synod. Buſſi loc. cit. num. 9.*

quod *Superjectum* vocant, & a pectorali, quod vulgo dicitur *Sottogola*, & a *Patientia*. Si qua vero Tertiaria ſupradicta tria, vel aliquod ipſorum deferre deprehenſa fuerit, ea dimittere etiam per cenſuras eccleſiaſticas a nobis compelletur (1).

Quæ rite, ut ſupra, ad habitum tertii Ordinis admiſſæ fuerint, & virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto ſub dicto habitu vitam duxerint (2), ſciant ſe privilegio quidem fori gaudere (3), necnon indulgentiis, ac ſpiritualibus gratiis eidem Ordini conceſſis (4) minime vero exemptione ab Ordinarii juriſdictione, aut a parochialibus juribus potiri (5).

Propterea ſacerdotes Regulares neque earum confeſſiones ſacramentales audire, niſi ad ſæcularium confeſſiones audiendas fuerint approbati, neque iiſdem Euchariſtiam in die Paſchatis adminiſtrare poſſunt (6); quemadmodum neque Viaticum, atque extremam Unctionem iis conferre, neque earum cadavera e domo efferre valent ſine Parocho, aut ejus licentia (7).

Præterea ſi contingat, aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eæ ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur, ſin minus in Eccleſiis parochialibus ſepeliendæ erunt (8).

Monemus tandem Tertiarias prædictas, ne frequentes virorum acceſſus ad proprias domos, præſertim Regularium illius Ordinis, quem profitentur, ullo modo permittant; alias gravibus arbitrio noſtro pœnis tam ipſæ, quam viri punientur. Sacrum, cui nomen dederunt, Inſtitutum fideliter,

(1) *S. C. Epiſc. in Decr. general. cit. Synod. Buſſi num.* 10.
(2) *Leo X. Conſtit.* Dum intra 19. *Dec.* 1516.
(3) *S. C. Immunitatis apud Bened. XIV. loc. cit. num.* 68.
(4) *Inſtruct. cit.* §. Lucrantur.
(5) *Bened. XIV. Inſtit. cit. num.* 71.
(6) *S.C. Epiſc. in Decreto generali cit.*
(7) *S.C. Epiſc. apud Bened. XIV. loc. cit. n.* 68.
(8) *S.C. Epiſc. in Decret. generali cit.*

liter, & religioſe cuſtodiant: modeſtiam undequaque præſeferant: profanis non interſint ſpectaculis: plateas, frequentioreſque vias averſentur: alienas non circumeant domos, & ſegregatæ a ſæcularium conſortio, Deo, & ſibi vacent (1).

Tertiarii vero, qui nec collegialiter vivunt, nec cum ipſis Regularibus intra clauſtra degunt, nullo fori (2), aliove Regularium privilegio ſciant ſeſe potiri (3).

ARTICULUS III.

De Eremitis.

Regularium a ſæculo ſegregationem imitantur ii quoque, qui licet religioſa vota minime nuncupaverint, a ſæculari tamen ſtrepitu ſemoti, in locis ſolitariis degunt, Eremitæque vocantur. Quum autem in Concilio Romano ſub ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. (4) ſaluberrimæ præſcriptæ fuerint regulæ ab ejuſmodi Eremitis ſervandæ, quas Cardinalis Buſſi prædeceſſor noſter ad calcem ſuæ Synodi (5) imprimi curavit; nihil aliud pro Eremitis decernendum in hac Synodo ducimus, quam ut regulæ eædem exacte obſerventur. Harum ſummarium in noſtra Appendice (6) damus, ejuſque exemplar in quolibet noſtræ Diœceſis Eremitorio mandamus perpetuo retineri.

(1) *Syn. Buſſi p.3. c.5. n.11;*
(2) *S. C. Immunitatis 13. Maii 1727. Bened. XIV. Inſtit.105. n.63.*
(3) *Leo X. Conſtitut. cit. Benedict. XIV. ibidem num.66.*
(4) *In Append. ſub num.21.*
(5) *In Append. pag.241.*
(6) *Sub num.IX.*

TI-

TITULUS VII.

De Græcis, & Armeniis.

QUoniam per Pii IV. (1), & Benedicti XIV. conſtitutiones (2) Græci, ſive laici, ſive eccleſiaſtici, ſæculares, aut regulares, antiquioribus, quibus fruebantur, privilegiis, ampliſſime derogatis, Epiſcoporum Latinorum, in quorum Diœceſibus habitant, juriſdictioni ſubduntur in iis omnibus, quæ ad divinum cultum, adminiſtrationem Sacramentorum, extirpationem hæreſum, animarum ſalutem, & eccleſiaſticam diſciplinam pertinent; ideo nos peculiarem tractationem de Græcis inſtituimus, quibus Armenios etiam jungimus, quum utriuſque nationis homines noſtram hanc Civitatem incolant, & paſſim in eam confluant expedita navigatione; utraque etiam ſuam habeat Eccleſiam, Græci nempe parochialem ſub titulo S. Annæ, Armenii vero non Parochialem ſub titulo S. Anaſtaſiæ.

Primo itaque quicumque ex ipſis ad Sacramentorum participationem, multoque magis ad Miſſæ celebrationem, ſi Sacerdotes ſint, admitti voluerint, ſive cum primum ad noſtras haſce regiones accedunt, ſive cum eaſdem repetunt, poſtquam aliquamdiu apud ſuos diverſati fuerint, orthodoxæ Fidei profeſſionem coram nobis, aut Vicario noſtro generali emittere teneantur, adhibitis, ſi opus fuerit, fidelibus interpretibus arbitrio noſtro eligendis, a quibus etiam de eorum fide, moribuſque doceamur (3): idemque præſtare debeant Græci, qui ſacris aſſiſtere cupiunt in præfata Eccleſia S. Annæ, præſertim pſallendo in choro (ut uſu venire ſolet); alias a Parocho Græco ad ſacra eadem minime admittentur (4). Ut

(1) *Conſtit.* Romanus Pontifex 16. *Febr.* 1564.

(2) *Bened. XIV. Conſtit.* Etſi Paſtoralis 26. *Maii* 1742.

(3) *Synod. Mancinſ. p.1. c.1. n.4.*

(4) *Syn. Buſſi p.1. c.4. num.1.*

Ut autem de noſtri hujuſce decreti obſervantia certiores reddamur, Græco Parocho præcipimus, ut ſingulis menſibus ad nos, vel Vicarium noſtrum generalem deferat nomina alienigenarum Græcorum, qui in ſæpedicta Eccleſia ſacris interfuerunt, vel Sacramenta ſuſceperunt, nos edocens de ſingulorum patria, & de emiſſa ab eis Fidei profeſſione (1).

Quia vero ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, etiam abjuratis erroribus, & ſchiſmate, factaque Fidei profeſſione, miniſtrare nequeunt in Ordinibus ſuſceptis, niſi cum ipſis ſuper irregularitate hujuſmodi occaſione contracta auctoritate Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum (2), omnibus Eccleſiarum Rectoribus, & præcipue Græco Parocho, ac Armeniorum Cappellano ſub pœna ſuſpenſionis, aliiſque gravibus arbitrio noſtro infligendis, inhibemus, ne Orientalem quempiam Sacerdotem, Epiſcopali quantumvis, Archiepiſcopali, vel etiam Patriarchali dignitate fulgentem, ad ſacra quæcumque facienda admittant, quibuſcumque teſtimonialibus litteris munitum, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri generalis ſcripta licentia (3).

Græcus Parochus paſtoris officium, quod gerit, fideliter exercere ſtudeat; curetque potiſſimum, ut Græci catholici in Paſchate præceptum annuæ Communionis adimpleant, & diebus feſtivis Miſſæ ſacrificio interſint ab ipſomet celebrando (4). Noſſe enim debet, quod Græci dies feſtos de præcepto Latinæ, ubi degunt, Eccleſiæ ſervare tenentur (5). Quoad jejunia vero id obſervari faciat, quod Benedictus XIV. in Conſtitutione pro Italo-Græcis edixit (6), cujus

(1) *Buſſi loc. cit.*

(2) *Inſtruct. Clementis VIII.* 31. *Aug.* 1595. §. 4. *Bened. XIV. Conſtit.* Etſi *cit.* §. 7. *n.* 15. *Litt. Congr. S. Offic. ad Epiſc. Anconitan. ut in Append. Syn. de Comit. pag.* 127.

(3) *Syn. de Comit. tit.* 2. *c.* 1.

(4) *Syn. de Aſte Decr.* 1.

(5) *Benedict. XIV. Conſtit. cit.* §. 9. *n.* 5.

(6) *Conſtit. cit.*

cujus præcipua capita ad uſum noſtræ hujus Civitatis magis ſcitu digna, Italico ſermone in Appendice (1) dabimus, quæ propterea crebro perlegere debebit. Quod ſi Græco more ipſe cum ſuis jejunare maluerit, caveant omnino, ne cibis vetitis publice veſcantur diebus jejuniorum Eccleſiæ Latinæ (2).

Præterea ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis tam ipſe in ſua Parochiali S. Annæ, quam Cappellanus Armeniorum in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, diebus ſaltem Dominicis, aliiſque in Eccleſia Latina feſtivis, ante, vel poſt Miſſæ ſacrificium, ſive ejus tempore, ſuis popularibus explicent vulgari ipſorum idiomate orthodoxæ Fidei myſteria; ac dogmata, erroreſque, quibus ſchiſmatici Orientales infecti ſunt, coarguant; chriſtianæ Fidei rudimentis admiſcentes Evangelii monita, quæ ad mores pertinent, habita ratione eorum conditionis, atque ingenii (3).

Quum a Sede Apoſtolica nullo modo indultum ſit Italo-Græcis Preſbyteris, ut infantibus baptizatis ſacramentum Confirmationis conferant, quinimmo eis expreſſe ſit interdictum, ne baptizatos Chriſmate in fronte conſignent (4), Græco Parocho ſub pœna ſuſpenſionis præcipimus (5), ut in ritu Baptiſmi adamuſſim obſervet, quod in Clementis VIII. Inſtructione, necnon in prælaudata Benedicti XIV. Conſtitutione habetur, prout in ejus Summario in Appendice impreſſo (6). Chriſma vero a noſtra Cathedrali Eccleſia quotannis accipiat, quo ſolo utatur (7).

Sub eadem ſuſpenſionis pœna ei interdicimus, ne loco ſatisfactionis in ſacramento Pœnitentiæ imponendæ unctionem ſolummodo aliquam (quæ juxta Græcorum morem ſanis

etiam

(1) *Sub num. 10.*
(2) *De Comit. loc. cit c. 2.*
(3) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 2. Mancinſ. part. 1. cap. 2. num. 6.*
(4) *Bened. XIV. Conſt. cit. §. 3. n. 1.*
(5) *De Comit. loc. cit. c. 1.*
(6) *Sub num. X. §. II.*
(7) *Bened. XIV. Conſtit. cit. §. 4. de Comit. loc. cit.*

etiam adhiberi ſolet) Pœnitentibus injungat. Immo curet a ſuis errorem illum avertere, quo credunt, per unctionem ſanis adhibitam Sacramentum conferri (1). Infirmis vero periculoſe ægrotantibus juxta verbum Jacobi Apoſtoli Unctionem exhibeat extremam, quam, etiamſi ſeptem, aut tres Sacerdotes juxta morem Eccleſiæ Græcæ haberi haud poſſint, credere omnino debet, valide & licite ab uno tantum conferri, verumque eſſe Sacramentum (2). Quod ſi Infirmus ſine hoc Sacramento ejus culpa deceſſerit, gravibus per nos pœnis pro modo culpæ mulctabitur.

Generalibus Proceſſionibus cum cæteris Parochis ſacris Eccleſiæ ſuæ indumentis amictus interſit (3), cui legi Armeniorum etiam Cappellanum ſubjectum volumus.

Reliqua, quæ in prædicta Benedicti XIV. Conſtitutione pro Italo-Græcis continentur, Appendici inſerta, ſub pœnis arbitrio noſtro decernendis obſervet diligentiſſime.

TITULUS VIII.

De Medicis, & Chirurgis.

DOlendum magnopere eſt, ſaluberrimam Concilii generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. legem (4) a S. Pio V. declaratam, & confirmatam per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit *Super gregem Dominicum* (5); cujus Conſtitutionis obſervantiam & Medici ſub juramento ſpondent, cum primum lauream doctoralem, ac medendi facultatem conſequuntur, & Epiſcoporum vigilantiæ ſub gravi præcepto committit Concilium Romanum anni 1725. (6); a Me-

(1) *Bened. XIV. ibid. §. 5. num. 1. & de Syn. lib. 2. cap. 5.*
(2) *Idem ibid. n. 2. & de Syn. lib. 8. c. 4.*
(3) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 3.*
(4) *Relat. in cap.* Cum Infirmitas *de Pœnit. & Remiſ.*
(5) *Edit. anno 1566.*
(6) *Tit. 32. c. 1. & in monit. de Medic. obligat. in Append. ejuſdem num. 28., qua habent. etiam in Append. Synod. Buſſi pag. 254.*

a Medicis quibuſdam in dies negligi, aut prorſus contemni, nec ab eis graviſſimas formidari pœnas, tum a præfatis Pontificibus, tum a Prædeceſſoribus noſtris contra inobedientes latas (1). Nos igitur tanto malo occurrere volentes, quod grave animabus tam ægrotorum, quam Medicorum perniciem infert, non leges condimus novas, ſed quæ rite alias conſtituta ſunt, præcipue in laudato Romano Concilio, necnon in Synodis clar. mem. Prædeceſſorum noſtrorum (2) in memoriam revocamus, & exequutioni jubemus omnino demandari.

Medici igitur omnes, & Chirurgi prima die, qua inviſunt infirmum quacumque ex infirmitate in lecto jacentem (excepta ſimplici podagra, aliove ſimili morbo, qui ex ſe decubitum haud requirat), eum moneant, ut ſpiritualem advocet Medicum, cui peccata ſua confiteatur, atque ita *poſtquam fuerit de ſalute animarum proviſum, ad corporale medicinæ remedium ſalubrius procedatur* (3). Ubi enim in quacumque infirmitate, licet non mortali, hoc Medicis præceptum eſſe noſcatur, malum illud evitabitur, *quod inter alia*, ut ajunt Lateranenſes Patres, *huic cauſam dedit edicto, quod quidam nempe in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt*.

Quod ſi Pœnitentiæ ſacramento minime expiatum ſequenti die ægrotum reperiant, iterum eum moneant, addentes ſe curam deſerturos, niſi altera die ſcriptum Confeſſarii teſtimonium de peracta apud eum peccatorum confeſſione exhibeat.

L Ter-

(1) *Synod. de Comit. tit. 33. c. 1. De Aſte, & Maſſæ Decr. 28. Buſſi p. 4. c. 1. Man. inf. p. 3. cap. 6. num. 6.*

(2) *Locis cit. & præſertim Synod. Buſſi.*

(3) *Conc. Lateranenſ. cit. ſub Innoc. III.*

Tertia denique die, niſi per præfatam Confeſſarii ſchedulam, aut alia non abſimili ratione eis conſtiterit de ſacramentali infirmi confeſſione, vel jam peracta, vel Confeſſarii ipſius judicio in aliud tempus opportunius dilata, & niſi forte ita gravis ſit morbus, ut ſine eorum ope ægroto periculum mortis immineat (1), ab ipſius ægroti cura, donec de prædictis ut ſupra edoceat, prorſus abſtineant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & nobis reſervatæ, aliiſque præterea graviſſimis infamiæ, privationis gradus medicinæ, extruſionis a Medicorum Collegio, ac etiam pecuniariis, arbitrio noſtro declarandis: quas etiam incurrent, quando elapſa die, in quam a Confeſſario dilata fuit confeſſio, infirmum non adhuc confeſſum curare pergent.

Horum omnium obſervantiam Medici, ac Chirurgi, antequam in noſtra hac Diœceſi proprium officium primo exercere aggrediantur, in manibus noſtris, aut Vicarii noſtri generalis poſt factam Fidei profeſſionem jurare debebunt. Idemque præſtabunt poſt Synodi hujus publicationem, quotquot hactenus non præſtiterunt (2). Parochorum vero erit, ut ipſis ſuo loco mandavimus (3), inobedientes nobis denunciare.

Præterea cum morbus ingraveſcens mortem minitatur, præcipimus, ut Medici opportuno tempore de ſuſcipiendo etiam ſanctiſſimo Viatico infirmum moneant, tum ut fructuoſius hoc Sacramento reficiatur, caveaturque periculum, ne tanto auxilio deſtitutus decedat, tum etiam ad debitam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam conciliandam, quum ſæpe contingat, tumultuarie, & ſine præſcripta decenti pompa illam deferri ad ægrotos, eo quod Medici nonniſi in extremo periculo de ea recipienda eoſdem admonent (4).

Hor-

(1) *Bened. XIV. Inſtit. 22. num. 17.*
(2) *Conc. Rom. in Appendic. loc. cit. Synod. de Comit. loc. cit. c. 2. De Aſte loc. cit. Buſſi n. 6.*
(3) *Tit. IV. hujus Partis.*
(4) *De Aſte loc. cit. Buſſi n. 7.*

Hortamur pariter ipſos, ac in Domino obteſtamur, ut ea, qua decet, ſedulitate, & charitate infirmos pauperes inviſant, eorumque curam agant (1). Meminerint etiam ex S. Caroli ſententia (2), ita ſuarum eſſe partium, corporis incolumitati proſpicere, ut non obliviſcantur potiorem habendam eſſe animarum ſalutem. Quare *ſub interminatione anathematis* ſibi vetitum eſſe noverint, ne *pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeant, quod in periculum animæ convertatur* (3). Caveant denique, ne permittentes nimia facilitate diebus jejuniorum cibos vetitos, alienæ culpæ participes fiant (4). Qua in re præ oculis habeant, quæ infra in ſecunda hujus Synodi Parte Tit.IX. *de Jejuniis* edicuntur.

TITULUS IX.

De Ludimagiſtris.

QUoniam ad chriſtianam pietatem hoc valde intereſt, ut inſtituendæ pueritiæ, atque adoleſcentiæ munus committatur viris, non ſcientia ſolum, ſed fide, ac moribus, vitaque probatis (5), illud in primis conſtituimus, a nemine in hac noſtra Civitate, aut Diœceſi Scholam eſſe aperiendam, aut Ludimagiſtri munus exercendum, etiamſi a laicorum Communitate ad docendum ſit certa mercede conductus, qui noſtram non obtinuerit in ſcriptis approbationem, quam nonniſi emiſſa ut ſupra Fidei profeſſione, prævioque, ſi oportuerit, examine quoad fidem, doctrinam chriſtianam, & bonos mores, indulgebimus (6). Communitates vero prædictas cum S. Carolo (7) hortamur, ut

L 2 pu-

(1) *De Aſte ibidem.*

(2) *Apud Bened.XIV. Inſtit.15. n.17.*

(3) *Cap.* Cum infirmitas *extat. in fin.De Comit. loc. cit. c.3.*

(4) *Bened.XIV. loc. cit. ex S. Carolo. Mancinſ. loc. cit. n.5.*

(5) *Acta Eccleſ. Mediol. pag.89.*

(6) *Syn. Mancinſ. p.3. c.6. n.2. S.C. C. apud Ferraris V.* Magiſter *n.7. & apud Giraldi Expoſit. Jur. Pont. p.1. ſect.786. nota 2..Acta Mediol. hoc tit.*

(7) *Acta Mediol. pag.2. §.* Principes.

Digitized by Google

publicos Ludimagiſtros conducant, tum fidei, & vitæ, tum doctrinæ, ac ſcientiæ laude commendatos.

Leonis X. (1) in Concilio Lateranenſi ſanctionem Ludimagiſtri omnes perſpectam habeant, juxta quam *pueros ſuos, ſive adoleſcentes, nedum in Grammatica, & Rethorica, ac cæteris hujuſmodi . . . inſtruerè debent, verum etiam docere tenentur ea, quæ ad Religionem pertinent, ut ſunt præcepta divina, articuli Fidei, ſacri Hymni, & Pſalmi, ac Sanctorum vitæ; diebuſque feſtivis nihil aliud eos docere poſſunt, quam in rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus, eoſque in illis inſtruere, hortari, & cogere, in quantum poſſunt, tenentur, ut nedum ad Miſſas, ſed etiam ad Veſperas, divinaque officia audienda ad Eccleſia accedant, & ſimiliter ad prædicationes, & ſermones audiendos... nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere poſſunt*.

Ludimagiſtri itaque non ſolum compellant pueros ſibi commiſſos, eos præſertim, qui ad Euchariſticam menſam nondum fuerint admiſſi, ut ad doctrinæ chriſtianæ explicationem in propria Paræcia conveniant (2), verum etiam ipſimet ſemel ſaltem in hebdomada Fidei rudimenta ſuis diſcipulis omnino tradant (3). Curent præterea, ut Miſſæ ſacrificio, qua par eſt, modeſtia, ac reverentia, iidem quotidie interſint; ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta ſemel ſaltem ſingulis menſibus, & ſollemnioribus anni feſtivitatibus devote accedant; Deiparamque Virginem a teneris annis impenſe colere aſſueſcant (4).

Quotidianas ſcholæ exercitationes pia aliqua oratione inchoent, pariterque concludant ante ſacram aliquam imaginem in Gymnaſio omnino retinendam; ac ſingulis Sabbathis ad-

(1) *Conſtit. VII.* Supernæ diſpoſitionis §. 32.

(2) *Syn. Maſſei ad Decr. 9.*

(3) *Benedict. XIV. Conſtit.* Etſi minime 7. *Febr. 1742. & Inſtit. 9. n. 13. 14. & in Edict. impreſſ. in App. Syn. Maſſei pag. 21. Syn. de Comit. tit. 34. c. 3. Mantinſ. p. 1. c. 2. n. 3.*

(4) *De Comit. loc. cit. De Aſte decr. 29.*

addant litanias Beatæ Mariæ Virginis (1), piamque aliquam hortationem, quæ inſtituendis moribus, ac informandis ad pietatem animis conducat (2).

Sedulo invigilent, ne pueri, & adoleſcentes turpia, ac inhoneſta obloquantur, multoque minus perpetrent. Libros non modo nominatim vetitos ſub quovis prætextu eis ne interpretentur, aut ab illis legi patiantur, ſed neque etiam alios, quibus obſcœna, aut turpia contineantur (3). Chriſtianam denique illis inſtitutionem tum verbo, tum optimis exemplis diligentiſſime procurent.

Quod attinet ad fæminas, nulli earum liceat ſcholam muliebrium artium, ſive litterarum aperire, aut docendi munus in iiſdem aſſumere ſine prævio examine, & approbatione Parochi, in cujus Paræcia ſchola eſt aperienda. Nullam autem Parochus approbet, quæ ad puellas bonis moribus inſtituendas, & ad docenda fidei rudimenta ſatis idonea non exiſtimetur (4). Debent enim & ipſæ ſemel ſaltem in hebdomada pio huic exercitio vacare, atque inter litterarum, artiumque inſtitutiones, ea admiſcere, quæ ad puellas in chriſtiana pietate informandas ſunt opportuna (5). Qua in re exemplo eis ſint piæ illæ probatæque mulieres, quæ puellarum magiſterio ex inſtituto præficiuntur (6).

Poſtremo Vicariis noſtris Foraneis, ac Parochis mandamus, ut puerorum, & puellarum ſcholas interdum inviſant, ac ſedulo explorent, utrum juſſa noſtra perficiantur: ſi quid vero noſtra providentia indigeat, nobis referant (7).

(1) *De Comit. ibid. c.5.*

(2) *Vide de Comit. c.1. & Mancin. ll. cit.*

(3) *Regul.7. Indicis lib. prohib. Acta Mediol. loc. cit. pag.2. de Comit. c.4. Mancinſ. p.3. c.6. num.2.*

(4) *De Aſte decr.9. Benedict.XIV. Inſtit. 9. num.14.*

(5) *De Aſte decr.29. Mancinſ. p.1. c.2. n.3.*

(6) *Vide Maffei ad Decr.29.*

(7) *Vide Bened.XIV. loc. cit. Synod. Civitatis Caſtellanæ 1756. tit.4. c.2. n.17.*

TITULUS X.

De Eleemoſynarum Collectoribus.

NE in colligendis fidelium eleemoſynis, quæ in pias cauſas erogantur, illi rurſus ſuboriantur abuſus, ad quos eliminandos Tridentina Synodus (1) Quæſtorum eleemoſynarum nomen, ac munus penitus abolevit; nemini licere volumus in hac noſtra Civitate, & Diœceſi eleemoſynas in quemlibet pium uſum erogandas conquirere, & colligere ſine noſtræ Epiſcopalis Curiæ ſcripta licentia (2), in qua conditiones, & regulæ præſcriptæ erunt, quæ habentur in decreto Urbani VIII. a Benedicto XIV. commemorato (3). Fœminis vero hujuſcemodi munus penitus interdicimus.

Capſulæ item ad piam fidelium ſtipem colligendam in Eccleſiis Sodalitatum, aliiſque ne ſtatuantur, aut circumferantur ſine noſtro conſenſu (4). Eo autem accedente, duabus occludantur clavibus, quarum alteram Perſona eccleſiaſtica a nobis deputanda ſemper retinebit: nec aperiantur, niſi præſentes adſint, qui claves ſervandas acceperunt, & tunc collecta pecunia in libro fideliter notetur cum eorumdem ſubſcriptione (5).

Regulares Ordinum Mendicantium, qui in hac Diœceſi noſtra Monaſterium habent conſtructum, ſi eleemoſynas quærant non per alios, quam per ſui Ordinis Religioſos, aut Oblatos, noſtra non egent licentia. Si tamen extra locum, ubi ſitum eſt Monaſterium, quæritent per Diœceſim, tenentur nobis Superiorum ſuorum licentiam oſtendere. Quod ſi nullum habeant in noſtra Diœceſi Conventum, aut ſi habeant,

non

(1) *Seſſ. 21. c. 9. de Ref.*

(2) *Decr. Urbani VIII. 12. Julii 1644. apud Giraldi Expoſ. Jur. Pont. p. 2. ſect. 61. Syn. de Comit. tit. 35. c. 4. Mancinſ. p. 3. c. 5. n. 4.*

(3) *Decr. Urbani VIII. cit. Bened. XIV. Conſtit.* Quamvis juſto *30. April. 1749. §. 10.*

(4) *Bened. XIV. Inſtit. 105. n. 131.*

(5) *Idem Inſtit. 54. n. 16. & Inſtit. 72. n. 28. Syn. de Comit. tit. 22. c. 5.*

non pro illo, ſed pro exteris Monaſteriis quæritare voluerint, id eis nequaquam licebit ſine noſtra facultate, quam nonniſi in ſcriptis, & ex juſta cauſa impertiemur (1).

Vicariis foraneis, Parochiſque ruralibus præcipimus, ut nemini permittant eleemoſynas conquirere, qui ſcriptam ut ſupra Curiæ noſtræ licentiam non habuerit, invigilentque, ut conditiones in ea appoſitæ omnino ſerventur (2).

Caveant Eccleſiarum tum ſæcularium, tum Regularium Rectores, ne in colligendis intra Eccleſiam eleemoſynis quidquam fiat, quo debita Templis reverentia lædatur, aut fidelium turbetur devotio: præſertim ne capſulæ circumducantur, cum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebratur, ſive cum ſanctiſſima Euchariſtia fidelibus miniſtratur, aut cum eadem publicæ adorationi eſt expoſita (3). Nemini pariter liceat in Templorum foribus, aut alibi, operta ac velata præ pudore facie, eleemoſynas petere, niſi id ei fuerit ex urgenti aliqua cauſa a nobis permiſſum (4).

Confraternitates demum, aliæve perſonæ, quibus facta fuit facultas eleemoſynas conquirendi, noverint, ſe ad geſtæ adminiſtrationis rationem nobis, aut Deputatis noſtris reddendam teneri (5).

(1) *S. C. C., & Epiſc. ſæpius apud Ferraris* V. Eleemosyna *n.35. ſeqq. Syn. de Comit. tit.35. c. 2.*

(2) *Syn. Mancinſ. loc. cit.*

(3) *Conſtit. S. Pii V. §.5. Acta Eccleſ. Mediol. pag.438. col.1. Mancinſ. loc. cit. n. 5. Syn. Fulgin. 1722. c. 18. n. 6.*

(4) *Acta Mediol. pag. 197. §.* Nemo operta.

(5) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. de Ref. c. 9. S. C. C. in Nucerina 19. Aug. 1579. Mancinſ. loc. cit. n. 4.*

PARS



P A R S I I.

De rebus ſacris, aut piis.

T I T U L U S I.

De Sacramentis in genere.

POST exactum de perſonis, abſolutumque ſermonem, primo a nobis loco inſtitutum, æquum eſt, ut de ſacris, piiſque rebus verba nunc habeantur, quæ ad eas pertinent, illaſque cominus conſectantur. Quia vero inter res ſacras primum locum obtinent illi gratiarum fontes, qui de aperto Chriſti latere profluxerunt ad irrigandam Eccleſiam ſuam, Sacramenta videlicet novæ legis: de iis modo acturi, illud Sacerdotibus omnibus in memoriam revocamus, qui ab iiſdem hauriri poſſunt, uberrimos fructus, ex fideli eorum diſpenſatione, quæ immenſa divini amoris largitate Sacerdotibus ipſis concredita eſt, haud minima ex parte pendere. Merito igitur inter eos libros, quos ſacri Canones a Sacerdotibus perlegi, & addiſci voluerunt, enumeratur primum *liber*

Sa-

Digitized by Google

Sacramentorum (1). Librum hunc hodie habemus in Rituali Romano, ubi omnia, quæ in Sacramentorum diſpenſatione obſervanda ſunt, dilucide, & accurate deſcribuntur, iis dumtaxat exceptis, quorum diſpenſatio pertinet ad Epiſcopos. Nihil itaque utilius eſſe nos acturos confidimus, quam ſi in hoc Titulo *de Sacramentis in genere*, & in ſubſequentibus *de Baptiſmo*, *Euchariſtia*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctione*, *& Matrimonio*, Ritualis Romani doctrinam iiſdem ipſis ejus verbis exponamus; aliqua tantummodo opportunis locis addentes, ex Deceſſorum noſtrorum decretis plerumque deprompta, quæ doctrinam eamdem, attenta potiſſimum hujus Diœceſis noſtræ indigentia, atque utilitate, uberius explicare videantur.

Igitur ab his, quæ inibi ſub titulo primo *de iis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*, initium ducimus.

Quum in Eccleſia Dei nihil ſanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis ſalutem a Chriſto Domino inſtituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum adminiſtratio pertinet, meminiſſe in primis debet, ſe ſancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis officium paratum eſſe oportere.

Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caſte, pieque vitam agat; nam, etſi Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſunt, neque a pravis miniſtris eorum effectus impediri; impure tamen, & indigne ea miniſtrantes æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſit), ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat; ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.

M *Qua-*

(1) *Can.* Quæ ipſis 5. *diſt.* 38.

Quacumque diei, ac noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabitur, nullam officio ſuo præſtando (præſertim ſi neceſſitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum ſæpe, prout ſeſe offeret occaſio, præmonebit, ut, quum ſacro miniſterio opus fuerit, ſe quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuſcumque incommodi habita ratione.

Ipſe vero, antequam ad hujuſmodi adminiſtrationem accedat, paululum, ſi opportunitas dabitur, orationi, & ſacræ rei, quam acturus eſt, meditationi vacabit, atque ordinem miniſtrandi, & cæremonias pro temporis ſpatio prævidebit, & perleget.

In omni Sacramentorum adminiſtratione ſuperpelliceo ſit indutus, licet Canonicus ſit, aut alias uſum Rocchetti habens (1), *& deſuper ſtola ejus coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit, niſi in Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando occaſio, vel conſuetudo, vel locus interdum aliter ſuadeat.* Numquam porro ſuperpelliceum induat ſuper non talarem veſtem, niſi forte ex longioris per Diœceſim itineris aſperitate, quum ad infirmos Viaticum deferri contigerit, non leve a talari veſte timeatur incommodum; tunc enim breviorem indulgemus, quæ tamen non multum differat a talari (2).

Adhibebit quoque unum ſaltem, ſi habeat, vel plures Clericos, prout loci, & Sacramenti ratio poſtulabit, decenti habitu, & ſuperpelliceo pariter indutos.

Curabit etiam, ut ſacra ſupellex, veſtes, ornamenta, linteamina, & vaſa miniſterii integra, nitidaque ſint, & munda.

In Sacramentorum adminiſtratione, eorum virtutem, uſum, ac utilitatem, & cæremoniarum ſignificationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex Sanctorum Patrum, & Catechiſmi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit. Idipſum præſtabit ſæpe ab Altari in parochiali Miſſa, diſpoſitiones præſertim accurate enucleando, quæ ad ea rite ſuſcipienda

(1) *S. Rit. Cong. 12. Julii 1628. in una Urbis.* (2) *Syn. de Aſte Decr. 11. Buſſi p. 2. c. 1. n. 2.*

da requiruntur, ac potiſſimum ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta , quorum frequentem , ac rectum , piumque uſum populo ſuadebit .

Dum Sacramentum aliquod miniſtrat , ſingula verba , quæ ad illius formam , & miniſterium pertinent , attente , diſtincte , & pie , atque clara voce pronuntiabit . Similiter & alias orationes , & preces devote ac religioſe dicet : nec memoriæ , quæ plerumque labitur , facile confidet , ſed omnia recitabit ex libro . Reliquas præterea cæremonias , ac ritus ita decenter , gravique actione peraget , ut adſtantes ad cæleſtium rerum cogitationem erigat , & attentos reddat . Novis , qui in adjutorium aſſumuntur , Cappellanis , non permittat Parochus Sacramenta miniſtrare , niſi pluries ſibi ipſi prius adſtiterint miniſtranti; quum vero ſimilia exercere cæperint , ſub ejuſdem Parochi oculis ſemel , atque iterum id fieri mandamus , antequam liberum in re tam gravi exercitium proſequantur . Quam Parochi aſſiſtentiam adhibendam etiam iis volumus , quos debita cum licentia in ipſius Paræcia Sacramentum aliquod pariter miniſtrare contigerit , niſi de eorum peritia dubitari omnino nequeat (1) .

Ad miniſtrandum procedens , rei , quam tractaturus eſt , intentus ſit , nec de iis , quæ ad ipſum non pertinent , quicquam cum alio colloquatur , in ipſaque adminiſtratione actualem attentionem habere ſtudeat , vel ſaltem virtualem cum intentione faciendi , quod in eo facit Eccleſia .

Illud porro diligenter caveat , ne in Sacramentorum adminiſtratione aliquid quavis de cauſa , vel occaſione , directe , vel indirecte exigat , aut petat , ſed ea gratis miniſtret , & ab omni ſimoniæ , atque avaritiæ ſuſpicione , nedum crimine , longiſſime abſit . Si quid vero nomine eleemoſynæ , atque devotionis ſtudio , peracto jam Sacramento , ſponte a Fidelibus offeratur , id licite pro con-

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 3.*

conſuetudine locorum accipere poterit, niſi aliter Epiſcopo videatur. In actuali igitur Sacramentorum adminiſtratione nullus fiat eleemoſynarum etiam ſponte oblatarum quæſtus, aut collectio (1). Peracto vero Sacramento, quoniam in hac Diœceſi, ſicut & in pleriſque aliis, viget conſuetudo aliquid Parocho offerendi in celebratione Matrimonii, id ab eo recipi oblatum (non vero peti, aut exigi) permittimus. In Baptiſmo autem præter linteolum, & candelam, nihil omnino, ſicut & in cæteris Sacramentis, recipi volumus (2).

Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non miniſtrabit, niſi neceſſitatis cauſa, vel de licentia Parochi, ſeu Ordinarii.

Omnes autem, qui Sacramenta ſuſcipiunt, loco, & tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, & habitu, actuque indecenti, pie, ac devote Sacramentis interſint, & ea, qua par eſt, reverentia ſuſcipiant. Viros itaque nonniſi baculo, atque enſe, & armis quibuſcumque depoſitis (3); mulieres vero modeſto, humilique ornatu, ac velato capite ad Sacramenta (4) permittat accedere.

TITULUS II.

De Baptiſmo.

SAcrum Baptiſma (5) *chriſtianæ Religionis, & æternæ vitæ janua, quod inter alia novæ legis Sacramenta a Chriſto inſtituta primum tenet locum, cunctis ad ſalutem neceſſarium eſſe ipſa Veritas teſtatur illis verbis*: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei (Joan.3.) *Itaque ſumma ad illud opportune, riteque adminiſtrandum, ac ſuſcipiendum diligentia adhibenda eſt.*

Quum

(1) *Syn. de Comit. tit. 3. c. 5.*
(2) *Syn. de Aſte Dec. 2.*
(3) *Syn. Tuſcul. 1763. p. 3. c. 6. n. 4.*
(4) *Syn. Mancinf. p. 1. c. 3. num. 2. Tuſcul. loc. cit.*
(5) *Rit. Rom. tit. 2. c. 1.*

Quum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia ſint de jure divino abſolute neceſſaria, ut materia, forma, miniſter; alia ad illius ſollemnitatem pertineant, ut ritus, ac cæremoniæ, quas ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptas, & approbatas, niſi neceſſitatis cauſa, omittere non licet, de iis aliqua præmonenda ſunt, ut ſacrum hoc miniſterium rite, ac ſancte peragatur.

De materia Baptiſmi.

AC primum intelligat Parochus, quum hujus Sacramenti materia ſit aqua vera, ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi poſſe.

Aqua vero ſollemnis Baptiſmi ſit eo anno benedicta in Sabbatho ſancto Paſchatis, vel Sabbatho Pentecoſtes, quæ in fonte mundo nitida, & pura diligenter conſervetur; ideoque proderit, ut ſæpe a Parocho agitetur (1): *& hæc, quando nova benedicenda eſt, in Eccleſiæ, vel potius Baptiſterii ſacrarium effundatur.* Qui benedictionem baptiſmalis Fontis in Sabbatho etiam Pentecoſtes prætermiſerit, pœnam aurei unius in ultima Synodo ſtatutam ſubibit (2), quæ pecunia in pauperes Parochiæ diſtribuetur.

Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur.

Sed ſi aqua conglaciata ſit, curetur, ut liquefiat; ſin autem ex parte congelata ſit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere aquæ baptiſmali in vaſculo ad id parato, & ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

De

(1) *Syn. Fulgin. 1722. c. 7. n. 25.* (2) *Syn. Mancinf. p. 2. c. 1. n. 3.*

De forma Baptiſmi.

QUoniam Baptiſmi forma his verbis expreſſa: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *omnino neceſſaria eſt; ideo eam nullo modo licet mutare; ſed eadem verba uno & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda ſunt.*

Latinus Presbyter latina forma ſemper utatur. Quum Baptiſmum iterare nullo modo liceat, ſi quis ſub conditione (de quo infra) ſit baptizandus, ea conditio explicanda eſt hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c. *Hac tamen conditionali forma non paſſim, aut leviter uti licet, ſed prudenter, & ubi re diligenter perveſtigata, probabilis ſubeſt dubitatio, infantem non fuiſſe baptizatum.* Quare quum imminente mortis periculo infans fuerit domi baptizatus, Parochus de validitate collati Baptiſmi omni, qua poterit, diligentia inquirat. Quod ſi nulla de ea occurrit prudens ratio dubitandi, non eſt Baptiſmus ne ſub conditione quidem iterandus; & qui ſecus ageret, ex Catechiſmi Romani, & S. Caroli ſententia ſacrilegii reatum, & irregularitatis notam non evaderet (1). Si vero diligenti examine peracto, prudens aliquod dubium relinquitur, Baptiſmus conferatur ſub conditione. In difficilioribus tamen caſibus nos, aut Vicarium noſtrum Parochus conſulat (2).

Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem; primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno & eodem tempore, quo verba proferuntur, & idem ſit aquam adhibens, & verba pronuntians.

Ubi

(1) *Cathechiſ. Rom. hoc Tit. Acta Eccleſiæ Mediol. pag.497. col. 2. Vide Bened. XIV. Inſtit.8. & 84. & de Syn. lib.7. c. 6. Syn. Mancinſ. loc.cit. n.2.*

(2) *Syn. Mancinſ. loc. cit.*

Ubi vero Baptiſmus fit per infuſionem aquæ (uti fert noſtræ hujus Diœceſis conſuetudo, quam retineri omnino mandamus) *cavendum eſt, ne aqua ex infantis capite in fontem, ſed vel in ſacrarium Baptiſterii prope ipſum fontem extructum defluat, aut in aliquo vaſe ad hunc uſum parato recepta, in ipſius Baptiſterii, vel in Eccleſiæ ſacrarium effundatur.*

De Miniſtro Baptiſmi.

Legitimus quidem Baptiſmi Miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel Ordinario loci delegatus. Per ſe ipſum Parochus curet hoc Sacramentum adminiſtrare; quod ſi legitimo impedimento detentus ſit, ſuo Cappellano Curato, ſeu alteri Parocho id munus committat (1). Cæteris Sacerdotibus ſæcularibus, aut Regularibus Baptiſmum extra neceſſitatis caſum conferre, juxta decretum ultimæ Synodi, prohibemus, niſi licentia noſtra, aut Vicarii noſtri acceſſerit (2). *Sed quoties infans, aut adultus verſatur in vitæ periculo, poteſt ſine ſollemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, ſive clerico, ſive laico, etiam excommunicato, ſive fideli, ſive infideli, ſive catholico, ſive hæretico, ſive viro, ſive fœmina, ſervata tamen forma, & intentione Eccleſiæ.*

Sed ſi adſit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, & vir fœminæ, niſi pudoris gratia deceat fœminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel niſi melius fœmina ſciret formam, & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præſertim obſtetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant, & ſervent. Id aſſequetur, ſi tum in parochialibus concionibus, tum in rudimentis Fidei explicandis edoceat populum ſæpe de iis, quæ ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinent (3). De obſte-

(1) *Syn. de Aſte Decr. 2.*
(2) *Syn. Mancinſ. loc. cit. n. 1.*
(3) *Syn. Buſſ p. 2. c. 2. n. 4. Mancinſ. loc. cit.*

ſtetricibus autem cum prædeceſſoribus noſtris (1) id mandamus, ut antequam hoc munere fungi incipiant, in examen vocentur, in Civitate quidem coram Vicario noſtro generali, per Diœceſim vero coram Foraneis, a quibus ſi idoneæ repertæ fuerint, licentiam in ſcriptis exercendi ad annum munus ſuum reportabunt (2). In ea licentia onus illis injungi volumus, monendi ſemper Parochum de recens nata prole, ut in §. ſequenti. Potiſſimum vero in examine interrogandæ erunt de materia Baptiſmi, de forma, quam, ne ex latini ſermonis imperitia in errorem aliquem labantur, italice pronunciabunt in hæc verba = Io ti battezzo in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo = (3) & qua ratione, cum materia traditur, verba pronunciari oporteat cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; de eventibus etiam, qui in Rituali recenſentur, & præcipue de iis, qui in §. ſequenti continentur. Monebuntur, ut ante omnia, cum ad obſtetricandum vocantur, vaſculum aquæ parent, immo conſultius fore, ut ſpongiam etiam ſecum deferant (4); quod etiam præſtabunt, dum baptizandum infantem, cum iter longius eſt, ad Eccleſiam comitantur (5). Præfata licentia, examine repetito, quotannis confirmanda erit (6), ſine qua ſi Obſtetrix aliqua munus ſuum exercere audeat, Parochis diſtricte mandamus, ut illam nobis denuncient gravibus arbitrio noſtro plectendam pœnis.

Pater, aut Mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii uſum impediat.

De

(1) *De Comit. loc.cit. c.2. Mancinſ. loc.cit.*
(2) *De Aſte loc.cit.*
(3) *Vide de Comit. loc.cit. Syn. Tuſcul. 1763. p.3. c.7. n.7. aliæque.*
(4) *De Aſte loc.cit.*
(5) *Acta Eccleſiæ Mediol. pag. 502. col. 1. §. Cum infans.*
(6) *De Aſte loc.cit. Buſſi loc.cit. n.6.*

De baptizandis Parvulis.

Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, ſive baptizandos, ſive baptizatos quamprimum fieri poterit, & qua decet chriſtiana modeſtia, ſine pompæ vanitate deferant ad Eccleſiam, ne illis Sacramentum tantopere neceſſarium nimium differatur cum periculo ſalutis, & ut iis, qui ex neceſſitate privatim baptizati ſunt, conſuetæ cæremoniæ, rituſque ſuppleantur, omiſſa forma, & ablutione. Nos Prædeceſſorum decreta confirmamus, quibus cautum eſt, ut intra triduum infantes ad Eccleſiam deferantur, vel ad recipiendum Baptiſma (1), vel ſi domi urgente neceſſitate privatim baptizati fuerint, ad cæremonias ſupplendas (2). Quod ſi in hoc ſecundo eventu, ob infantis valetudinem (de qua Medici atteſtationem Parochis exhiberi volumus) intra id tempus cæremoniæ ſuppleri non potuerint, cum primum licuerit, id omnino fieri mandamus (3). Contrafacientes tam baptizandorum parentes, quam conniventes Parochi, graviſſimis a nobis pœnis, & in ſubſidium etiam excommunicationis (4) coercebuntur. Obſtetricibus vero ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis præcipimus, ut poſtquam parienti opitulatæ fuerint, Parochum de nata prole confeſtim reddant certiorem (5).

Nemo in utero matris clauſus baptizari debet; ſed ſi infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur; & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus eo modo, quo ſupra dictum eſt: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c. *Si vero*

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 3. Mancinf. n. 2.*
(2) *Buſſi loc. cit. n. 3.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Ibidem, & de Comit. loc. cit.*
(5) *Buſſi loc. cit. n. 5.*

ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco ſacro ſepeliri.

Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac ſi vivus fuerit, baptizetur; ſi fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco ſacro ſepeliri non debet.

Infantes expoſiti, & inventi, ſi re diligenter inveſtigata, de eorum Baptiſmo non conſtat, ſub conditione baptizentur. Quamvis collo appenſam gerant ſchedulam atteſtantem eos fuiſſe baptizatos, ſunt denuo ſub conditione baptizandi, niſi certa habeatur notitia perſonæ, a qua ſchedula ſit exarata, aut aliunde indubitatum deſumatur indicium Baptiſmatis rite eiſdem collati (1). Quod præcipue advertere debet Cappellanus Hoſpitalis Projectorum ſub titulo *SSmæ Annuntiatæ*; qui etiam, quoniam in Eccleſia, apud quam reſidet, Baptiſterium habetur, omnia in hoc Titulo ſtatuta obſervare tenetur. Quod ſi forte contingat, infantes hujuſmodi ad prædictum Hoſpitale tranſmitti a Parochis ruralibus, ipſi antea eos rite baptizent, & de collato Baptiſmo authentice Cappellanum eumdem edoceant (2).

In monſtris baptizandis, ſi caſus eveniat, magna cautio adhibenda eſt, de quo ſi opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii Periti conſulantur, niſi mortis periculum immineat. Interim vero regulæ in ipſo Rituali hic traditæ, exacte obſerventur.

De Patrinis.

PArochus, antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos ſpectat, exquirat diligenter, quem, vel quos ſuſceptores, ſeu Patrinos elegerint, qui infantem de ſacro Fonte ſuſcipiant, ne plures, quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat.

Pa-

(1) *S. C. C. 15. Jan. 1724. Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 7. c. 6. n. 5. Syn. de Aſte loc. cit.*
(2) *Syn. Baſſi p. 3. c. 2. n. 17.*

Patrinus unus tantum ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus, & una adhibeantur ex decreto Concilii Tridentini. Præter hos nemo alius, quocumque tandem nomine nuncupetur (1); *ſed ſimul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque baptizandi Pater, aut Mater*.

Hos autem Patrinos ſaltem in ætate pubertatis, ac ſacramento Confirmationis conſignatos eſſe maxime convenit. Impuberes itaque, & nondum confirmatos Patrini munus obire vetamus (2).

Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non eſſe admittendos infideles, aut hæreticos. (aut Græcos, alioſque Orientales, qui Fidei profeſſionem in Curia noſtra non emiſerint), *non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminoſos*, & qui in Paſchate non communicaverint, *aut infames, nec præterea qui ſana mente non ſunt, nec qui ignorant rudimenta Fidei: hæc enim Patrini ſpirituales filios ſuos, quos de Baptiſmi fonte ſuſceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur*. Parochorum igitur erit, de hac eorum obligatione (3) Patrinos edocere, tum in parochialibus ſermonibus, tum pro temporis opportunitate in ipſa Sacramenti adminiſtratione.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſvis Ordinis Regulares a ſæculo ſegregati. Clerici item, præſertim in ſacris Ordinibus conſtituti (4), vel eccleſiaſticum Beneficium poſſidentes, niſi licentiam noſtram obtinuerint.

De tempore & loco adminiſtrandi Baptiſmi.

QUamvis *Baptiſmus quovis tempore, etiam interdicti, & ceſſationis a divinis, præſertim ſi urgeat neceſſitas, conferri poſſit; tamen duo potiſſimum ex antiquiſſimo Eccleſiæ ritu ſacri*

 ſunt

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 4. ibi*: Non licet Patrinos eligere vulgo dictos della Coppola.

(2) *Ibidem c. 7.*

(3) *De Aſte loc. cit.*

(4) *De Comit. loc. cit. c. 7. Mancinf. loc. cit. num. 1.*

ſunt dies, in quibus ſollemni cæremonia hoc Sacramentum adminiſtrari maxime convenit; nempe Sabbatum ſanctum Paſchæ, & Sabbatum Pentecoſtes, quibus diebus baptiſmalis fontis aqua rite conſecratur. Quem ritum, quatenus fieri commode poteſt, in adultis baptizandis, niſi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Eccleſiis. Præter Cathedralem noſtram, & baptiſmales Eccleſias, benedictionem Fontis præfatis diebus a Rubricis præſcriptam, etiam ſine infuſione ſacrorum oleorum, in cæteris Eccleſiis penitus interdicimus (1).

Ac licet urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit Fons baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam. Itaque neceſſitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet. Nullus autem neceſſitatem effingens, ad differendas ob privatos fines Baptiſmi cæremonias, audeat domi, citra verum mortis periculum, infantem baptizare, ſub excommunicationis, aliiſque arbitrio noſtro tam contra baptizantes, quam baptizatorum parentes infligendis pœnis (2).

Baptiſterium ſit decenti loco, & forma, materiaque ſolida, & quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, & cancellis circumſeptum, ſera, & clave munitum, atque ita obſeratum, ut pulvis, vel aliæ ſordes intro non penetrent; in eoque, ubi commode fieri poteſt, depingatur imago S. Joannis Chriſtum baptizantis.

De ſacris Oleis, & aliis requiſitis.

SAcrum Chriſma, & ſanctum Oleum, quod & Cathecumenorum dicitur, quorum uſus eſt in Baptiſmo, eodem anno ſint ab Epiſcopo de more benedicta feria V. in Cœna Domini. Huic benedictioni, ut alias ediximus (3), aſſiſtant Parochi omnes Civita-

(1) *S. R. C. 13. Julii 1597. in Januen.*
(2) *Syn. Buſſi p. 2. c. 2. n. 3.*
(3) *Edict. noſtr. 22. Apr. 1771. S. C. C. in Aquilana 3. Febr., & 3. Martii 1725.*

tatis, Cappellanus Hoſpitalis beatæ Virginis Annuntiatæ, cæterique Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui pro aſſiſtentia hujuſmodi ad præſcriptum Pontificalis Romani deſcripti erunt in tabella quotannis exaranda, & in Eccleſia noſtra Cathedrali patenti loco pro dirigendis functionibus majoris hebdomadæ affigenda. Clerici omnes in Subdiaconatus, aut Diaconatus ordine conſtituti, in ea deſcribentur, ut hoc pacto etiam in exercitio ſint ſuſceptorum Ordinum. Singuli ex deſcriptis paramenta albi coloris ſuo Ordini convenientia ſecum deferre, & perſonaliter intereſſe debebunt, nec, niſi ex legitima cauſa a nobis probanda, alteri ſuas vices poterunt committere. Contrafacientes vero pœnam in eadem tabella expreſſam ſubibunt.

Curet Parochus, ut ea ſuo tempore quamprimum habeat, & tunc vetera in Eccleſia comburat. A Cathedrali autem noſtra ea omnino accipienda ſunt, etiam a Regularibus, minime vero ab alienis Epiſcopis (1).

Veteribus oleis, niſi neceſſitas cogat, ultra annum non utatur: ac ſi deficere videantur, & Chriſma, aut Oleum benedictum haberi non poſſit, aliud Oleum de olivis non benedictum adjiciatur, ſed in minori quantitate.

Chriſma, & Oleum ſacrum ſit in ſuis vaſculis argenteis, aut ſaltem ſtanneis bene obturatis, quæ vaſcula ſint inter ſe diſtincta, & propriam unumquodque inſcriptionem habeat majuſculis litteris inciſam, ne quis error committatur.

Ad uſum vero quotidianum minora habeantur vaſcula ex argento, ſi fieri poteſt, aut ſtanno, ſive ſeparata, ſive etiam conjuncta, apte tamen diſtincta, & bene cooperta, & cum ſuis inſcriptionibus, ut ſupra, ne Parochus aberret, & unum pro altero ſumat, quod cavere debet diligenter.

In

(1) *Bened. XIV. Inſtit. 81. n. 2.*

In ea igitur ex majoribus vaſculis Chriſmatis, & Olei, quod ſufficiat, infundatur: atque ut effuſionis periculum caveatur, commodum erit in his vaſculis bombacium, ſeu quid ſimile habere, Oleo ſacro, & Chriſmate ſeparatim perfuſum, in quæ pollex, cum opus eſt, ad inungendum immittatur.

Hæc vaſcula ita parata in loco proprio, honeſto, ac mundo, ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur, ne ab aliquo, niſi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis ſacrilege quiſquam abuti poſſit. In Ecclesia ea vaſcula ſervari mandamus (1), grandiora quidem in cellula prope Altare majus conſtructa, quæ intrinſecus oloſerico, aut alias decenter ornetur, extrinſecus in oſtiolo bene obſerato hanc habeat inſcriptionem: *Sacra Olea* (2); minora autem vel in eadem cellula, vel prope Baptiſterium, prout commodius videbitur.

Parochus, quantum fieri poteſt, curet, ne per laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ Miniſtrum hæc Olea deferantur. Provide idcirco a Prædeceſſoribus noſtris (3) ſtatutum fuit, ut ad ea quotannis a Cathedrali Eccleſia ſumenda Sacerdotes mittantur, aut maturæ ætatis Clerici in ſacris Ordinibus, ſi fieri poteſt, conſtituti; nullatenus vero laici, ac multo minus mulieres ſub trium aureorum pœna. Ii vero tria vaſcula munda (quoniam quæ hucuſque de Chriſmate, & de Oleo cathecumenorum, quorum tantum uſus eſt in Baptiſmo, dicta ſunt, extendi debent & ad oleum infirmorum) in decenti capſula bene obſerata ad id deferant, & ſacra obtenta Olea nemini, niſi proprio, a quo miſſi fuerint, Parocho tradant. Quæ decreta auctoritate etiam noſtra roboramus. *Caveat item, ne de iis quicquam ulli umquam tribuat cujuſvis rei prætextu.*

Sal

(1) *Syn. de Comit. ti. 9. c. 3.*
(2) *De Comit. loc. cit.*
(3) *Syn. Buſſi p. 3. c. 2. num. 9. Maſſei ad Decr. 6.*

Sal, quod in os baptizandi immittendum eſt, ſit benedictum ſua peculiari benedictione, quæ infra præſcribitur; neque utatur ſale exorcizato ad benedicendam aquam, ſitque prius bene confractum, & attritum, ſiccum, ac mundum. Sal item benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, ſed ad alios baptizandos ſervetur, aut in ſacrarium abjiciatur. Non permittat igitur Parochus, ut domum a ſæcularibus deferatur, præterea neque cereus, ſeu candela, vel bombacium ſacro Oleo tinctum, aut linteolum, ſed penes ſe omnia retineat (1).

Enumerat deinde Rituale ea omnia, quæ in promptu eſſe debent, cum Baptiſma jamjam adminiſtrandum eſt; inter quæ duo tantum operæ pretium eſt hic recenſere: *Vaſculum nempe, ſeu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum ad aquam Baptiſmi fundendam ſupra caput baptizandi, quod nulli præterea alii uſui deſerviat: & pelvim, ſeu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, niſi ſtatim in ſacrarium defluat*.

De ordine adminiſtrandi Baptiſmi.

Omnibus igitur opportune paratis, proſequitur Rituale, *Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus accedat: Clericum unum, ſeu plures, ſi poteſt, ſecum adhibeat, ſuperpelliceo pariter indutos, qui ſibi miniſtrent*.

Ita paratus accedat ad limen Eccleſiæ, ubi foris expectant, qui infantem detulerunt. Parochis in Concilio Romano anni 1725 (2) diſtricte præcipitur, ut ritum hunc omnino ſervent, baptizandorum Cathechiſmum ad Eccleſiæ januam peragentes; idemque & nos mandamus cum cl. me. Cardinali Buſſi Prædeceſſore noſtro (3); niſi, ut ipſe inquit, notabile ex eo ritu,

(1) *Syn. de Comit. tit. 4. c. 9. Syn. Tuſcul. 1763. p. 3. c. 7. n. 16.*

(2) *Conc. Rom. tit. 26. c. 3.*

(3) *Syn. Buſſi p. 2. c. 2. n 3.*

ritu, & non mere imaginarium, infanti incommodum timeatur.

Interroget (*niſi de his bene ſibi conſtet*), *an ſit ſuæ Parochiæ, maſculus, an fœmina, an ſit domi baptizatus, & a quo, & quam rite* (juxta ea, quæ ſupra tradita ſunt), *& qui ſint Compatres, qui infantem teneant, pro eoque reſpondeant; quos pie, ac decenter aſſiſtere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes reſpondere admoneat*; id enim ad eos omnino, & non Obſtetrices pertinet.

Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Chriſtum regenerandis, & in ejus militiam adſcribendis, nomen imponitur, curet, ne obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur, ſed potius, quatenus fieri poteſt, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, & patrociniis protegantur. Parentes vero moneat, ne ſemel impoſita liberis nomina immutent. Duos præterea germanos Fratres, etſi eorum unus obierit, eodem appellari nomine, ad evitandum in teſtimonialibus erroris periculum, minime patiatur, niſi per alterius nominis additionem unus ab altero diſcriminari queat (1).

His igitur expeditis ..... Parochus ad Baptiſmum procedat, rituſque omnes, qui in Rituali eodem ſubſequenti Capite II. traduntur, exactiſſime obſervet.

Expoſito univerſo Baptiſmi ritu, hæc adjicit Rituale: *Admonendi ſunt ſuſceptores de ſpirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre, & matre, quæ cognatio impedit matrimonium, ac dirimit*.

Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto ſecum ipſi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppreſſionis periculum (illos ſæpe etiam in concionibus parochialibus edocens de

(1) *Syn. Tuſcul. 1763. loc. cit. n. 11. Firmana 1773. lib. 2. c. 2. n. 10. aliæque*.

de hoc caſu nobis reſervato (1) *ſed eum diligenter cuſtodiant, & opportune ad chriſtianam diſciplinam inſtituant.*

Commonendi ſunt etiam parentes, & alii, ſi opus fuerit; ne filios Hebræis, aliiſve infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Eccleſia aſportetur, aut ſuſceptores diſcedant, eorum nomina, & alia de adminiſtrato Baptiſmo ad præſcriptam formam in baptiſmali libro Parochus accurate deſcribat, aut ſaltem in folio notet, in librum quamprimum relaturus; ubi non arithmeticis ſignis, ut ſuperius (2) conſtituimus, ſed litteris per extenſum omnia deſcribantur. Si vero infans vel domi ob imminentis mortis periculum, vel ab alio, quam a Parocho, vel ſub conditione ſit baptizatus, aut ſi fuerit expoſitus, vel ex legitimo matrimonio minime natus, diſtinctas formulas adhibeat in calce Ritualis ipſius expreſſas. Quod ſi Parochus in hujuſmodi deſcriptione negligens fuerit, pecuniaria pœna mulctabitur ſuperius item (3) ſtatuta.

Poſt hæc agitur in Rituali Romano de Baptiſmo adultorum, qui quum ad nos, ut ibidem habetur, deferri debeat, cautumque ſit a Prædeceſſoribus noſtris (4), ut extra neceſſitatis caſum nec a Parocho ipſo, nobis inconſultis, adminiſtretur; eum propterea, cum opus fuerit, parati ſumus nos ipſi ſollemniter conferre, rituſque ſervare omnes a Rituali eodem præſcriptos. Præcipue vero illam ſacri ritus inverſionem minime tolerabimus, quæ in poſtremo Romano Concilio redarguitur, dum *nempe Cathecumeni (5) ad divinum permittuntur accedere lavacrum candida induti Neophytorum veſte, quam tantummodo poſt Baptiſmum tradimus baptizatis (6) in glorioſæ ſignum Reſurrectionis, ad quam homines e ſacro fonte regenerantur, no-*

O *væ-*

(1) *Syn. de Comit. tit.4. c.8.*
(2) *P.1. tit.4.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Syn. de Comit. tit.4. c.6.*
(5) *Conc. Rom. tit.26. c.2.*
(6) *Can.* Poſt Baptiſmum, & *can.* Accepiſti *diſt.4. de conſecr.*

vœque vitæ innocentiam ſignificandam , *quam poſt veteres ablutas maculas ſervare debent immaculatam* , *ante Chriſti Tribunal perferendam* : illudque cavebimus , *ne quod fidelibus* , ut ibidem ſequitur , *ab Eccleſia myſtice traditum eſt ad ſalutem* , *pompæ ſerviat*, *& vanitati* .

Et quoniam in hac Urbe noſtra Hebræis libere morari permiſſum eſt , ſervanda accurate edicimus circa eorum tam adultorum, qui chriſtianam Fidem complectuntur , quam infantium Baptiſma , quæ ſapienter tradidit ſanctæ memoriæ Benedictus XIV. in epiſtola ad Urbis Viceſgerentem (1), atque in altera ad Romanæ Inquiſitionis Aſſeſſorem (2) . Exactam quoque urgemus obſervantiam Conſtitutionis ejuſdem Pontificis (3), qua Judæis ad Fidem converſis, & ſacro Baptiſmate ablutis ſeveriſſime interdicitur , ne libellum repudii Uxori, quæ in hebraica pervicacia remanet , judaico more concedant ; atque præſcribitur conſueta interpellatio Conjugi facienda , an velit & ipſa ad Chriſtum converti : Conſtitutionis demum Clementis XI.(4), qua hujuſmodi Neophytorum indemnitati proſpicitur quoad temporalia bona .

Reliquum eſt modo , ut Parochos omnes moneamus , ut cum de hujus Sacramenti admirabili virtute , ac fructu , de cæremoniarum etiam ſignificatione, quibus ex antiquiſſima traditione in ejus collatione utitur Eccleſia , verba ad populum faciunt ; quemadmodum in ſuperiori Titulo de Sacramentis in univerſum ab eis ſæpius præſtari debere ex Rituali tradidimus ; communem facere ſuis hortationibus ſatagant laudabilem illam nonnullorum praxim , qui veterum Chriſtianorum exempla imitati , orationibus , gratiarum actionibus , præcipuiſque pietatis operibus recolunt anniverſarium illum diem , quo eruti per lavacrum regenerationis de poteſtate te-

ne-

(1) *Edita die* 28. *Febr.* 1747.
(2) 15. *Dec.* 1751.
(3) *Conſtit.* Apoſtolici 16. *Sept.* 1747.
(4) *Conſtit.* Propagandæ 8. *Mart.* 1704.

nebrarum tranſlati ſunt in Dei lumen, & regnum; ipſum enixe deprecantes, ut gratiæ ſanctificantis donum, quo in Baptiſmate divinæ facti ſunt conſortes naturæ, integrum, illæſumque ejus ope cuſtodiant, aut ſi forte infeliciter amiſerint, per veram pœnitentiam illud quamcitiſſime recuperent (1).

TITULUS III.

De Confirmatione.

POST acceptum ſacrum Baptiſma, quo regeneramur ad vitam, per manus impoſitionem Epiſcopi confirmamur ad pugnam, & qui in Baptiſmo abluti ſumus a peccatorum ſordibus, per ſacrum Chriſma roborati, perfecti Chriſti milites eſſe incipimus. Quamvis autem Confirmationis ſacramentum ejuſmodi neceſſitatem non habeat, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit; monemus tamen Chriſtifideles nobis commiſſos, eos gravis peccati reatu teneri, ſi, cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt (2) Quocirca Parochi, Parentes, Domini, ac Tutores, ne ejuſdem culpæ participes fiant, diligenter curent, ut qui ſibi ſubjecti ſunt, hoc Sacramento, cum fert occaſio, opportune muniantur (3). Quod ſi dubium exurgat, an quis fuerit, nec ne confirmatus, conſulendus erit Epiſcopus (4).

Parochi ſtatim ac diem reſcierint, qua a nobis ſacrum Chriſma erit adminiſtrandum, id populo inter Miſſarum ſollemnia denunciabunt. Curam omnem deinde impendent, ut eos, qui Chriſmate liniendi erunt, per aliquot dies pro illorum capacitate erudiant de ſanctitate, ac virtute hujus Sacramenti, ac de neceſſariis ad illud cum fructu ſuſcipiendum diſpo-

(1) *Syn. Buſſi p.2. c.2. n 9.*

(2) *Bened. XIV. Conſtit.* Etſi Paſtoralis *26. Maji 1742. §.3. n.4. & Inſtit.6. n.10.*

(3) *Idem Inſtit.cit.*

(4) *Inſtruct. Card. de Aſte, ut in Append. Syn. Maſſai pag.3. Buſſi in Append. pag.237.*

diſpoſitionibus (1). Sedulam etiam dent operam, ut omnes prima Fidei rudimenta probe ediſcant, quæque ad Pœnitentiæ ſacramentum rite ſuſcipiendum requiruntur; quod ab adultis Confirmationi præmittendum eſſe inſinuabunt (2).

Non offerantur ad hoc Sacramentum recipiendum, ſine peculiari noſtra facultate, pueri, & puellæ ante ſeptennium (3). Quod ſi quis ſeptennio major hac in Urbe in extremo vitæ periculo verſetur, Parochus nos certiores faciat, ut ei hoc Sacramentum miniſtrare poſſimus; quod etiam præſtare, quoad licuerit, parati ſumus erga pueros ſeptennio minores in ſimili periculo conſtitutos, quoties a parentibus, vel a Parochis fuerimus requiſiti (4).

Nullus ex aliena Diœceſi ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum accedat, niſi ſcriptam habeat proprii Epiſcopi facultatem (5), nec qui hujus Diœceſis ſit, ad aliam ſine noſtra licentia ea de cauſa commigret (6).

Quoniam in Confirmatione etiam Patrini adhibentur, cum quibus eadem ſpiritualis cognatio contrahitur, quique eodem adſtringuntur onere, ac in Baptiſmo, hæc (7) quoad eos obſervari jubemus. Primo. Non plures, ſed unus tantum in Patrinum adhibeatur; atque ita, ut maribus mares, fæminis fæminæ hoc officium præſtent. Secundo. Nemo abſque noſtra licentia plures eodem die, quam duos, tamquam Patrinus, confirmandos præſentet. Tertio. Patrinus ſit ſaltem in ætate annorum quatuordecim, & puero, vel puella confirmanda ſemper natu major. Quarto. Confirmationis Patrinus idem non ſit, ſed diverſus a Patrino Baptiſmi.

(1) *Syn. de Comit. tit.5. De Aſte loc.cit. Buſſi p.2. c.3. & in Append. pag.217.*

(2) *Bened.XIV. Inſtit.cit. n.11. Syn. de Comit. l.c.cit. & in App. pag. 141. De Aſte, & Buſſi ll.citatis.*

(3) *Catech. Rom. hoc tit. De Aſte, & Buſſi ll. cit. Mancin. p. 2. c. 1. n. 4. Inſtructio noſtra 28.Apr.1768.*

(4) *Bened.XIV. Inſtit.cit. n. 12., & de Syn. lib.7. c.10. n.8. 9. Syn. de Aſte Decr. 3. Mancinf. loc.cit.*

(5) *De Comit., & de Aſte ll.cit.*

(6) *Syn. Firmana 1773. lib.2. c.3. n. 8.*

(7) *De Comit., de Aſte, Buſſi, Edictum noſtrum ll. citans.*

mi. Quinto. Quo die quis fuerit confirmatus, Patrini munus non exerceat. Omnes denique ab hoc officio repellantur, quos in Baptiſmo arcendos eſſe ſuperius dictum eſt.

Parochus igitur, poſtquam hujuſmodi qualitates in Patrino recognoverit, puerumque, vel puellam confirmandam probe erudierit, ſchedulam ei tradet a ſe ſubſcriptam, in qua notata ſint ætas confirmandi, ac tum ipſius, tum ejus Parentum, ac Patrini nomen, & cognomen, Patria, & Paræcia; teſtetur etiam, confirmandum eſſe in rudimentis Fidei inſtructum, idoneumque ad Sacramentum recipiendum, quemadmodum & Patrinum idoneum eſſe ad tale munus obeundum (1). Si confirmandus ſit per ætatem capax, eum monebit, ut Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta Confirmationi præmittat, ac jejunus ad eam, ſi de mane conferatur, accedat (2).

Statuta die, & hora omnes confirmandi in Templum conveniant quam citius, ut præſto ſint ad primam Spiritus Sancti invocationem, quæ ſit ab Epiſcopo confirmante in ipſo fere ſacræ hujus cæremoniæ veſtibulo. Mares a Fæminis ſint ſejuncti, ac primum mares, deinde fæminæ Confirmationem recipiant (3). Omnes mundo, non tamen vano corporis cultu, lota fronte, & aperta (4), manibus ante pectus junctis, inter quas prædictam ſchedulam habeant, ſuo in loco modeſte conſiſtant, a ſtrepitu, & confabulationibus caventes. Ad quod præcipue advigilabunt confirmandorum Parochi, quos de more ſacræ adeſſe volumus functioni (5).

Dum ab Epiſcopo Sacramentum adminiſtratur, Sacerdos ad id deputatus, qui probatæ ſit fidei, & ſolertiæ, Epi-

(1) *De Comit., de Aſte, & Edictum noſtrum loc. citatis.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Bened. XIV. Inſtit. cit. n.13. de Comit., de Aſte, Buſſi ll.citt.*

(4) *De Aſte, & Buſſi ibidem. Syn. Civit. Caſtell. 1766. act.2. c.1. n.4.*

(5) *Buſſi ibidem.*

Epiſcopum ipſum præeat, ſchedulaſque colligat, ac recognoſcat (1), in quibus ſi aliquid deprehendat, ex quo dubium ſuboriatur, Parochum ibi præſentem conſulat.

Si confirmandi nomen, vel parum chriſtianæ Religioni accommodatum ſit, vel ad riſum excitet, facultate utemur illud in Confirmatione immutandi (2).

Ne ſacrum Chriſma defluat, quo Confirmatorum inuncta frons eſt, a ſacro aliquo Miniſtro goſſipio ſtatim abſtergatur (3).

Nemo ante abſolutas ſacras preces, & ſollemnem Epiſcopi benedictionem a Templo diſcedat, ſed omnes orationi cum ſilentio vacantes ad finem uſque expectent (4).

Confirmatione paracta, ſchedulæ proprio reſpective Parocho tradantur, qui in librum bene compactum, ac baptizatorum libro conformem, eadem diligentia, ac ſub iiſdem pœnis, intra decem dies nomina referet, ac cognomina Confirmatorum, Parentum, Patrinorum, ac Epiſcopi confirmantis, cum die, menſe, anno, & loco, juxta formulam Ritualis Romani (5).

TITULUS IV.

De Ven. Euchariſtiæ Sacramento, & de celebratione Miſſarum.

ARTICULUS I.

De Ven. Euchariſtiæ Sacramento.

OMnibus quidem Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis (6) *religioſe, ſancteque tractandis, magna, ac diligens cura adhibenda eſt; ſed præcipue in adminiſtrando, ac ſuſcipiendo ſanctiſſimo*

(1) *Buſſi p.2. c.3. n.5.*
(2) *Bened. XIV. Inſtit. cit. n.25. Buſſi in App. pag.217.*
(3) *De Comit. loc. cit. de Aſte in App. loc. cit.*
(4) *Buſſi, & Inſtructio noſtra ll. citt.*
(5) *De Comit., de Aſte, & Buſſi ll. citt.*
(6) *Rit. Rom. tit. 4. c. 1.*

ſimo Euchariſtiæ ſacramento, quo nihil ſanctius, & admirabilius habet Eccleſia Dei, quum in eo contineatur præcipuum, & maximum Dei donum, & ipſemet omnis gratiæ, & ſanctitatis fons, auctorque Chriſtus Dominus.

Parochus igitur ſummum ſtudium in eo ponat, ut cum ipſe venerabile hoc Sacramentum, qua decet, reverentia, debitoque cultu tractet, cuſtodiat, & adminiſtret; tum etiam populus ſibi commiſſus religioſe colat, ſancte, frequenterque ſuſcipiat, præſertim in majoribus anni ſollemnitatibus.

Ideo populum ſæpius admonebit, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam divinum Sacramentum debeat accedere, ut præmiſſa ſacramentali Confeſſione omnes ſaltem a media nocte jejuni, & utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter ſuſcipiant, viri, quantum fieri poteſt, a mulieribus ſeparati.

Moneantur præterea communicantes, ut ſumpto Sacramento non ſtatim ab Eccleſia diſcedant, aut colloquantur, nec ſtatim vagis oculis circumſpiciant, aut expuant, neque de libro ſtatim orationes recitent, ne Sacramenti ſpecies de ore decidant, ſed qua par eſt devotione, aliquantiſper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam ſingulari beneficio, atque etiam de ſanctiſſima Paſſione Dominica, in cujus memoriam hoc myſterium celebratur, & ſumitur.

Curare porro debet, ut perpetuo aliquot Particulæ conſecratæ eo numero (numquam tamen quinario minore (1), *qui uſui infirmorum, & aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſſit, conſerventur in Pixide ex ſolida, decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo bene clauſa, albo velo cooperta, & quantum res feret, ornato, in Tabernaculo clave obſerato.* Duas ad minimum Pixides argenteas, & intus inauratas (2), vel ſaltem ex ære optime aurato, unaquæque parochialis Eccleſia habeat; majo-

(1) *Syn. de Comit. tit.6. c.2.* (2) *Syn. Buſſ. p.2. c.4. n.4.*

majorem alteram ad fidelium communionem in Eccleſia miniſtrandam, alteram minorem ad Viaticum infirmis deferendum. Tabernaculum ſit pro cujuſque Eccleſiæ facultate affabre elaboratum, ſerico albo intus circumveſtiatur, & Corporali mundo, quolibet ſaltem bimeſtri mutando, ſit ſtratum. Clavis vel argentea ſit, vel ſaltem deaurata, quæ ſemper maneat penes Eccleſiæ Rectorem, vel Sacriſtam (in ſacris tamen Ordinibus conſtitutum), aut certe in loco ſatis tuto, unde ſumi ſine ſcitu ipſorum nequeat (1).

Hoc autem Tabernaculum Conopæo (coloris vel albi (2), vel, quod magis convenit, officio diei reſpondentis (3)) *decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur, ſit collocatum, ita ut nullum aliis ſacris functionibus, aut eccleſiaſticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel ſaltem una, die, noctuque perpetuo colluceat*. Quod ſi non caſu, ſed ex Rectoris, ſeu Cuſtodis Eccleſiæ negligentia, aut avaritia lampas ejuſmodi extincta non ſemel reperiatur, non erit is immunis a pœnis arbitrio noſtro infligendis (4). *Curabitque Parochus, ut omnia ad ipſius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque ſint, & conſerventur*.

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Particulas frequenter renovabit; hyeme nempe ſingulis quindenis diebus, æſtate autem octavo quolibet die (5). *Hoſtiæ vero, ſeu Particulæ conſecrandæ ſint recentes, & ubi eas conſecraverit, veteres primo diſtribuat, vel ſumat*, ac Pixidem ſæpius mundet, & abſtergat (6).

Fideles omnes ad ſacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis, qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publice

(1) *Syn. de Aſte Decr. 4. Buſſi loc. cit. n. 3.*
(2) *Acta Eccleſ. Mediol. pag. 4. in Inſtruct. ſupell. eccleſ. de Conop. pag. 633. col. 2.*
(3) *Syn. Buſſi loc. cit.*
(4) *Ibidem.*
(5) *Buſſi loc. cit. n. 4.*
(6) *Ibidem.*

blice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores, niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.

Occultos vero peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem ſi publice petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat.

Amentibus præterea, ſeu phreneticis communicare non licet: licebit tamen, ſi quando habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit.

Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet. Quoniam nonniſi a proprio eorum Parocho pueros ad primam Communionem admitti volumus, prudenti idcirco ipſius judicio cum Prædeceſſoribus noſtris (1) relinquimus determinandum, qua ætate hic, vel ille puer, aut puella ad eucharisticam Menſam accedere poſſit. Caveant tamen Parochi, ne plus æquo tam valido hoc auxilio pueros deſtitui patiantur; quare primam Communionem ultra decimumquartum ætatis annum nemini protrahant (2), niſi ex graviſſima cauſa. In mortis autem articulo pueris quoque annorum duodecim minoribus eam miniſtrent (3), modo tanta ingenii vi polleant, ut Chriſtum in Euchariſtia latentem credant, & reverenter adorent. Quotannis, quadrageſimali tempore, eorum delectum habeant, quos ad primam Communionem Paſchalibus diebus faciendam idoneos reputabunt; eoſque ſtatis diebus diligenter inſtruant, atque erudiant, quid de hoc Sacramento credendum ſit, & qua animi religione, ac

P reve-

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 14. Mancinſ. p. 2. c. 2. n. 3.*

(2) *Syn. Tuſcul. 1761. p. 3. c. 9. art. 1. n. 19. aliiq.*

(3) *Syn. de Aſte Decr. 4. Mancinſ. loc. cit.*

reverentia ad illud percipiendum accedere debeant: ac poſtquam eos probe inſtituerint, præſtituta die in parochialem Eccleſiam convenire illos jubeant, ac ſacramento Pœnitentiæ prius expiatos, ſacra Communione reficiant (1).

Poſt hæc deſcribitur in Rituali (2) ritus miniſtrandi ſacram Communionem, quem par eſt ab omnibus Sacerdotibus religioſiſſime obſervari. Notandum vero eſt, quod ibi legitur: *Communio . . . . . Populi intra Miſſam ſtatim poſt Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda), cum orationes,quæ in Miſſa poſt Communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent*. Non igitur pro libito celebrantis ad finem Miſſæ Communio populi eſt protrahenda, ſed aliqua honeſta, & rationabilis cauſa concurrat, neceſſe eſt; qualis profecto non adeſt, cum Sacerdos a parvo adſtantium numero ſtatim poſt ipſius Communionem communicare volentium requiſitus, eorum tam juſtæ petitioni renuit ſatisfacere (3). Poſt Miſſam vero defunctorum, ſicuti nec ante eam nullo modo a celebrante miniſtrari debet Euchariſtia, ſed ſolum id permittitur intra Miſſam, poſt ipſius celebrantis Communionem, per Particulas non antea, ſed in eodem Sacrificio conſecratas, ut a ſacra Rituum Congregatione poſtremo declaratum fuit (4). Præterea nocturno tempore, ne ipſa quidem Dominicæ Nativitatis nocte inter Miſſarum ſollemnia, juxta repetita ejuſdem ſacræ Congregationis decreta (5), Euchariſtiam fidelibus diſpenſare non licet, niſi forte per modum Viatici ægrotis in mortis diſcrimine conſtitutis (6).

De

(1) *Syn. Mancinſ. & Tuſcul. ll. citt.*
(2) *Cap* 2.
(3) *Vide Benedict. XIV. Conſtit.* Certiores 13. *Nov.* 1742.
(4) *In a[illegible] u. n.* 2. *Sept.*1741.
(5) *S. Rit. Cong.* 20. *April.* 1641. *in Piſauren. & alias notat. apud Merati in Ind. Decre. t.* 1. *n.*282.
(6) *Syn. de Aſte Decr.*4.

De Communione Paſchali.

Curet . . . . Parochus (1), *ut in Quadrageſima per ſe, vel per alios Concionatores populo opportune denuncietur Conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III., quæ ſic habet.* Omnis utriuſque ſexus fidelis &c. Porro, uti Eugenius IV. declaravit (2), tempus paſchalis Communionis a Dominica Palmarum incipit, & uſque ad Dominicam in Albis incluſive protenditur,

Ut igitur hoc ſalutare Concilii decretum inviolabiliter ſervetur, deſcripta Parochus habeat nomina ſuorum parochianorum; & qui dicto tempore non communicaverint, & poſt octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores ſæpius admoniti non obtemperaverint, Ordinario ſuo denunciet. Ut in noſtra hac Diœceſi certa aliqua methodus ab omnibus uniformiter ſervetur in re tanti momenti, hæc ſtatuimus. Primo, quilibet Parochus ante Paſchale tempus Parœciæ ſuæ domos omnes perluſtret, ut ſtatum animarum deſcribat, eaque occaſione ſchedulam ad hunc finem typis impreſſam unicuique (ſcripto in ſchedula ipſa ejus nomine) tradat, qui ad Communionem idoneus eſt. Has ſchedulas deinde exigat, & colligat ab omnibus, qui ad euchariſticam Menſam in parochiali Eccleſia accedunt. Elapſo Paſchali tempore, ſi ſchedulis cum animarum ſtatu collàtis, aliquos a Communione abſtinuiſſe deprehendat, privatis ſuaſionibus primum, blanditiis, ac precibus eos ad Eccleſiæ præcepto obtemperandum conetur inducere. Quod ſi hoc modo nihil profecerit, publice ab Altari (tacito tamen eorum nomine) illos admonebit, ut præcepto tandem pareant, pœnas canonicas, ſi ſecus fecerint, non evaſuri. Si denique contumaces nihilominus in conſilio ſuo perſeverent, eorum nomina circa feſtum Aſcenſionis ad Vicarium noſtrum

(1) *Rit. Rom. loc.cit. c.3.* (2) *Conſtit.20.* Fide digna, *De Comm. tit.6. c.4.*

generalem Parochus deferat, ut canonicis remediis, ac pœnis illorum proterviam coerceamus (1).

Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri poteſt, ut in ipſo die ſanctiſſimo Paſchæ communicent; quo die ipſe per ſe, niſi legitime impediatur, Parochiæ ſuæ fidelibus hoc Sacramentum miniſtrabit. Alienæ vero Parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent: quibus ipſe ſacram præbebit Communionem, ſi acceſſerint rite parati; vel, ubi eſt ea conſuetudo, eos ad Cathedralis Eccleſiæ Parochum remittet. Ut ſaltem ſemel in anno oves proprii Paſtoris vultum agnoſcant, edicimus eccleſiaſtico præcepto non ſatisfieri ab iis, qui non in paræciali, ſed in alia qualibet Eccleſia (2), Cathedrali noſtra ne quidem excepta (3), Communionem ſumunt Paſchalibus diebus, niſi forte de licentia noſtra, vel proprii Parochi. Quapropter etiam incolas Paræciarum ſuburbanarum, *Petræ Crucis*, *S. Mariæ Gratiarum*, *& Montis Angeli*, in propria ſuburbana Parochiali, & non alibi, Paſchali præcepto ſatisfacere volumus. Qui Paſchatis tempore a propria abſunt Paræcia, in eam poſtea reverſi, vel certum Parocho ſuo Communionis alibi ſuſceptæ proferant teſtimonium, vel intra octo dies in propria Paræcia communicent ſub pœnis violati præcepti. Quantum vero ad vagos, peregrinos, & advenas, qui in animarum ſtatu deſcribi a Parocho minime potuerunt, Cathedralem in hac noſtra Civitate, in Oppidis vero Diœceſis parochialem Eccleſiam pro iis deſignamus, in qua volumus Eccleſiæ præceptum eos adimplere; niſi aliter a nobis in peculiari aliquo caſu præſcriptum fuerit.

Ægrotis quoque parochianis, quemadmodum & in carcere detentis (4), *etiamſi Communionem extra præſcriptos Paſcha-*

(1) *Vide Syn. de Comi, loc. cit. Buſſi p. 2. c. 4. n. 17.*
(2) *Syn. de Comit. loc. cit.*
(3) *Vide Bened. XIV. Inſtit. 18. n. 11.*
(4) *Syn. de Aſte decr. 4.*

ſchales dies ſumpſerint , in Paſchalibus diebus illam deferet , ac miniſtrabit .

De Communione Infirmorum .

Viaticum (1) *ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſummo ſtudio , ac diligentia ægrotantibus opportuno tempore procurandum eſt , ne forte contingat, illos tanto bono , Parochi incuria , privatos decedere . Cavendum autem in primis eſt , ne ad indignos cum aliorum ſcandalo deferatur , quales ſunt publici uſurarii , concubinarii , notorie criminoſi , nominatim excommunicati , aut denuntiati , niſi ſeſe prius ſacra Confeſſione purgaverint , & publicæ offenſioni , prout de jure , ſatisfecerint .*

Hortetur Parochus infirmum , ut ſacram Communionem ſumat , etiamſi graviter non ægrotet , aut mortis periculum non immineat , maxime ſi Feſti alicujus celebritas id ſuadeat ; neque ipſe illam miniſtrare recuſabit . Mandamus propterea cuilibet Parocho , ut ſæpius in anno , præſertim cum Feſta quædam occurrunt ſollemniora , ad ægrotos licet non graviter decumbentes , impeditos tamen , ne ad Eccleſiam accedant , ſumendam deferat Euchariſtiam , ac potiſſimum ſi iidem eam frequenter ſumere , antequam ægrotarent , conſueverint , & tanto refici Sacramento optent , ac petant (2).

Pro Viatico autem miniſtrabit , cum probabile eſt , quod eam amplius ſumere non poterit . Quod ſi æger , ſumpto Viatico , dies aliquot vixerit , vel periculum mortis evaſerit , & communicari voluerit , ejus pio deſiderio Parochus non deerit . Quoties vero in novum vitæ periculum inciderit , toties Viaticum iterari præcipimus (3) .

Poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis ; id tamen diligenter curandum eſt , ne iis tribuatur , a quibus ob phre-

(1) *Rit. Rom. loc. cit. c 4.*
(2) *Synod. Tuſcul. lo.. cit. art. 2. n. 3.*
(3) *Syn. de Aſte Decr. 4.*

phreneſim, vel aſſiduam tuſſim, aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia, cum injuria tanti Sacramenti, timeri poteſt. Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum, & potum, non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid ſumere licet. Idcirco curæ erit Parochi ægrotos antea monere, quando pro Viatico ſuſcipere eam debent, aut devotionis gratia dumtaxat (1).

Sed alicui ad adorandum ſolum, ſeu devotionis, ſeu cujuſvis rei prætextu ad oſtendendum non deferatur.

Deferri autem debet hoc ſanctum Sacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, manifeſte, atque honorifice, ante pectus, cum omni reverentia, & timore; ſemper lumine præcedente. Quapropter vetitum ſit Parocho, illud ſine gravi, atque urgenti cauſa, modico comitatu, & quaſi privatim deferre, nullo campanæ ſonitu præmiſſo, aut ita, ut vix tempus aliis accurrendi detur (2). *Noctu autem*, ut paulo infra in Rituali habetur, *hoc Sacramentum deferri non debet, niſi neceſſitas urgeat*. Quod ſi deferri neceſſe ſit, fœminis omnibus illud poſt horam vigeſimam quartam aſſociare, aut in Eccleſiam ingredi, unde efferendum eſt, ſeveriſſime interdicimus; quum eis potius domi tunc temporis præſtet flexis genibus tranſeuntem Angelorum Regem adorare, & preces pro Infirmo ad Deum fundere (3).

Parochus igitur proceſſurus ad communicandum infirmum, aliquot campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, ſeu Confraternitatem ſanctiſſimi Sacramenti (ubi fuerit inſtituta), ſeu alios pios Chriſtifideles, qui ſacram Euchariſtiam cum cereis, ſeu intorticiis comitentur, & umbellam, ſeu baldachinum, ubi haberi poteſt, deferant. Præmoneat, ut ægri cubiculum mundetur, & in

(1) *Syn. Mancinſ. loc. cit. n.4.*

(2) *Syn. Buſſi loc. cit. n.7. Mancinſ. loc. cit.*

(3) *De Aſte loc. cit. Buſſi ibidem n.12. Edictum noſtrum 25. Julii 1770.*

in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in qua ſanctiſſimum Sacramentum decenter deponatur.

Parentur luminaria, ac duo vaſcula, alterum cum vino, alterum cum aqua; præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci pro cujuſque facultate.

Ut ſollemniori, qua poterit, pompa Euchariſtia ad ægrotos deferatur, atque omnia tum a Parocho, tum a Confratribus ſanctiſſimi Sacramenti, cæteriſque piis Chriſtifidelibus eam comitaturis debito ordine fiant; clar. mem. Cardinalis Buſſi Prædeceſſor noſter inſtructionem vulgari ſermone hac ſuper re exaravit, iis omnino conformem, quæ in Rituali Romano præſcribuntur; eamque, ut facilius ab omnibus obſervetur, edi iterum in Appendice mandavimus (1). Præterea, quod idem in ſua Synodo edixit (2), & nos præcipimus, ut nempe in unaquaque Eccleſia, ante cujus fores ſanctiſſimum Sacramentum tranſire contigerit, campanæ omnes pulſentur.

Quod ſi longius aliquando per agros Diœceſis, *aut difficilius iter obeundum ſit, & fortaſſe etiam equitandum; neceſſe erit vas, in quo Sacramentum defertur, burſa decenter ornata, & ad collum appenſa apte includere, & ita ad pectus alligare, atque obſtringere, ut neque decidere, neque Pixide excuti Sacramentum queat.*

Denique ritus omnes a Rituali præſcriptos, cum actu defertur ſanctiſſimum Sacramentum, Parochus accurate obſervet. Et quoniam, ut ibidem habetur, antequam Euchariſtiam infirmo porrigat, exquirere ab eo debet, utrum velit aliqua peccata confiteri, illumque, ſi opus ſit, audire, atque abſolvere; mandamus cuilibet Parocho, ut ſi ipſe legitime impeditus Euchariſtiam infirmis deferre haud poſſit, non

(1) *Sub num. XI.* (2) *Loc. cit. n. 11.*

non alium ſuo loco ſubſtituat, quam qui a nobis ad audiendas fidelium confeſſiones ſit approbatus (1), niſi aut copia alterius Confeſſarii Infirmo tunc non deſit, aut inevitabilis aliquando neceſſitas aliter fieri ſuadeat.

De ſacræ Euchariſtiæ expoſitione.

CUM eccleſiaſticis legibus cautum ſit, ne Euchariſtiæ Sacramentum publicæ fidelium adorationi in quibuſcumque Eccleſiis, ſive ſæcularibus, ſive regularibus exponatur, niſi cauſa publica, & Epiſcopi facultas acceſſerint (2); ideo præter eas publicas expoſitiones, quæ ſtabili quadam lege, & conſuetudine, de Prædeceſſorum noſtrorum, noſtroque conſenſu, in tota hac Diœceſi fieri conſueverunt, ſive pro 40. horarum, ſive pro brevioris temporis oratione, aut ad benedictionem Populo impertiendam; nemo audeat ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis alias ad quodcumque etiam breviſſimum tempus inſtituere, niſi licentiam prius a nobis impetraverit. Sed ſi peculiaris aliqua cauſa, aut neceſſitas urgeat, puta ad ſanitatem alicujus infirmi a Deo poſtulandam, ad nimbum, vel procellam avertendam, ad incendium compeſcendum, & ſimilia, ſolum permittitur reſerato Tabernaculo ante ſanctiſſimum Chriſti Corpus, vel ſacra Pixide incluſum, aut velo obtectum ita, ut videri non poſſit, preces effundere; dummodo Sacramentum e Tabernaculo non educatur: & hæc quidem privata expoſitio Rectoris Eccleſiæ prudenti arbitrio relinquitur (3); ita tamen, ut Sacerdos aliquis ſtola, & ſuperpelliceo indutus ſemper adſiſtat, & ſex ſaltem cereæ faces in Altari ardeant (4).

Quod

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 7.*

(2) *Bened. XIV. in Epiſt. ad Epiſc. Varmien. 16. April. 1746. & in alia ad Card. Urbis Vicarium 27. Julii 1755.*

(3) *Bened. XIV. In cit. Epiſt. ad Card. Vicar. §. 13.*

(4) *S. C. Epiſc. 9. Decembris 1602. apud Bened. XIV. Inſtit. 30. n. 21.*

Quod vero pertinet ad publicam Euchariſtiæ expoſitionem ; primo volumus , ut ea (niſi peculiaris noſtra licentia acceſſerit) non fiat , niſi in majori Eccleſiæ Altari , cujus Icon , ſi expoſitio per notabile aliquod tempus duratura ſit , contegatur (1) . Secundo ; nullæ ibi , aut prope , Sanctorum reliquiæ , vel ſimulacra ſtatuantur , exceptis Angelorum ſimulacris , quæ ad cereos ſuſtentandos adhibentur (2) . Tertio ; non minus , quam viginti , ſi fieri poteſt , aut minimum quatuordecim cerei circum ardeant (3) ; nullumque aliud Altare tot luminibus ornetur , ut non duplo ſaltem major ſit numerus cereorum coram ſanctiſſima Euchariſtia ardentium . Quarto , Eccleſiæ janua tapete , panno , aut tela decentis coloris obducatur ita , ut Sacramentum e publica via cerni non poſſit (4) . Quinto ; ad emungendas candelas, ſeu ad aliud quodlibet miniſterium obeundum in Altari , ubi Euchariſtia eſt expoſita , nonniſi Clerici ſuperpelliceo induti , aut in eorum penuria ſaltem Laici ſacco alicujus Sodalitatis amicti adhibeantur (5) . Sexto ; durante expoſitione , Miſſæ defunctorum haud celebrentur , ſed vel votivæ de ſanctiſſimo Sacramento diebus , quibus per Rubricas eæ dici permittuntur , vel officio reſpondentes , addita collecta (exceptis tamen primæ , & ſecundæ claſſis feſtivitatibus) de ſanctiſſimo Sacramento (6) . Campanulæ ſonus , cum ſacra elevatur Hoſtia , in iis prætermittatur , ſed exiguum tantummodo detur tintinnabuli ſignum , dum Sacerdos e ſacrario prodit (7) . Eodem autem in Altari , ubi ſanctiſſima Euchariſtia eſt expoſita , Miſſam celebrare ſine noſtro permiſſu interdicimus (8) . Septimo ; publicas precationes co-

Q rana

(1) *Inſtruct. pro orat.40. Horar. Rom. Syn. de Aſte Decr.4. Bened.XIV.Inſtit.30. n.17.*

(2) *Iisdem .*

(3) *Ibidem . Vide etiam Synod. de Comit. tit.6. cap.3.*

(4) *Inſtruct. Rom. cit. Syn. de Comit.loc. cit.*

(5) *Vide Inſtruct. Rom. cit.*

(6) *Inſtruct. cit. S. Rit. Congr. 2. Dec. 1684. in una Canonicorum Reg. Later.*

(7) *Inſtruct. cit. Bened. XIV. Inſtit. cit.*

(8) *Inſtruct. cit. Syn. de Comit. loc. cit.*

ram Sacramento expoſito fas eſt unice ad Deum dirigi. Si quæ igitur aliæ preces (præſertim vernacula lingua) ad beatam Virginem, aut Sanctos, quorum memoria agitur, ſint recitandæ, præcedant Euchariſtiæ expoſitionem (1). Octavo; muſicos concentus, ne irreverentiis erga diviniſſimum Sacramentum aperiatur aditus, tunc temporis interdicimus (2); permittimuſque dumtaxat, ut Hymnus *Pange lingua &c.*, vel ejus pars *Tantum ergo &c.* figurato cantu, gravi tamen, ac devoto (3) concinnatur. Denique in expoſitione pro quadraginta horarum, vel diuturni alicujus temporis oratione, Templum, maximeque Sacellum, & Altare, in quo exponenda eſt Euchariſtia, decentiſſime pro Eccleſiarum facultate ornetur (4). Duo, aut minimum unus Sacerdos, ſuperpelliceo, & ſtola indutus, diſtributis horis preces continenter coram Sacramento fundat; & in Sacerdotum defectu Clerici ſuperpelliceo, aut ſaltem Laici ſacco alicujus Confraternitatis induti ſubſtituantur (5). Qua de re vetuſtam hujus Urbis conſuetudinem retinendam omnino volumus, ut ad expoſitionem in Cathedrali noſtra quotannis in majori hebdomada haberi conſuetam, non ſolum Sacerdotes, & Clerici ſæculares, ſed & Religioſæ familiæ, laicorum Sodalitia, aliæque piæ Univerſitates, ſeu Congregationes ad orandum coram ſanctiſſimo Sacramento per vices accedant, juxta diſtributionem in ſingulas horas factam in pagellis, quæ ea occaſione in Cathedrali ipſa affiguntur, ſub pœnis ibidem expreſſis, aliiſque arbitrio noſtro.

Hæc, & alia a ſacris Urbis Congregationibus pro tanti Sacramenti reverentia conſtituta, rite ſervari mandamus. Et quoniam divina Hoſtia, cum publice adoranda proponitur, in Oſtenſorio includi debet; præcipimus, ut id ſit vel argen-

(1) *Vide Bened. XIV. Inſtit. cit. n. 15.*
(2) *Idem ibidem, Syn. Buſſi p. 2. c. 4. n. 6.*
(3) *Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 33. n. 25.*
(4) *Inſtruct. Rom. cit. Syn. Buſſi loc. cit. n. 5.*
(5) *Ibidem.*

argenteum, vel ſaltem ex ære bene aurato (1). Lunula vero, in quam immittitur Euchariſtia, argentea omnino ſit, & deaurata; ſicut & cryſtallus, qua circumſepta eſt, ab omni ſorde, ac pulvere munda (2).

Singulos demum animarum curatores commonemus; ut crebris ſuaſionibus ad id inducere conentur fideles ſibi commiſſos, ut frequenter, & religioſe iis in Eccleſiis interſint, in quibus venerabile Sacramentum proſtat expoſitum; cumque ad ægrotos defertur, illud comitari, aut ſaltem cereas faces ad comitandum mittere ſedulo curent (3): potiſſimum vero, cum ſalutaris Hoſtia Deo Patri per Sacerdotes in Altari offertur, atque immolatur, ſumma animi religione, quotidie, quoad licuerit, præſentes adſint (4); immo illud præterea a Chriſtifidelibus obtinere ſatagant, ut Sacramentum etiam in Tabernaculo latens frequenter inviſant, & adorent; atque ita adeuntes ſæpe cum fiducia ad thronum gratiæ, miſericordiam conſequantur, & gratiam inveniant in auxilio opportuno.

ARTICULUS II.

De celebratione Miſſarum.

IN admirabili Euchariſtiæ Sacramento miſericors, & miſerator Dominus vere, ut inquit Regius Pſaltes, memoriam fecit mirabilium ſuorum; quum non tantum eſcam dederit timentibus ſe, verum etiam viſibile Eccleſiæ ſuæ in eo reliquerit Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peractum repræſentatur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permanet, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum appli-

(1) *Vide Syn. de Aſle Decr.4.*

(2) *Syn. Tuſculana 1763. p.3. cap.9. art.3. num.7.*

(3) *Syn. de Aſle loc. cit.*

(4) *Syn. Buſſi p.2. c.5. n.14.*

applicatur . Quare , ut appoſite ſubdunt Tridentini Patres (1) : *Si neceſſario fatemur , nullum aliud opus adeo ſanctum , ac divinum a Chriſtifidelibus tractari poſſe , quam hoc ipſum tremendum myſterium , quo vivifica illa Hoſtia , qua Deo Patri reconciliati ſumus , in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur ; ſatis etiam apparet , omnem operam , & diligentiam in eo ponendam eſſe , ut quanta maxime fieri poteſt , interiori cordis munditia , & puritate , atque exteriori devotionis , ac pietatis ſpecie peragatur .*

Et quantum attinet ad interiorem cordis munditiam , ac puritatem ; ſe ipſos, juxta Apoſtoli (2) monitum , probent primum Sacerdotes , antequam de pane illo edant , & de calice bibant , & ſiqua forte (quod abſit) lethali labe pollutos ſe noverint , Deo per ſacramentum Pœnitentiæ reconcilientur , ne Rei fiant Corporis , & Sanguinis Domini , judiciumque ſibi manducent , & bibant . Præterea alienis curis penitus ſepoſitis , per aliquod tempus orationi vacent , & Matutino cum laudibus , ut Rubricæ (3) præcipiunt , præmiſſo , elicitis quoque ſupernarum virtutum actibus , precibuſque ab Eccleſia ſtatutis devote recitatis , ſeſe ad tantum Sacrificium rite , recteque offerendum præparent . In actu ipſo Sacrificii omni ſtudio curent , ut in meditatione eorum , quæ peraguntur , myſteriorum , exardeſcat in ipſorum cordibus charitatis ignis : eoque abſoluto gratias agant Deo ſuo , & per congruum temporis ſpatium paſcantur in deliciis ejus (4) .

Ex interiori hac cordis munditie , & puritate , profluat exterior devotionis , ac pietatis ſpecies ; quæ in primis ſe prodat in decenti indumentorum , aliorumque , quæ ad Sacrificium

(1) *Seſſ.22. in Decr. de obſerv. & evitan. in celebrat. Miſſæ* . c.13. n.3. & 4. *Syn. Fulgin.*1722. c.13. n.2. & cap.20. num.3.

(2) 1. *ad Corinth.*11.

(3) *Vide Bened. XIV. de Sacrif. Miſſæ lib.*3.

(4) *Vide Syn. Buſſi p.*2. c.5. n.6.

cium requiruntur, apparatu. Ac primo quidem nullus Sacerdos hujuſce Civitatis incola, ſine veſte talari, quam non in Eccleſia, aut ejus ſacrario induerit, Miſſam celebrare hic audeat, ſub pœna jampridem a Deceſſoribus noſtris inflicta, nempe ſuſpenſionis a divinis per quindecim dies ipſo facto incurrenda, nobiſque reſervata (1). Idipſum ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis interdicimus cæteris Sacerdotibus per Diœceſis loca morantibus; niſi forte domus eorum longe diſtet ab Eccleſia, in qua Sacrum facturi ſunt, & ob viæ longitudinem, vel aſperitatem, non leve ex oblonga veſte timeatur incommodum, quo caſu volumus eos talari indui veſte, ſaltem in ipſius Eccleſiæ ſacrario: quod etiam præſtabitur tum a Sacerdotibus Civitatis incolis, cum ad Diœceſis loca commigrant; tum a Diœceſanis, cum hanc noſtram Civitatem adeunt, vel alia loca; tum denique ab exteris, & advenis, quando eorum omnium mora ultra quadraginta dies non protrahatur (elapſo enim hoc temporis ſpatio, eadem volumus ſanctione eos teneri, ac incolæ Sacerdotes). In qualibet idcirco Sacriſtia oblonga aliqua veſtis jugiter pro recenſitis eventibus adſervetur. Quod ſi Eccleſiæ Rector, vel ſacrarii Præfectus quempiam Sacerdotem ſine illa celebrare permiſerint, eidem pœnæ obnoxios illos volumus, ac celebrantes ipſos (2).

Præter talarem veſtem, coronam etiam clericalem conſpicuam habeat quilibet celebrans; & ſub cujuſque neceſſitatis, aut conſuetudinis prætextu, ſine Apoſtolicæ Sedis privilegio, coma fictitia, pileolo, aut annulo uti non audeat (3).

Sacra

(1) *Syn. de Aſte Decret.11: de Veſt. Talar. ut in Append. Syn. Mancinſ. pag.15. Syn. Buſſi loc. cit. n.3. Tabella Caſ. reſervat. ut in Synod. Maſſat, & Mancinforte.*

(2) *De Aſte in Edict. cit. Synod. Mancinſ. p.2. c.2. n.6.*

(3) *Conc. Rom. tit.16. c.3. Syn. de Comit. tit.13. c.7.*

Sacra ſupellex in Sacrificio adhibenda munda ſit, ac nitida; non ſordida, non lacera, aut indecenter compacta; ſervatis etiam pro temporum, ac Miſſarum ratione præſcriptis ab Eccleſia indumentorum coloribus. Calicis ſaltem crater argenteus ſit, & interius inauratus. Patena etiam vel argentea, vel ex ære inaurato (1). Miſſale non corroſum, aut in aliqua parte deficiens, vel mutilatum; & in uno, aut pluribus pro Eccleſiarum neceſſitate, inſertæ etiam adſint Miſſæ recenter ab Apoſtolica Sede indultæ. Altare decenter ornatum, tribus omnino lineis mappis contectum, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat (2); & ſuper eo inter candelabra collocetur Crux, & Chriſti ex ea pendentis imago, quæ ita promineat, & ejus ſit magnitudinis, ut Sacerdos celebrans, ac populus Sacrificio aſſiſtens illam facile, & commode intueri poſſint (3).

Ad inſerviendum Sacerdoti celebranti, inculti homines, & ſordidi, aut muſſitanter, vel dimidiate reſpondentes non aſſumantur: quod ne eveniat, curæ ſit ſacrarii Cuſtodum, necnon Ludimagiſtrorum inferiorum ſcholarum, adoleſcentes probe inſtruere de ratione rite inſerviendi Miſſæ (4).

Non in veſtium, aliorumque, quæ modo recenſuimus, decore tantum, eluceat exterior, de qua loquimur, devotionis, ac pietatis ſpecies, ſed vel maxime in actione ipſa admirabilis Sacrificii. Appareat in Sacerdotis vultu, greſſu, totiuſque corporis geſtu modeſtia, & gravitas tantæ rei reſpondens. Quare cum primum ſacris ſe indutum veſtimentis conſpicit, ne ſacriſtiam circumeat, cum aliis ne colloquatur, neque aures colloquentibus præbeat, immo nec peccata ſua apud Confeſſarium tunc

(1) *Vide Buſſi loc. cit. n. 13.*
(2) *Rubricæ general. Miſſal. tit. 20.*
(3) *Bened. XIV. Conſt.* Accepimus *16. Julii 1746. Syn. Mancinſ. p. 1. c. 3. n. 6.*
(4) *Buſſi loc. cit.*

tunc temporis deponat (1); ſed præſtoletur cum ſilentio ſalutare Dei. Quod ut facilius conſequi poſſit, Cuſtodibus mandamus, ne umquam in ſacrariis cœtus Sacerdotum, multoque minus laicorum hominum inter ſe garrientium fieri permittant (2).

In Sacro peragendo receptos, & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus, ac cæremonias exactiſſime in minimis etiam ſervet, & omnia ita devote, apte, moderateque præſtet, ut fideles, qui Miſſæ intererint, ad religionem, ac pietatem excitentur, & tremendi hujus myſterii ſanctitatem agnoſcant, & venerentur. Caveat idcirco, ne ob nimiam feſtinationem verba, aut ritus prætermittat, mutilet, aut indecore pronunciet, vel peragat; ſicut contra ne importuna prolixitate populum tædio afficiat; ſed ita rem temperet, ut tempus in Miſſæ celebratione inſumendum neque tertia horæ parte ſit brevius, neque ſemihoram excedat (3). Si quis autem Sacerdos ſæcularis, vel Regularis ita fuerit irreligioſus, ut vix quartam horæ partem in Sacrificio inſumat, is a ſacrarii Cuſtode ter monitus, nec reſipiſcens, omnino nobis denuncietur, ut per ſuſpenſionem a Divinis, aliaſque pœnas in eum animadvertamus; ſecus Cuſtos ipſe tamquam ejuſdem irreligionis particeps ſevere a nobis mulctabitur (4).

Qui ad Sacerdotium recenter promotus eſt, ne ſacrarum cæremoniarum ignarus ad celebrandum temere accedat, ſcriptam prius a nobis, vel Vicario noſtro generali licentiam obtineat: quæ minime concedetur, niſi ex teſtimonio cæremoniarum Magiſtri, aut alicujus ex Presbyteris Congregationis Oratorii (quibus id oneris incumbit, ut ad Sacerdo-

(1) *Syn. de Aſte Decr. 11. Buſſi loc. cit. n. 7.*
(2) *Bened. XIV. Inſtit. 34. num. 22.*
(3) *Benedict. XIV. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. c. 24. n. 3. Inſtit. 34. n. 30. & 31. Syn. Buſſi loc. cit. num. 4.*
(4) *Edictum impreſſ. in Append. Conc. Rom. ſub n. 18. §. 7. Syn. Is. Galli c. 12. Bened. XIV. Inſtit. cit. n. 32.*

dotium promovendos *ſpiritualibus* excolant *exercitiis* , atque in ſacris Miſſæ ritibus erudiant), de ſufficienti ejuſdem in præfatis ritibus peritia conſtiterit (1) . Cæteri vero Sacerdotes , ne quod ſemel probe didicerunt , temporis lapſu memoria excidat , Miſſalis rubricas ſæpe relegant , ex quibus quid in ſeipſis reformandum ſit , facile agnoſcent (2) Ad hunc etiam finem ſacrarum cæremoniarum peritos deputabimus , coram quibus experimentum quilibet ſtatis temporibus facere debeat , an rite , & recte Miſſæ celebrationem peragat .

Miſſa , ut rubricæ (3) præſcribunt , cum Officio , quoad fieri poteſt , concordet . Votivæ itaque , ac defunctorum non paſſim , ac brevitatis potius , quam pietatis ſtudio , ſed rationabili interdum ex cauſa , & præcipue ad ſatisfaciendum piæ Fidelium voluntati , diebus , quibus id licet, celebrentur (4) : quibus ipſis tamen diebus paramenta coloris Officio diei convenientis publice in commodum celebrantium pateant .

Ad ritum etiam refertur quorumdam temporum obſervatio , in quibus nefas eſt incruentum Sacrificium offerre . Ac primo ab aurora tantum uſque ad meridiem juxta rubricas celebrare licet ; quod nos ita ſervandum ſtatuimus , ut tertiam horæ partem ante auroram pro Miſſis inchoandis , & tertiam ſimiliter horæ partem poſt meridiem pro illis abſolvendis , nullus omnino prætergrediatur , niſi adſit vel Apoſtolicæ Sedis privilegium , vel licentia noſtra pro peculiari aliquo caſu forte conceſſa (5) . Ab hac regula excipitur Dominicæ Nativitatis nox , in qua ſollemnis Miſſa celebratur , non inchoanda tamen , niſi ſeptima pulſata noctis hora (6) .

Pri-

(1) *Syn. de Comit. tit.13. c.2.*
(2) *Syn. Buſſi loc. cit. n.5.*
(3) *Rubric. general. Miſſal. tit.4.*
(4) *Syn. de Comit. loc.cit. c.4. Syn. Fulgin. 1722. c.20. n.16. Catalanus in Rituali tit.6. c.1. §.5.*
(5) *Edict. citatum in Append. Concil. Rom. §.9. Bened.XIV. Inſtit.13.*
(6) *Synod. de Comit. loc. cit.cap.4.*

Privatæ Miſſæ interdicuntur tum in ea nocte, tum feria V. VI. & Sabbato majoris hebdomadæ, quibus diebus unica tantum ſollemnis celebranda eſt iis in Eccleſiis, in quibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adſervatur (1).

Cum concio habetur ad populum, interdiximus ſupra (2), Miſſas eo in Templo celebrari: quod ſimiliter ſine noſtra licentia fieri vetamus, dum nos ipſi Sacrum facimus (3). Durante etiam Miſſa ſollemni, abſtinere convenit a privatis, in quibus ſaltem conſuetus campanulæ ſonus omittatur omnino, ne eccleſiaſticarum functionum ordo interturbetur (4).

Hæc ſunt, quæ potiſſimum mandanda cenſuimus, ad hoc ut Sacerdotes, juxta Tridentini monitum, quanta maxime fieri poteſt interiori cordis munditia, atque exteriori pietatis ſpecie divinum peragant Sacrificium. Pauca quædam modo ſubnectimus ab hucuſque dictis nequaquam aliena.

Exteri Sacerdotes, & ignoti nullo pacto ad celebrandum admittantur in quacumque Eccleſia ſæculari, ſeu Regulari ſub gravibus pœnis arbitrio noſtro infligendis, niſi ſcriptum a Vicario noſtro generali facultatem oſtendant: quæ minime concedetur, niſi recognitis prius ſuorum Præſulum teſtimonialibus litteris (5).

In Diœceſis oppidis, ubi plurium Sacerdotum copia ſuppetit, Miſſas diebus ſaltem feſtivis ita diſtribui volumus, ut non binæ ſimul celebrentur, ſed ad Populi commoditatem altera alteri opportuno tempore ſuccedat. Ultima autem certam ſemper habeat horam prope meridiem, ne umquam contingat, Fideles Miſſæ ſacrificio diebus feſtis Sacer-

R do-

(1) *S. Rit. C. 14. Junii 1659. in Neapolit.*
(2) *P. 1. tit. 5.*
(3) *Syn. civit. Caſtellana 1756. tit. 3. c. 7. n. 13. Tuſculana 1763. p. 1. c. 8. n. 14. aliæque.*
(4) *Synod. Fulgin. cit. c. 29. n. 15. aliæque.*
(5) *Vide Trid. loc. cit. Litt. Circul. S. C. Epiſc. 22. Octobris 1709. Syn. de Comit. loc. cit. c. 8. Bened. XIV. Inſtit. 34. §. 1.*

dotum culpa fraudari (1). Poſt conciones etiam, & proceſſiones curandum quammaxime in Eccleſiis tum Civitatis, tum Diœceſis, ut Miſſa numquam deſit ad Populi confluentis commoditatem celebranda (2).

Vetitum omnes noverint, in Altari, ubi ſollemne Sacrum Epiſcopus fecit, eadem die ſine ejus venia Sacrificium offerre (3).

Laudabilem denique morem jamdiu in hac Diœceſi receptum (4) ſervari perpetuo mandamus, ut Sacerdotes omnes ſæculares, ac Regulares anniverſariis diebus coronationis Papæ, & conſecrationis, ſeu electionis proprii Epiſcopi, peculiarem pro unoquoque eorum Collectam in Miſſa adjiciant.

De implendis Miſſarum oneribus.

MIſſarum onera alia ſunt *perpetua*, alia *adventitia*. Perpetua non acceptentur, antequam a nobis diligens præhabitum fuerit examen, tum an nova onera adimpleri poſſint ſine veterum detrimento, tum an ſufficientes pro iis ferendis redditus aſſignentur. Qui ſine noſtro conſenſu, & licentia in ſcriptis concedenda, ea ſuſceperit, ſciat ſe in pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, juxta Urbani VIII. decreta ab Innocentio XII. confirmata, ipſo facto incurriſſe (5).

Quoad adventitia vero, meminerint omnes, a nemine manuales eleemoſynas, ut in iiſdem decretis ſtatuitur (6), recipi poſſe, niſi vel Miſſæ omnes, pro quibus antea collatum fuerat ſtipendium, celebratæ jam ſint, vel niſi intra modicum tempus (nempe intra menſem, uti ſacra Concilii Con-

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n.9.*
(2) *Syn. Fulgin. loc. cit. n.6. aliæque.*
(3) *Can.* In Altari *de conſecr. diſt.2.*
(4) *Syn. IV. Galli c.12. de Const. tit.13. c.6.*
(5) *Decret. Urbani VIII. confirmat. ab Innoc. XII. per ſuam Conſtit.* Nuper a Congregatione §.8. *& declarat. in reſponſ. ad dub.13.*
(6) *§.9. & ad dub.11. & 12.*

Congregatio (1) declaravit) poſſit omnibus ſatisfieri ; vel denique niſi de benefactorum voluntate aliud plane conſtiterit. Omnibus itaque Eccleſiarum Rectoribus, & ſacrarii Præfectis, ejuſdem ſacræ Congregationis (2) menti inhærentes, diſtricte præcipimus, ut quum eleemoſynarum numerum pro Miſſis celebrandis oblatarum ita augeri viderint, ut intra menſem nequeant omnes celebrari, eas nullo modo recipiant, niſi prævia expreſſa, & clara monitione offerentibus facienda, non poſſe tam magnum numerum Miſſarum in eadem Eccleſia, ſeu Altari confeſtim celebrari: ſed quod vel tractu temporis ibidem, cum commode fieri poterit, vel in alia Eccleſia, ſeu Altari celebrabuntur. Idque præcipue ſervari volumus annua recurrente commemoratione omnium Fidelium defunctorum, quo tempore fideles largius ſolito eleemoſynas conſueverunt offerre.

Miſſarum onera, ſive perpetua ſint, ſive adventitia, ad mentem Fundatoris, ſeu offerentis ſunt adamuſſim implenda. Quare qui in certo Altari, aut die celebrare tenetur, caveat omnino (3), ne inconſultis nobis Altare, aut diem mutet. Idem ſtatuimus, quando per dies, hebdomadas, vel menſes a Fundatore diſtributæ fuerint Miſſæ; non enim licet tunc pro libito, etiam anticipati ſuffragii prætextu, coacervatim eas celebrare (4). Qui quotidie ex lege fundationis Sacrum facere *per ſe ipſum* debet, is quidem poterit ex urgenti cauſa, & præcipue ob infirmitatem, ad breve tempus a celebratione vacare, quin tunc per alium celebrandi obligatione teneatur: qui vero *per ſe ipſum* celebrandi onus non habet, numquam poterit aut per ſe, aut per ſubſtitutum a celebrando ceſſare, niſi aliud ex lege ipſa fundationis conſtet (5).

(1) *Apud Benedict. XIV. Inſtit.56. §.14.*
(2) *Apud eumdem de Syn. Diœceſ. lib. 13. c. ult. num.12.*
(3) *Syn. de Comit. tit.13. c.12.*
(4) *Syn. Civit. Caſtellanæ loc. cit. num.30. aliaque.*
(5) *Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. lib.12. c.9. n.4. & 5. & Inſtit.56. n.6. & ibi allegat.*

Ne qua fraus, aut error in explendis Miſſarum oneribus admittatur, diſtricte præcipimus, ut in cujuslibet Eccleſiæ Sacrario affixa pendeat tabella, per nos, aut per Vicarium noſtrum generalem recognita, atque ſubſcripta, in qua diſtincte recenſeantur onera Miſſarum, Anniverſariorum, aliorumque Officiorum, ad quæ ipſa Eccleſia, aut certi Beneficiati, Cappellani, ſeu legatarii tenentur; pro quibus etiam, qua die, quo ritu, & quo in Altari Miſſæ ſint celebrandæ; nomina quoque Fundatorum, & Tabellionum, in quorum actis (indicato die, menſe, & anno) inſtitutio ipſa continetur. Adſint etiam unus, aut plures codices, in quorum fronte ſupradicta omnia deſcripta ſint: atque in iis ſinguli Sacerdotes Miſſam a ſe celebratam pro onerum eorumdem adimplemento adnotent (1). Peculiaris item habeatur codex pro Miſſis adventitiis, in quo exacte deſcribantur eleemoſynæ, quæ pro ipſis a Chriſtifidelibus offeruntur, & e conſpectu appareat prædictarum Miſſarum celebratio. Nemo alieno charactere, ſed proprio dumtaxat, in his codicibus Miſſam a ſe celebratam ſcribat, nec tamquam a ſe celebratam adnotet, ſi poſtea ſit celebraturus, vel ſi alter ſuo nomine celebrarit (2). Unuſquiſque diem adnotet, quo celebravit: & ſi forte non eo die, aut in eo Altari, vel eo ritu, qui in tabella, & fronte libri deſcriptus eſt, Sacrum fecit, idipſum notare teneatur. Qui falſum ex induſtria in his libris ſcripſerit, meminerit ſe in pœnam ſuſpenſionis Epiſcopo reſervatæ ad Deceſſorum noſtrorum ſanctionem (3) illico incidiſſe. Hanc porro ita declaramus, ut ſi Miſſam tamquam a ſe eo die celebratam quis ibi notaverit, quæ tamen in illa ipſa die nullo modo celebrata, ſeu applicata fuerit, præfatam ſuſpenſionis pœnam abſolute incurrat. Si vero

ro

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n.10. & 11.*

(2) *Instruct. pro Reviſ. Miſſar. in actis Viſit. Card. Lambertini anni 1729. pag. 22. Syn. Firmana 1773. lib. 2. c. 5. n. 11.*

(3) *Tabella Caſ. reſervat. ut in Synodis Maſſei, & Mancinf.*

ro alio ritu, vel alio in Altari Sacrum fecit, quam quo tenebatur, nec id expreſſit in codice, pœnam eamdem incurrat (quatenus ejus fraude id actum ſit), donec id totum exprimat in libro : & ſi fraude Rectoris Eccleſiæ, vel Sacriſtæ id evenerit, ipſe in eam pœnam incidat. Si denique alieno charactere abſque juſta cauſa, aut Miſſam tamquam a ſe celebratam ſcripſerit, cum alter ejus vice celebravit, pœnas dumtaxat luat arbitrio noſtro.

Præfatos codices quilibet Eccleſiæ Rector, vel ſacrarii Præfectus Reviſoribus a nobis deputatis quotannis exhibeat (1). Ipſos vero Reviſores etiam atque etiam monemus, ut munus ſuum ea, qua par eſt, diligentia, & fidelitate adimpleant. Reviſione peracta, ſententiam in ipſis libris ſcriptam ferant, edicantque in ea, an onera Miſſarum non ſolum quoad numerum, ſed etiam quoad diem, modum, & Altare impleta fuerint (2); ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Sententiæ exemplar confeſtim tranſmittant ad Vicarium noſtrum generalem (3), qui pœnas, & mulctas in eos, quorum culpa, ſeu negligentia aliter actum eſt, pro ſua prudentia inſpectis facti circumſtantiis decernat; ac præcipue ſevere animadvertat in eos, qui pinguioris eleemoſynæ captandæ ſtudio, aliave indecenti cauſa, onera Miſſarum ſibi incumbentia neglexerint (4). Quum vero graviorem aliquem defectum in iis libris irrepſiſſe Reviſores conſpexerint, rem ad nos deferant.

Quum in indultis Altarium, ut vocant, *Privilegiatorum* præfiniri aliquando ſoleat certus Miſſarum numerus, in Eccleſiis, in quibus Altaria hujuſmodi ſita ſunt, quotidie celebrandarum; & quum hæc privilegia non ſemper perpetua ſint, immo plerumque certo dumtaxat tempore concludantur; ea quo-

(1) *Syn. Buſſi loc. cit.*
(2) *Lambertum in Inſtruct. pro Reviſ. Miſſarum citat.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Syn. Fulginaten. 1722. c. 24. n. 14.*

quoque ad Reviſores ut ſupra a nobis deputatos deferri quotannis jubemus, ut deprehendant, num tempus in eis præfinitum jam abſolutum ſit, & an impletæ fuerint conditiones in iiſdem adjectæ; atque ita pronunciare tuto poſſint de adimplemento onerum, quæ Altaribus hujuſmodi privilegiatis affixa ſunt.

Taxam eleemoſynæ manualis, juxta receptam in hac Diœceſi conſuetudinem, ad ratam julii unius Romani pro qualibet Miſſa præfinimus; diſtricte inhibentes cuilibet Preſbytero, ne pro minore ſtipendio celebrare audeat (1). Quinimo ex hujuſmodi ſumma in celebrantis detrimentum ne minimam quidem partem retineri ab Eccleſia, quæ ſacra Sacerdoti ſuppeditat indumenta, & utenſilia, diſtricte interdicimus. Cæterum quum a Deceſſoribus noſtris (2) decretum fuiſſe inveniamus, ut Beneficiati, quibus onus Miſſarum incumbit in hac Eccleſia Cathedrali celebrandarum, ſolvant pro utenſilibus ejuſdem Eccleſiæ Fabricæ, ſeu *Operi* binos obulos pro qualibet Miſſa, quod decretum fuit etiam a ſacra Concilii Congregatione probatum (3); & quum hujuſce decreti obſervantia vigeat etiam in cæteris Eccleſiis noſtræ jurisdictioni ſubjectis; idcirco nos præſenti Synodali ſtatuto prædictam praxim, atque obſervantiam probamus, ſtatuimuſque, ut Beneficiati, & Cappellani, ſeu legatarii perpetui (4) duos obulos pro qualibet Miſſa illi Eccleſiæ perſolvant, ubi onera Miſſarum ſibi incumbentia adimplentur; niſi alio modo favore Eccleſiæ pro onere præſtandi utenſilia fuerit proviſum. Eamdem ſummam utenſilium nomine, juxta morem hujus Diœceſis, indulgemus ab iis Eccleſiis percipi, ubi Officium

(1) *Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 5. c. 9. num. 2.*

(2) *Edict. Card. Buſſi confirmat. a Card. Lambertini die 20. Octob. 1727. ut in actis eius Viſit. de anno 1729. pag. 4.*

(1) *Vide Codic. inſcript.* Proviſiones diverſæ tempore Epiſc. Lambertini *in Cancellar. Epiſc. exiſten. pag. 212. & 227.*

(4) *S. C. C. in Auximana 23. Febr. 1726. & in Rom. Utenſilium 24. Mart. 1736. Bened. XIV. Inſtit. 56. n. 12. & 13.*

ficium pro defunctis, aut celebritas aliqua in honorem Sanctorum magno cum Miſſarum apparatu celebratur (1), ſine diminutione tamen, ut monuimus, aſſignatæ ſtipis celebrantibus erogandæ. Quoad Miſſas vero ex legato non perpetuo celebrandas, nobis, ac ſucceſſoribus noſtris in peculiaribus caſibus decernendum reſervamus, an aliquid pro utenſibus pendendum ſit Eccleſiæ: in quo judicio præ oculis habebimus tum ipſius Eccleſiæ paupertatem, tum Miſſarum relictarum numerum: ſtricte interim inhibentes, ne hujuſmodi Miſſarum onera ultra triennium duratura, nobis inconſultis, acceptentur (2).

Licet autem non prohibeantur Sacerdotes eam, quam mox præfinivimus, uberiorem ſtipem a ſponte dantibus pro Miſſis celebrandis accipere, dummodo procul abſint dolus, & pactum quodcumque (3): ſi tamen alteri Sacerdoti Miſſam, pro qua pinguiorem hujuſmodi eleemoſynam receperunt, celebrandam committant, integram ei erogandam eſſe meminerint, nec poſſe minorem tradi, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti ſe pinguius ſtipendium accepiſſe indicaſſent (4). Meminerint præterea omnes, eum, qui Miſſarum eleemoſynas majoris pretii colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi minora ſtipendia celebrantibus tribuuntur, celebrari fecerit, præter alias pœnas arbitrio noſtro irrogandas, per Conſtit. ſan. mem. Benedicti XIV. (5), laicum quidem excommunicationis, Clericum vero, ſeu Sacerdotem ſuſpenſionis pœnam, cujus abſolutio Romano Pontifici reſervatur, ipſo facto incurrere. Alia quoque in hanc rem ſtatuta inveniuntur in prælaudatis Urbani VIII., & Innocentii XII. decretis, ex quibus etiam eruere quiſque poterit, qua ratione

(1) *Bened. XIV. Inſtit. cit. n.24.*

(2) *Vide Syn. de Comit. tit.13. c.10.*

(3) *Bened. XIV. de Syn. c.9. lib.5. n.2.*

(4) *Idem ibid., & in Conſtit.* Quanta cura *30. Junii 1741. §.3.*

(5) *Conſtit.* Quanta cura *cit. §.5.*

tione Miſſarum onera ſint adimplenda. Quare nos Prædeceſſorum noſtrorum (1) veſtigia ſequentes, ea a Sacerdotibus cunctis ob oculos haberi (2), & executioni fideliter mandari præcipimus.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SAcrum Pœnitentiæ ſacramentum (3) *ad eos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, in gratiam Dei reſtituendos, a Chriſto Domino inſtitutum, eo diligentius adminiſtrandum eſt, quo frequentior eſt ejus uſus, & quo plura requiruntur ad illud recte, digneque tractandum, ac ſuſcipiendum. Quum autem ad illud conſtituendum tria concurrant, materia, forma, & miniſter: illius quidem remota materia ſunt peccata, proxima vero ſunt actus pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio: forma autem, illa abſolutionis verba „ Ego te abſolvo &c. Miniſter denique eſt Sacerdos, habens poteſtatem abſolvendi vel ordinariam, vel delegatam.* Delegatam autem is ſolus in hac Diœceſi ad audiendas ſæcularium confeſſiones habere cenſeatur ex repetitis Summorum Pontificum conſtitutionibus (4), qui a nobis, aut a Vicario noſtro generali ad eaſdem confeſſiones audiendas per examen (niſi aliter nobis viſum fuerit) ſit actualiter approbatus: iiſdemque finibus concludatur, ac limitata ſit quoad locum, tempus, ac genus perſonarum ea delegata poteſtas, atque approbatio ipſa concluditur, & limitatur. Eo ipſo tamen, quod quis Parochus in hac Diœceſi actu exiſtat, præter ordinariam jurisdictionem, qua in ſibi ſubditos potitur, approbatus inſuper a nobis cenſeatur ad audiendas utriuſ-

(1) *Syn. de Corrit. in Append. pag. 145. de Aite Decr. 11. Baſſi loc. cit. n. 12.*

(2) *Habentur etiam in Append. Syn. Maffei pag. 35.*

(3) *Rit. Rom. tit. 3. c. 1.*

(4) *Vide Bened. XIV. Conſtit.* Apoſtolica Indulta *5. Aug. 1744.*

utriuſque ſexus Chriſtifidelium confeſſiones in univerſa hac Diœceſi (prout hactenus laudabiliter obſervatum fuit), donec aliud nobis, aut Succeſſoribus noſtris viſum fuerit (1). Declaramus vero, nemini factam intelligi facultatem excipiendi confeſſiones in Monaſteriis, aut Conſervatoriis Mulierum, niſi ſpecialem quoad hoc approbationem, & licentiam a nobis obtinuerit.

Sed ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque cenſuris, & peccatis abſolvere.

In ejus miniſtro requiritur etiam bonitas, ſcientia, atque prudentia, cum ſigillo ſecretæ Confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio. Quibus, & aliis ad id opportunis, ut optime ſint inſtructi, omni ſtudio curare debent Confeſſarii. In eorum itaque approbatione id maxime cavebimus, num ætate, morum integritate, doctrina, atque prudentia ad tantum munus obeundum neceſſaria ſint inſtructi. Plurimi etiam faciemus, ſi cætera non deſint, emenſum ab iis laudabiliter ſaltem per triennium Theologiæ moralis curriculum (2). Quoad Regulares autem (3), & alienæ Diœceſis Sacerdotes (4), ſuorum reſpective Præſulum teſtimonium in id exquiremus. Nemo præterea approbationem obtinebit, niſi lectis prius in Curia noſtra Gregorii XV. contra Confeſſarios ſollicitantes (5) & Benedicti XIV. contra eoſdem, & contra abſolventes complices in peccato turpi (6), editis Conſtitutionibus, vel earum ſummario, quas unuſquiſque exactiſſime obſervare tenebitur.

In primis meminerit Confeſſarius, ſe judicis pariter, & medici perſonam ſuſtinere, ac divinæ juſtitiæ ſimul & miſericordiæ

S mini-

(1) *Vide Bened. XIV. Inſtit. 86. n. 14.*
(2) *Syn. Buſſi p. 2. c. 6. n. 10.*
(3) *Syn. de Comit. tit. 7. c. 2. Vide ſup. p. 1. tit. 6.*
(4) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 12.*
(5) *Litt. Encycl. Congr. S. Offic. 4. Maii 1737.*
(6) *Syn. Mancinf. p. 2. c. 3. n. 3.*

miniſtrum a Deo conſtitutum eſſe; ut tamquam arbiter inter Deum, & homines, honori divino, & animarum ſaluti conſulat.

Ut ergo recte judicare queat, diſcernens inter lepram, & lepram, & tamquam peritus Medicus animorum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat, quantam poteſt maximam ad id ſcientiam, atque prudentiam tum aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præſertim e Catechiſmo Romano, & prudenti conſilio peritorum ſtudeat ſibi comparare.

Præter celeberrima, ac toties recuſa S. Caroli monita ad Confeſſarios, aliaque contenta in Epiſtola encyclica Benedicti XIV. ad Epiſcopos Italiæ occaſione Jubilæi edita, quæ Prædeceſſor noſter Nicolaus Mancinforte jam ſatis vulgavit (1), Cardinalis etiam de Aſte Prædeceſſor pariter noſter ſua edidit monita, quæ quum digniſſima ſint, quæ a Confeſſariis legantur, nec ſatis, ut ea, quæ modo enumeravimus, vulgata fuerint, in Appendice inſerentur (2). Horum itaque omnium lectionem aſſiduam Confeſſariis enixe commendamus, præter Theologiæ moralis ſtudium, quod numquam intermittere debent. Qua de re non omittemus, licet alias a nobis approbati fuerint, eos iterum, iterumque ad examen vocare, quum id nobis neceſſarium viſum fuerit, & præcipue cum erunt Patentes litteræ confirmandæ.

Sciat caſus, & cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatas, & ſuæ cujuſque Eccleſiæ Conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte noſſe ſtudebit, & alia ad ejus rectam adminiſtrationem neceſſaria. Atque in hoc miniſterio ita procedat, ut infra præſcribitur.

Ordo

(1) *In ſua Epiſt. Paſtorali 27. Febr. 1754., quæ habetur etiam in Append. ejus Syn. pag. 22.*
(2) *Sub num. XII.*

Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

SAcerdos ad audiendam confeſſionem vocatus, promptum, facilemque ſe præbeat: ac priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium recte, ſancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Eccleſia, non autem in privatis ædibus confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ quum inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac patenti loco præſtare. Mulierum tamen, & maſculorum, qui decimum quintum ætatis annum non adhuc expleverint, juxta Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta (1), non audeat omnino confeſſiones excipere extra Eccleſiam, ac ſedem confeſſionalem, nec ante ſolis ortum, aut poſt ejus occaſum, niſi ex cauſa infirmitatis dumtaxat, aut alterius corporalis neceſſitatis; & tunc cubiculi oſtium ita pateat, ut, quantum fieri poteſt, Pœnitens, & Confeſſarius a domeſticis conſpici, non autem audiri poſſint (2).

Habeat in Eccleſia ſedem confeſſionalem, in qua ſacras confeſſiones excipiat, quæ ſedes patenti, conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco poſita, crate perforata inter Pœnitentem, & Sacerdotem ſit inſtructa. In ea adſit aliqua pia imago Pœnitenti conſpicua, & introrſus notula caſuum tam ſummo Pontifici in Bulla Cœnæ, quam nobis reſervatorum (3).

Superpelliceo, & ſtola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret conſuetudo. Hunc habitum una cum bireto, ac talari veſte a Confeſſariis ſæcularibus, a Regularibus vero ſtolam violaceam ſuper eorum regularem habitum, feſtis ſaltem diebus, adhiberi volumus (4).

(1) *Syn. de Aſte Decr. 5. Buſſi loc. cit. n. 7. Mancinſ. n. 5.*

(2) *Syn. de Comit. tit. 7. c. 5. Buſſi loc. cit. n. 8.*

(3) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 10. Buſſi n. 21.*

(4) *Syn. Fulginaten. 1722. c. 9. n. 6. Tuſculana 1763. p. 3. c. 10. art. 13. n. 3. aliæque.*

Pœnitens, ſi opus fuerit, admoneatur, ut, qua decet, humilitate mentis, & habitus accedat, & flexis genibus ſigno Crucis ſe muniat.

Mox Confeſſarius inquirat de illius ſtatu (niſi aliter notus fuerit), & quampridem ſit confeſſus, & an impoſitam pœnitentiam adimpleverit; num rite, atque integre alias confeſſus fuerit; num conſcientiam ſuam, ut debet, prius diligenter diſcuſſerit.

Quod ſi Pœnitens aliqua cenſura, vel caſu reſervato ſit ligatus, a quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi prius obtenta facultate a Superiore.

Si vero Confeſſarius, pro perſonarum qualitate, agnoverit Pœnitentem ignorare chriſtianæ Fidei rudimenta, ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de articulis Fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea poſtmodum diligentius addiſcat.

Tum pœnitens confeſſionem generalem latina, vel vulgari lingua dicat, ſcilicet „Confiteor &c. „ vel ſaltem utatur his verbis „ Confiteor Deo omnipotenti, & tibi Pater „. Peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante, quotieſcumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, niſi finita, ut dicetur, confeſſione: neque interpellabit, niſi opus fuerit aliquid melius intelligere: proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia peccata ſua rite, & integre confiteatur, remota ſtulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, ſuadente Diabolo, peccata confiteri non audent.

Si Pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant. Caveat etiam, ne inutilibus

bus interrogationibus, vel ſuaſionibus, aut, quod deteſtabilius foret, per ſacramentalis abſolutionis denegationem, pœnitentem inducat ad nomen complicis, cum quo peccatum aliquod perpetravit, ſibi manifeſtandum, memineritque hunc abuſum a ſan. mem. Benedicto XIV. repetitis Conſtitutionibus ſollemniter fuiſſe proſcriptum (1).

Demum, audita confeſſione, perpendens peccatorum, quæ ille admiſit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac Pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit; & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur; atque ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. In hujuſmodi autem officiis præſtandis, ita vultum, vocem, manus, totiuſque corporis geſtum componat, ut adſtantes nullo ſigno conjicere poſſint, quid tunc inter ipſum, & Pœnitentem agatur; & præcipue ſi iſtum inabſolutum dimittat, ita caute præſtare id debet, ut a circumſtantibus nullo modo percipi queat (2).

Poſtremo ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis Pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat; ne, ſi forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantum ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem.

Quare curet, quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, velut avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rarius autem, vel ſerius confitentibus, vel

(1) *Bened. XIV. Conſtit.* Suprema 7. *Julii* 1745. *Conſtit.* Ubi primum 2. *Junii* 1746. *Conſt.* Ad eradicandum 28. *Sept.* 1746.

(2) *Syn. de Comit. loc. cit. c.* 4.

Digitized by Google

vel in peccata facile recidentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſollemnibus, confiteantur, &, ſi expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias ſibi ipſis Confeſſarii non applicent, neque a Pœnitentibus quicquam, tamquam miniſterii ſui præmium, petant, vel accipiant. Quinimmo verbis, vel potius factis, ut eos S. Carolus monet (1), a muneribus omnibus ſe abhorrere demonſtrent. Prædeceſſorum autem noſtrorum decreta (2) confirmantes, ſevere interdicimus ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, ne eleemoſynam ullam accipiant, ut pro pœnitentia injunctas Miſſas aut ipſi celebrent, aut in propria Eccleſia celebrari faciant. Cum autem quid a Pœnitente accipiunt, alicui reſtituendum, accepti ſyngrapham ab eo, cui traditur, exigant, qua pœnitens de facta reſtitutione certior efficiatur. Incertorum præterea bonorum, ad quæ reſtituenda Pœnitens ſit forte obnoxius, diſtributionem arbitrio ipſius relinquant; ne ſi hoc onus Confeſſarii ipſi aſſumant, ſuſpicari Pœnitens poſſit, ſibi eos retinere velle, quæ pauperibus forent eroganda. Quod ſi charitas, aut prudentia ſecus aliquando faciendum ſuggeſſerit, ultra aurei valorem de hujuſmodi bonis Confeſſarii, nobis inconſultis, non diſponant (3).

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifeſtam pœnitentiam non imponant.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio; ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces: quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris; qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare no-

(1) *In Inſtruct. ad Confeſſar. actor. p. 4. pag. 769. col. 2.*
(2) *Syn. Mancinf. loc. cit. n. 5. & ibi allegat.*
(3) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 6. Buſſi n. 15. Syn. Fulgin. loc. cit. num. 9. & ibi allegat.*

nolunt; aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant; neque etiam eos abſolvat., quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis, & cenſuris, quantumvis reſervatis (ceſſat enim tunc omnis reſervatio): ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat; ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus.

Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata Pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

Meminerit porro Sacerdos, ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam pœnitentiam: ſed indicendam tantum illam, quam, ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi ſatisfactione impoſita, & acceptata, abſolvantur, prout opus fuerit. Atque ut Medici, & Chirurgi ea exequi poſſint, quæ ipſis in prima Parte Tit. VIII. præſcripſimus, Confeſſarii per ſchedulam proprio charactere ſubſcriptam, atque in domo infirmi relictam, vel alia ſimili ratione, de ægrotantis confeſſione excepta, vel opportunius in aliud tempus dilata, ea ipſa die, qua acciti fuerint, Medicum, aut Chirurgum ad Infirmi curam vocatum monere teneantur (1). Qui ſecus egerint, ab audiendis confeſſionibus a nobis protinus ſuſpendentur (2).

Ultimo attendant volumus Confeſſarii, quod quantum comitatem, atque humanitatem erga Pœnitentes debent præſefer-

(1) *Conc. Rom. tit. 32. c. 1.*

(2) *Vide mandata, & monita ad Medicos in Append. Conc. Rom. ſub num. 28., & in Append. Syn. Baſſi pag. 254.*

ſeferre, tantum etiam familiaritatem cum eiſdem nimiam; præcipue ſi mulieres ſint, evitare ſummo ſtudio tenentur. Quare abſtineant omnino ab earum domibus frequentandis, etiam prætextu ſpiritualium collationum (1); nec niſi cum neceſſitas, aut charitas poſtularint, eas inviſant. Quinimmo, ut ſancti Viri, ac Prædeceſſores etiam noſtri (2) monuere, prolixas in ſede ipſa confeſſionali cum fæminis de ſpiritualibus rebus collocutiones declinent, multoque minus eis vetent, ne alios Confeſſarios adeant, ſalutaria interdum conſilia exquiſituræ.

TITULUS VI.

De Extrema Unctione.

EXtremæ Unctionis ſacramentum (3) *a Chriſto Domino inſtitutum, tamquam cœleſtis medicina non animæ ſolum, ſed etiam corpori ſalutaris, omni ſtudio, ac diligentia periculoſe ægrotantibus adhibendum eſt; & eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget: ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipſi etiam ſuam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum ſacro liniuntur oleo.* Præ oculis itaque habeat Parochus illam Catechiſmi Romani (4) ſententiam: *graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, quum, jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat.* Et quia id, quod plerumque remoratur fideles, rudes præcipue, & ignaros, a ſuſcipiendo tempeſtive hoc Sacramento, eſt falſa illa, & a Diabolo certe eorum animis injecta opinio, qua credunt, actum eſſe de vita illius, qui ſancto unctus eſt oleo, & ſolum ei ſupereſſe ſepulchrum; curet Parochus, crebris monitionibus tam pernicioſum errorem

(1) *Syn. Puſſi p.2. c.6. n.14.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Rit. Rom. tit.5. c.1.*
(4) *Catheciſmus Rom. hoc tit.*

rorem evellere (1): doceatque immo certum eſſe ex S. Jacobi doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, ſi expedierit, virtute hujus Sacramenti ſalutem conferre.

In quo illud in primis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut ſi tempus, & Infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta Infirmis præbeantur.

Habeat igitur Parochus loco nitido, & decenter ornato, in vaſe argenteo, ſeu ſtanneo, diligenter cuſtoditum ſacrum Oleum infirmorum, quod ſingulis annis feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto, renovandum eſt. Id tamen, ſi forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinfuſo, reparari poteſt. Quæ de benedictione, & decenti cuſtodia ſacri Olei infirmorum hic dicenda forent, tradita a nobis ſunt ſuperiori Titulo II. *de Baptiſmo*, ubi de ſacris Oleis actum fuit.

Oleum porro ipſum vel per ſe ſolum, vel in bombacio, ſeu re ſimili ſervari poteſt: ſed ad evitandum effuſionis periculum, multo commodius ad Infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum Infirmis præberi, qui quum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis, qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis, etiamſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur.

Sed ſi Infirmus, dum phreneſi, aut amentia laborat, veriſimi-

T

(1) *Sn. Mancinf. p.2. c.3. n.7. Bened.XIV. de Syn. Diœceſ. lib.8. c.7. n.2.*

ſimiliter poſſet quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, *non inungatur*, *niſi periculum tollatur omnino*.

Impœnitentibus vero, *& qui in manifeſto peccato mortali moriuntur*, *& excommunicatis*, *& nondum baptizatis penitus denegetur*.

Non miniſtretur etiam prœlium inituris, *aut navigationem*, *aut peregrinationem*, *aut alia pericula ſubituris*, aut fœminis partui propinquis, niſi alia inſuper eiſdem acceſſerit extraordinaria, & lethalis corporis ægritudo (1), *aut Reis ultimo ſupplicio mox afficiendis*, *aut pueris rationis uſum non habentibus*, aut denique perpetuo amentibus, & furioſis, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt (2).

Si quis autem laborat in extremis, *& periculum immineat*, *ne decedat*, *antequam finiantur unctiones*; *cito ungatur*, *incipiendo ab eo loco*: per iſtam ſanctam Unctionem &c. *ut infra*; *deinde ſi adhuc ſupervivat*, *dicantur orationes prætermiſſæ ſuo loco poſitæ*. Quinque ſenſuum unctiones extra caſum neceſſitatis omitti nequeunt ſine gravis culpæ reatu. Sed ſi Sacerdos prudenter timeat, ægrotum deceſſurum, priuſquam omnes abſolvantur, unicum ſenſum magis ad unctionem expoſitum, aut caput, e quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, inungat ſub hac univerſali forma (3): *Per iſtam ſanctam Unctionem*, *& ſuam piiſſimam miſericordiam*, *indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum*, *auditum*, *odoratum*, *guſtum*, *& locutionem*, *tactum*, *& greſſum*. *Amen*.

Si vero, *dum inungitur*, *infirmus decedat*, *Presbyter ultra non procedat*, *& prædictas orationes omittat*.

Quod ſi dubitet, *an vivat adhuc*, *unctionem proſequatur*, *ſub conditione pronuntiando formam*, *dicens*. Si vivis, per iſtam ſanctam unctionem &c. *ut infra*.

Si

(1) *Bened. XIV. de Syn. lib. 8. c. 5. n. 1.*
(2) *Idem ibidem c. 6. n. 3. Syn. de Comit. tit. 9. c. 2.*
(3) *Bened. XIV. ibidem c. 3. n 5.*

Si autem acciderit, infirmum poſt peccatorum ſuorum confeſſionem ad exitum vitæ properare, tunc cum ſacro Viatico poterit & Oleum infirmorum ad eum deferri per ipſum Sacerdotem, qui defert ſacram Euchariſtiam. Si tamen alius Preſbyter, vel Diaconus, qui Oleum ſanctum deferat, haberi poſſit, per ipſum deferatur, qui ſuperpelliceo indutus cum Oleo ſacro occulte delato ſequatur Sacerdotem Viaticum portantem; & poſtquam Infirmus Viaticum ſumpſerit, inungatur a Sacerdote. Solus Parochus eſt ordinarius extremæ Unctionis miniſter, nec ulli fas eſt, extra neceſſitatis eventum, ſine ejus licentia hoc Sacramentum adminiſtrare. Si tamen Parochus, ejuſque adjutor, aut viceſgerens abſit, & ægro mortis inſtet periculum, cuilibet Sacerdoti ſæculari, aut Regulari integrum facimus ſacro Oleo moribundum inungere(1)

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit; ut ſi, quum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.

Quinque vero corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus; attamen pedes etiam, & renes ungendi ſunt; ſed renum unctio in mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Manus vero, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.

Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipſorum inungendo Sacramenti formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit.

(1) *Bened. XIV. loc. cit. c. 4. n. 7. Syn. de Comit. tit. 9. c. 2.*

Si quis autem ſit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma.

Hujus autem Sacramenti forma, qua ſancta Romana Eccleſia utitur, ſollemnis illa precatio eſt, quam Sacerdos ad ſingulas unctiones adhibet, cum ait „ Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam „ piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per „ viſum, ſive per auditum &c. deliquiſti „.

Quoad ritum attinet hujus Sacramenti adminiſtrandi, deſcribitur is mox in Rituali eodem (1), ex quo hæc præcipue in memoriam Parochorum revocamus. Ac primo: *Vas ſacri Olei ſacculo ſerico violacei coloris incluſum caute deferatur, ne effundi poſſit*; ideoque, ut ſupra a Rituali notatum eſt, *multo commodius ad Infirmos defertur in bombacio. Quod ſi longius iter peragendum, aut etiam equitandum ſit, ſacculo, aut burſa incluſum ad collum appendatur*; numquam vero in femoralium ſacculo, quod indecentiſſimum eſſet, deferatur ſub pœnis arbitrio noſtro (2). Secundo: Quum ad infirmi cubiculum pervenerit Parochus, *ſi is voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat: deinde piis verbis illum conſoletur, & de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, ſi tempus ferat, breviter admoneat, & quantum opus ſit, ejus animum confirmet, & in ſpem erigat vitæ æternæ*. Tertio: *Bombacii globulos, quibus inuncta loca terguntur, in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cinereſque projiciat in Sacrarium*, quod etiam a Prædeceſſoribus noſtris cautum invenimus (3). Quarto: Sacramento miniſtrato, precibuſque abſolutis, *pro perſonæ qualitate, ſalutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur. Admoneat etiam domeſticos, & miniſtros infirmi, ut ſi morbus ingraveſcat, vel infirmus inci-*

piat

(1) *Cap.* 2.

(2) *Syn. Civit. Caſtellanæ* 1756. *tit.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *Viterb.* 1762. *tit.* 2. *c.* 4. *n.* 6. *Civit. Caſtelli* 1766. *act.* 2. *c.* 6. *n.* 9 *&c.*

(3) *Syn. de Comit. loc. cit. cap.* 3.

piat agonizare, ſtatim ipſum Parochum accerſant, ut morientem adjuvet, ejuſque animam Deo commendet; ſed ſi mors immineat, priuſquam diſcedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit.

TITULUS VII.

De Ordine.

Præcipuum Eccleſiæ bonum ex eo derivari, ut nemo, niſi per omnia probatus, clericali adſcribatur militiæ, utque qui ſanctitate morum non præſtant, qui docti in lege Domini non ſunt, qui demum aut nullam, aut tenuiſſimam de ſe, ſuaque induſtria præbent expectationem, illis ad eccleſiaſticos gradus, atque Ordines nullus pateat aditus, Epiſcopis omnibus denunciavit Sanctiſſimus Dominus Noſter PIUS Papa VI. in ipſo ſui Pontificatus exordio (1): & melius profecto eſt, ut ad Epiſcopos pariter omnes ſcripſit Benedictus XIV. (2), pauciores habere Miniſtros, ſed probos, ſed idoneos, atque utiles; quam plures, qui in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, nequicquam ſint valituri.

Quoniam vero, ſi inutiles hujuſmodi Miniſtri in Eccleſia Dei inveniantur, in cauſa plerumque eſt, quod multi clericali militiæ adſcribi exoptant, non ut Deo fidelem præſtent cultum, ſed vel ſæcularis judicii declinandi fraude, vel ad temporalia lucra, ſeu commoda ſibi comparanda; adeoque non per oſtium intrare, ſed aliunde in Eccleſiam irrumpere moliuntur; ſollicitudinis idcirco noſtræ partes, ſicut hactenus, ita & in poſterum in id potiſſimum conferemus, ut nemo, juxta Apoſtoli monitum, ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron (3); ac numquam patiemur addu-

(1) *Epiſt. Encycl. ad omnes Epiſc. 25. Dec. 1775.*
(2) *Encycl.* Ubi primum 3. *Dec.* 1740.
(3) *Vide Syn. Buſſi p. 2. c. 3. n. 2.*

adduci nos importunis precibus, commendationibus, ſuggeſtionibus, aut humano quocumque reſpectu, ut minus dignos ad Clerum aſſumamus.

Morum integritatem in primis, ſcientiam quoque, ac doctrinam cuique Ordini competentem in initiandis omnino requiremus; atque ea de cauſa oves noſtras ſummo ſtudio nos ipſi cognoſcere curabimus. Verum quia multa quandoque Paſtoris oculos fugere poſſunt, in partem noſtræ ſollicitudinis Parochos, Seminarii noſtri Rectorem, ac Ludimagiſtros vocamus, eoſque in viſceribus Jeſu Chriſti rogamus, & obſecramus, ut in dandis atteſtationibus de morum honeſtate, aut ſtudiis promovendorum, nulli benignius indulgeant, ſed veritatem aperte fateri non erubeſcant. Atque ut liberius ſuo muneri poſſint ſatisfacere, mandamus, ut Parochi, ac Seminarii Rector de vitæ, ac morum integritate, quoad publice conſtat dumtaxat: Ludimagiſtri vero de ſcholæ frequentia, ac de genere diſciplinæ, cui ordinandi incumbunt, teſtimonium publicum dicant: ſecreto nos deinde moneant de reliquis eorum qualitatibus, indole, ingenio, in ſtudiis profectu, cæteriſque hujuſmodi, fidenter rem omnem aperiendo; eis quippe inviolabilem ſecreti fidem pollicemur (1).

Præ oculis autem Parochi habeant in hac facienda ſecreta relatione, quæ a nobis ſupra Tit. I. primæ Partis conſtituta ſunt circa vitam, & honeſtatem Clericorum; ut referant, an qui Ordinibus initiari volunt, mandatis noſtris pro viribus parere ſtuduerint (2).

Ut promovendi ad majores præſertim Ordines virtute, ac doctrina idonei ad ſacra munera obeunda inveniantur, quædam a Prædeceſſoribus etiam noſtris præſcripta, cenſemus obſervanda omnino eſſe. Horum primum eſt, ut per aliquod temporis ſpatium a nobis cuilibet præfiniendum, in Seminario

(1) *Vide Syn. Buſſi loc. cit. n. 6. Syn. Viterb. art. 9. n. 4. &c. 1762. tit. 2. c. 4. n. 19. Tuſcul. 1763. p. 3. c. 15.*

(2) *Vide Syn. Buſſi loc. cit.*

nario noſtro commorentur initiandi omnes ad ſacros potiſſimum Ordines; niſi aliquem ex juſta cauſa eximere ab hac lege viſum nobis fuerit (1). Secundum, ut præter ea, quæ ſupracitato loco de Clericorum ſtudiis ſancita ſunt, quicumque ad Subdiaconatum aſcendere cupiunt, Theologiæ moralis curriculum vel jam ſuſceperint, vel mox ſuſcepturi ſint, & ad Sacerdotium uſque non interrupte proſequantur (2). Cæterum Juris canonici, & Theologiæ etiam ſcholaſticæ, ac dogmaticæ ſtudium ab iiſdem ut plurimum exquiremus. Tertium, ut juxta encyclicas ſacræ Congregationis litteras (3) Clerici omnes, antequam ad quemlibet ex ſacris Ordinibus aſſumantur, per decem continuos dies ſpiritualia, ut vocant, exercitia peragant in domo ad eum finem in noſtra hac Civitate deputata, ſeu in alia pia domo a nobis deſignanda, & approbanda (4). Ad primam item Tonſuram, vel minores Ordines promovendi, ſpiritualibus eodem modo vacent exercitiis, per antedictum, vel brevius arbitrio noſtro temporis ſpatium; permiſſo eis tamen quotidie reditu in propriam domum, juxta normam ab exercitiorum Directore tradendam (5).

Clericos, ne turpiter mendicare cogantur, ſine legitimo ſuſtentationis titulo ad ſacros Ordines promoveri vetitum eſt. Et quamvis a Prædeceſſoribus noſtris (6) præfinita fuerit taxa Romanorum ſcutorum ad minus triginta annui redditus a Beneficio, Penſione, ſeu Patrimonio, ad cujus titulum quis ordinatur, percipiendi; nos taxam huiuſmodi intactam quidem relinquimus quoad Clericos, qui extra Urbem hanc noſtram per Diœceſis loca domicilium habent; quoad eos tamen, qui in ipſa Urbe illud ſibi conſtitue-

(1) *Syn. Maffei ad Decr. 7.*
(2) *Syn. Mancinf. p. 2. c. 4. n. 3.*
(3) *Encycl. S. C. Epiſc. ſub Innoc. XI. 9. Octob. 1682., & S. C. Conc. 1. Febr. 1710.*
(4) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 11. Mancinf. n. 6.*
(5) *Syn. Buſſi n. 12. loc. cit.*
(6) *Syn. IV. Galli c. 14. de Comit. tit. 8. c. 2. Buſſi loc. cit. n. 8.*

tuerunt, attendentes, quod hic Annona propter confluentium undique exterorum hominum copiam efficitur in dies carior, ad triginta ſex ſaltem Romana ſcutata taxam prædictam ampliamus; reſervata tamen nobis, & Succeſſoribus noſtris facultate eam in peculiari aliquo caſu, attentis Ordinandi qualitatibus, aliiſve circumſtantiis, in aliqua ſumma moderandi (1). Declaramus autem primo, annuum redditum præfatum immunem eſſe debere ab omnibus oneribus tam publicis, quam privatis: at quoad Miſſarum onera, quum ſacra Concilii Congregatio (2) Ordinariorum conſcientiæ & arbitrio decernendum reliquerit, an ſint detrahenda, necne; nos judicium ea ſuper re in particularibus caſibus, penſatis omnibus circumſtantiis, proferemus (3). Secundo, ſi quis ad titulum Patrimonii, attenta Eccleſiæ neceſſitate, vel utilitate, ſacris Ordinibus initietur, volumus, ut Patrimonium ipſum conſtituatur in bonis immobilibus, ac frugiferis, nullo ære alieno gravatis, nullaque affectis hypotheca, ac ſine portionis fratrum, & ſororum detrimento (4). Si quis vero eccleſiaſticum Beneficium poſſideat ad ſui ſuſtentationem ſufficiens, quamvis pingui etiam Patrimonio non careat, ad Beneficii, non vero ad Patrimonii titulum omnino erit promovendus (5). Tertio Beneficium, Penſionem, aut Patrimonium, quod titulum Ordinationis conſtituit, reſignari, extingui, alienari, obligari, aut unum alteri ſubrogari diſtricte vetamus, niſi expreſſus noſter conſenſus accedat (6). Quarto ſuper his omnibus publicum conficiatur Inſtrumentum in Curia noſtra Epiſcopali coram generali Vicario noſtro (7): & ejus Inſtru-

(1) *Syn. Buſſi ibidem.*

(2) *In Ariminen. 17. Julii 1723. Bened. XIV. de Syn. lib. 12. c. 9. n. 6.*

(3) *Bened. XIV. Inſtit. 26. n. 6. Syn. Tuſc. loc. cit. art. 4. num. 2.*

(4) *Syn. de Aſte decr. 7. Mancinf. p. 2. c. 4. num. 5.*

(5) *S. C. C. in Sorana 26. Januarii 1669., & in Camerinen. 4. Aug. 1685. apud Syn. Tuſcul. loc. cit.*

(6) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de Reform. S. C. C. apud Bened. XIV. Inſtit. 26. n. 28. & ſeqq. Syn. de Comit. loc. cit.*

(7) *Syn. de Comit. loc. cit.*

ſtrumenti ſumma ter a Parocho intra Miſſarum ſollemnia publicetur, juxta formam per Curiam ipſam tradendam, antequam quis ad Subdiaconatus ordinem aſcendat.

Opportune hic monemus omnes, qui ad conſtitutionem Patrimonii, vel tamquam principales, vel tamquam teſtes ad examen vocati concurrunt, ſeu quocumque modo cooperantur, ſe in graviſſimam excommunicationis nobis reſervatæ pœnam incidere ipſo facto (1), ſi Patrimonium falſum, fictum, fiduciarium, aut deficiens ſcienter obtrudant; Clericum vero, qui fraudis conſcius Epiſcopum decipit, & ad ſacros Ordines aſcendit, fieri præterea ipſo jure ſuſpenſum (2).

Quamvis pauperes adoleſcentulos, & præcipue Seminarii noſtri Alumnos, in quibus pietas, ingenii vis, atque in ſtudiis profectus plurimum commendantur, libentiſſime Tonſura, ac minoribus Ordinibus initiare parati ſimus, eiſque præterea favorem, auxiliumque noſtrum, quoad poterimus, polliceamur, ut titulo aliquo ſuffulti ad majores Ordines ſuo tempore progrediantur; cæteris tamen, quibus hujuſcemodi titulum conſequendi certa ſpes non affulget, nec primam quidem Tonſuram conferemus; niſi forte expedire nobis viſum fuerit, nonnullos ex ipſis per Tonſuræ, ac minorum Ordinum Collationem, alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio deputari (3).

Lato edicto de Ordinibus proximis ab Eccleſia ſtatutis temporibus per nos conferendis, qui Ordine aliquo initiari exoptat, in termino per edictum ipſum conſtituto nos adeat cum ſupplici libello, in quo deſiderium ſuum patefaciat. Annuentibus nobis, ſupplicem ipſum libellum una cum atteſtationibus infra recenſendis Cancellario noſtro tradat,

V præ-

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. Tabella Caſuum reſerv. ut in Syn. Maffei, & Man iuſ.*

(2) *Vide Bened. XIV. Inſtitut. n. 16.*

(3) *Vide Conſtit. Innocen. XIII.* Apoſtolici miniſterii §. 1. *confirmat. a Bened. XIII. ut in Append. Conc. Rom. ſub n. 16.*

præſtitutaque deinde die, ad examen coram nobis per Examinatores a nobis vocatos habendum accedat. Quia tamen atteſtationibus præfatis, necnon publico examini penitus fidendum non eſſe quotidiana probat experientia; adſcitis ſecreto, ut ſupra innuimus, Parochis, Seminarii Rectore, Ludimagiſtris, aliis etiam, ſi ita res poſtulabit, gravibus eccleſiaſticis viris, de ordinandorum moribus, doctrina, qualitatibus denique omnibus diligentiſſime inquiremus; atque ita tutius pronunciabimus, qui admittendi, qui repellendi ab Ordinibus nobis videantur. Quoad eos autem, qui ad ſingulos majores erunt aſſumendi, proprio eorum Parocho nihilominus per Vicarium noſtrum committetur, quemadmodum in more eſt, ut tribus feſtivis diebus inter Miſſarum ſollemnia nominibus, ac deſiderio eorum publice propoſitis, de ipſorum ordinandorum idoneitate, ut Tridentinum præcipit (1), ſedulo inquirat; & teſtimoniales litteras de facta trina hujuſmodi publicatione, nulloque, quod Ordinibus obſtet, detecto impedimento, deinde conficiat.

Teſtimoniales autem, quæ una cum ſupplici libello ab initiandis deferri debent, erunt ſequentes (2).

Pro prima Tonſura.

1. De Baptiſmo, ex cujus teſtimoniali conſtabit etiam de ætate, quæ ſeptennio ſit major.
2. De Confirmatione.
3. De vita, & moribus a Parocho, vel, ſi ſit Seminarii alumnus, a Seminarii ejuſdem Rectore.
4. De ſcholæ frequentia, ac rudimentorum Fidei ſcientia a Ludimagiſtro.
5. Puberes præterea, qui ante pubertatem ingreſſi non ſint Seminarium noſtrum, atteſtationem exhibeant da-

(1) *Seſſ. 23. de Ref. c. 5.* (2) *Syn. Mancinſ. in Append. pag. 35. ſeqq.*

datam a Foro criminali, ex qua conſtet, illos numquam fuiſſe inquiſitos, neque, ut ajunt, *proceſſatos*, neque ullo crimine condemnatos.

Pro Ordinibus tam minoribus, quam majoribus.

1. De vita, & moribus, ut ſupra.
2. De Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequentia a Parocho, ſeu Confeſſario, aut Seminarii Rectore.
3. De Tonſura, vel ultimo Ordine ſuſcepto.
4. De Scholæ frequentia, & ſtudiis a Ludimagiſtro.
5. De ſervitio Eccleſiæ, cui fuit adſcriptus, ſi extra Seminarium degat (ad normam Tit.I. P.I. hujus Synodi), ab Eccleſiæ ejuſdem Præfecto.
6. De intereſſentia ad pontificales functiones, ſeu Cappellas, & ad conſuetas Supplicationes, ſi Civitatem incolat, & extra Seminarium degat, a cæremoniarum Magiſtro.

Præterea pro majoribus Ordinibus.

7. De Baptiſmo, ut conſtet de ætate legitima inceptorum 22. annorum pro Subdiaconatu, 23. pro Diaconatu, 25. pro Presbyteratu.
8. De exercitio Ordinis ſacri ultimo ſuſcepti.

Mox deſcripta teſtimonia una cum ſupplici libello Cancellario noſtro, ut diximus, tradenda erunt in termino per edictum præfixo: proxime autem ante Ordinationem, ab initiandis ad majores Ordines tradentur etiam teſtimoniales de factis a Parocho denunciationibus, & de exercitiis ſpiritualibus rite, ut ſupra, peractis.

Clerici noſtræ hujus Diœceſis, ab alieno Epiſcopo cum noſtris dimiſſorialibus litteris promoti, omnino infra menſem

ſem teſtimonium ſuſcepti Ordinis in Cancellaria noſtra regiſtrandum exhibere teneantur, ſub gravibus pœnis per nos decernendis.

De Regularium vero Ordinationibus ſatis ſuperque ſub Tit. VI. primæ Partis actum fuiſſe cenſemus.

TITULUS VIII.

De Matrimonio.

UT Chriſtifideles Matrimonii ſanctitatem cognitam habentes, ad Sacramentum hoc magnum, ea, qua decet, animi reverentia, ac pietate ineundum accedant, eamdemque ſanctitatem, mutuamque animorum concordiam perpetuo inviolatam, indiſſolubilemque ſervent (1), ſummo ſtudio curare debent animarum Paſtores, quo honorabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus (2).

Parochus itaque (3) *admonitus de aliquo matrimonio in ſua Parochia contrahendo, primum cognoſcat ex his, ad quos ſpectat, qui, & quales ſint, qui matrimonium contrahere volunt: an inter eos ſit aliquod canonicum impedimentum: utrum ſponte, & libere, & ſecundum honeſtatem Sacramenti velint contrahere: utrum ſint in ætate legitima, ut vir ſaltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit; & uterque ſciat rudimenta Fidei, quum ea deinde filios ſuos docere debeant.* Præterea, ut monet Benedictus XIV. (4), utrum aliis fidem, ſponſionemque alter ex contrahentibus dederit. Utrum de conſenſu parentum contrahant, ſi ſint filii, filiæve familias. Hæc & alia hujuſmodi cognoſcere ſtudeat tum ab aliis, tum maxime ab ipſis, qui matrimonium ſunt contracturi, ſponſum, & ſponſam ſeorſim, caute, & ad aures explorando. Hanc autem

tem

(1) *Bened. XIV. Conſtit.* Nimiam licentiam 18. *Maii* 1743. §. 8.

(2) *Hebr.* 13. 4.

(3) *Rit. Rom. tit.* 7. *c.* 1.

(4) *Conſtit. cit.* §. 10.

tem provinciam in Civitate Parocho ſponſæ demandamus; per Diœceſim vero utrique Parocho, ſi contrahentes ſint diverſæ Paræciæ.

Noverit ex probatis auctoribus, quæ ſint canonica impedimenta matrimonii contrahendi, & quæ contractum dirimant, & qui ſint gradus conſanguinitatis, & affinitatis, & item cognationis ſpiritualis ex Baptiſmi, vel Confirmationis ſacramento contractæ.

Habeat in primis ipſe bene cognita præcepta illa omnia, quæ in matrimoniis rite conficiendis ſervari oportere ſacri Canones, & præcipue ſancta Synodus Tridentina juſſit; dabitque operam, ut illa in Parochia ſua accurate, exacteque ſerventur.

Præſertim vero meminerit, matrimonia inter raptorem, & raptam, dum ipſa in raptoris poteſtate manſerit, irrita, necnòn clandeſtina, & quælibet matrimonia, quæ aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus contrahuntur, ex ipſius Concilii decretis irrita omnino, ac nulla eſſe.

Eſt autem proprius Parochus, qui adeſſe debet, is, in cujus Parochia matrimonium celebratur, ſive viri, ſive mulieris. Conſuetudinem tamen hujus noſtræ Diœceſis, matrimonium celebrandi in Parochia, & coram Parocho mulieris, retineri omnino volumus.

Caveat præterea Parochus, ne facile ad contrahendum matrimonium admittat vagos, & peregrinos, & qui incertas habent ſedes, neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut ſunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur, niſi diligenter de iis omnibus facta inquiſitione, & re ad Ordinarium delata, ab eoque habita ejuſmodi matrimonii celebrandi licentia, quæ gratis concedatur. Immo juxta Deceſſorum noſtrorum decreta (1) ſeveriſſime interdicimus, ne ulli matrimonio, ne in-

(1) *Syn. de Comit. tit.* 10. *cap.* 1. *de Aſſe decret.* 8.

indigenarum quidem, aſſiſtat, ſive per ſe, ſive per alium, ſine prævia noſtra, vel Vicarii generalis ſcripta licentia, quæ nonniſi poſt exhibitum de denuntiationibus in Eccleſia factis, ac de nullo ſubinde detecto impedimento, Parochi ipſius teſtimonium concedetur.

Quare, *antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus feſtis*, non tamen immediate ſubſequentibus (1), *in Eccleſia intra Miſſarum ſollemnia ad ipſius Concilii præſcriptum publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum.*

Si verò vir, & mulier Parochiæ ſint diverſæ, in utraque Parochia fiant denuntiationes: immo ſi alteruter per quatuor ſaltem ante menſes in ea Paræcia non habitarit, in qua contrahere debet, vel trina denuntiatio fiat tam in Paræcia, ubi recens moratur, quam in ea, unde diſceſſit, vel ſaltem una in illa, duæ reliquæ in hac peragantur (2). *Quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii* (prævia, ut ſupra, noſtra licentia) *procedatur: ſed ſi quid obſtat, ultra Parochus non procedat*, ſed rem totam ad nos, vel Vicarium noſtrum deferat.

Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, vel alia rationabilis cauſa ſubſit, arbitrio Epiſcopi, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes: tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denuntiatio, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi aliter Ordinarius ipſe expedire judicaverit.

Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, niſi prius de utriuſque contrahentis libero conſenſu ſibi bene con-

(1) *Syn. de Aſte ibidem Mancinſ. p.2.c.5. n.3.* (2) *Syn. Buſſi p.2. c.9. n 7.*

conſtet. Hæc igitur noſtra hac in Diœceſi conſtans ſervanda erit methodus in matrimoniis celebrandis. Præcedat primo ſecreta Parochi exploratio, de qua ſupra; & factæ hujuſmodi explorationis Parochi teſtimonium ad Curiam noſtram tranſmittatur (1). Probetur in ea deinde liber contrahentium, etiam civium, & indigenarum ſtatus (2), ſervata forma inſtructionis ſac. Congregationis S. Officii (3). Si nihil obſtet, fiet Parocho a Vicario noſtro licentia in *ſcriptis* præfatas denuntiationes habendi. Ac demum reportato a Parocho teſtimonio de hujuſmodi factis publicationibus, nulloque detecto impedimento, licentia dabitur pariter *in ſcriptis*, ut dictum eſt, matrimonium celebrandi in facie Eccleſiæ.

Si vero infra duos menſes poſt factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur.

Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Miſſarum ſollemnia Parochus populum admoneat in hanc ſententiam vulgari ſermone.

„ *Notum ſit omnibus hic præſentibus, quod N. vir, & N.*
„ *mulier ex tali, vel tali familia, & Parochia, Deo adjuvan-*
„ *te, intendunt inter ſe contrahere matrimonium. Proinde ad-*
„ *monemus omnes & ſingulos, ut ſi quis noverit aliquid con-*
„ *ſanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, vel*
„ *quodvis aliud impedimentum inter eos eſſe, quod matrimonium*
„ *contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis de-*
„ *nuntiare debeat, & hoc admonemus primo* (ſi fuerit prima),
„ *vel ſecundo* (ſi fuerit ſecunda), *vel tertio* (ſi fuerit tertia
„ denuntiatio).

Inu-

(1) *Syn. de Comitibus loc. cit.*
(2) *Litt. Congr. S. Offic. ad Nos data die 27. Aprilis 1776.*
(3) *Inſtruct. ſac. Inquiſit. 21. Aug. 1670.*

Inutiles porro eſſent hujuſmodi denuntiationes ad aſſequendum finem ab Eccleſia intentum, ſi populus plane ignoraret, quæ ſint canonica Matrimonii impedimenta. Curæ idcirco erit Parochorum, bis ſaltem in anno, iis nempe temporibus, quibus ſollemnes nuptiæ aperiuntur, brevibus, & modeſtis verbis ea, quæ vel illicitum, vel irritum faciunt Matrimonium, tum ex probatis auctoribus, tum ex elencho impedimentorum a Deceſſoribus noſtris vulgato (1) Populo explicare (2). Ea autem occaſione doceant, teneri unumquemque ſub gravi crimine impedimenta, ſi quæ norit, revelare; ſive probari ea poſſint, ſive nequeant; ſive certa ſint, ſive dubia; ſive publica, ſive occulta, & ſub ſecreti etiam (non tamen ſacramentalis) fide ſibi patefacta: quod ſi non revelet, reum fieri malorum, quæ ex damnato connubio oriuntur, & quibus occurrere poterat revelando (3).

Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem ſacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium conſumment, nec etiam ſimul maneant, niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus: quæ benedictio a nullo alio, quam ab ipſo Parocho, ſeu ab alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia fieri debet. Multo magis cavendum eſt ex S. Carolo (4), *ne ſponſi priuſquam matrimonium in Eccleſia per verba de præſenti ex ritu celebraverint, non modo non ſimul habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine, commerciove utantur.* Quare nos Deceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes (5), nocturnas ſponſorum viſitationes, ac etiam, ſi frequentes ſint, diurnas ipſas; ſecreta item inter eos colloquia, conſanguineorum præſentia non hone-

(1) *Vide Append. Syn. Mancinforte pag. 28.*
(2) *Syn. de Aſte loc. cit. Buſſi loc. cit. num. 8. Mancinf. num. 2.*
(3) *Syn. Maſſai ad Decr. 8.*
(4) *Acta Eccleſ. Mediol. pag. 315. & 316.*
(5) *Syn. de Aſte loc. cit. Buſſi n. 5. Maſſai in Editio impreſſo in Append. ejus Syn. pag 91.*

honeſtata, ſub pœna carceris, aliiſque pecuniariis pro modo culpæ tum adverſus ſponſos, tum adverſus eorum parentes, & conſanguineos arbitrio noſtro infligendis, ſevere interdicimus: Parochiſque præcipimus, ut inobedientes, ſi ab ipſis paterne correcti minime reſipuerint, nobis, aut Vicario noſtro generali denuntient.

Caveat etiam Parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat, ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas nuptias tranſeat. Sed ubi ea viget conſuetudo (quemadmodum in hac noſtra Diœceſi), *ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur; ea ſervanda eſt. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamſi ejus vir nunquam uxorem duxerit.*

Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari decet; ſed ſi in domo celebratum fuerit, præſente Parocho, & teſtibus, ſponſi veniant ad Eccleſiam benedictionem accepturi; & tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus conſenſum exigat, ſed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Miſſa, ut infra dicetur. Sanctiones Prædeceſſorum noſtrorum (1) confirmantes, ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis præcipimus, ut ſine peculiari noſtra diſpenſatione, ex graviſſima dumtaxat cauſa concedenda, matrimonium non celebretur, niſi in Eccleſia, & quidem de mane, ad hoc ut Sponſi ſtatim a Parocho benedictionem in Miſſa accipiant.

Admoneantur præterea conjuges, ut antequam contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur; immo, ſi ſapiant, per aliquot dies ante nuptiarum celebrationem, totius anteactæ vitæ generalem confeſſionem inſtituant, ut ſi forte ex ea impedimentum aliquod dirimens inter ipſos intercedere dignoſcatur, poſſit opportuno tempore ſine ſcandali periculo de remedio provideri (2), X Ad-

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. cap.2. de Aſte loc. cit.*

(2) *Syn. Tuſculana 1763. part.3. cap. 16. art.13. num.2.*

Admoneantur deinde, ut ea die, qua nubunt, *ad ſanctiſſimam Euchariſtiam, atque ad Matrimonii ſacramentum ſuſcipiendum pie accedant; & quomodo in eo recte, & chriſtiane converſari debeant, diligenter inſtruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiæ, & Saræ, verbiſque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam ſancte conjuges debeant convivere*. Non prætermittenda demum hortatio ad mulieres, ut inſtante partu Pœnitentiæ ſacramento ſe muniant; poſt partum vero, quum primum domo exierint, ad Eccleſiam ſe conferant, benedictionem a Parocho juxta vetuſtum Eccleſiæ morem recepturæ; a quo tamen nihil prorſus pro ea exigi poſſit (1).

Poſtremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive, ſollemnitates nuptiarum prohibitas eſſe; ut nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia; atque hæc etiam in licentia, ſi quando a Curia noſtra conceditur pro temporibus vetitis, ſpecialiter caveantur. *Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt. Nuptiæ vero qua decet modeſtia, & honeſtate fiant: ſancta enim res eſt matrimonium, ſancteque tractandum. Quæ omnia fere ex ſacri Concilii Tridentini decretis deſumpta, & item alia, quæ ibi de Matrimonio rite contrahendo præcipiuntur, ſunt diligenter ſervanda*.

Celebrato matrimonio *Parochus manu ſua deſcribat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, & teſtium, & alia juxta formulam præſcriptam; idque, licet alius Sacerdos vel a ſe, vel ab Ordinario delegatus matrimonium celebraverit* (2).

Si quando occulta matrimonia, quæ *conſcientiæ* vulgo nuncupantur, ex graviſſima aliqua cauſa celebrari contingat, ea omnia ſervari mandamus, quæ a ſa. me. Benedicto XIV. (3) præſcripta ſunt. Ne

(1) *Syn. de Aſte loc. cit. Buſſ p.2. c.2. n.10. Tuſcul. cit. p.3. c.7. n.17. aliæque.*

(2) *Rit. Rom. loc. cit. c.2.*

(3) *Conſtit.* Satis vobis 17. *Novembris* 1741.

Ne vero individua vitæ conſuetudo, quæ in conjugali conſortio ſervanda eſt, temere diſrumpatur; ſi conjuges abſque legitima cauſa a ſacris Canonibus probata, a communi cohabitatione diſceſſerint, atque a maritali convictu; ſedulo ſtudeant Parochi, vel per ſe ipſos, vel aliorum opera, ad priſtinam vitæ ſocietatem eos revocare. Quod ſi nihil profecerint, rem ad nos deferant, ut opportunis remediis eorum, qui ita fidem connubii maculant, damnabilem contumaciam compeſcamus. (1) Idipſum præſtent, quoties e converſo noverint, quempiam cujuſvis gradus, & conditionis hominem, qui ſibi ignotus in ſuam Parochiam ab aliena Diœceſi commigrarit, cum muliere, quam ſecum conjugis nomine duxerit; cohabitare; ſi ex infamia, vel alia legitima ſuſpicione conjicere poſſint, illam habere in concubinam. Noſtrum tunc erit certum tempus hujuſmodi hominibus præfinire, intra quod de legitimo matrimonio authentice doceant: quod documentum ſi proferatur, in codice Matrimoniorum ſervari illud a Parocho mandabimus; ſin minus, juris remediis in hoſce ementitos conjuges animadvertemus (2).

TITULUS IX.

De Jejuniis.

A Sanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, per quæ omnis vera juſtitia vel incipit, vel incæpta augetur, vel amiſſa reparatur (3), ad alias ſacras, piaſve res gradum facimus; inter quas ſanctum ſeſe nobis offert jejunium, cujus obſervantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes Diabolo, vitia blanda ſuperamus (4). Quamvis autem quæ ad ma-

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 9. Mancinſ. loc. cit. num. 4.*

(2) *Syn. de Comit. loc. cit. cap. 5. Mancinſ. n. 6. Acta Eccleſ. Mediol. pag. 101. col. 1.*

(3) *Concil. Trid. ſeſſ. 7. in Proœm.*

(4) *S. Leo Serm. 12. de Jejun. 10. Menſ. 2.*

Digitized by Google

gnum quadrageſimale jejunium rite ſervandum pertinent, nota facere gregi nobis commiſſo quotannis lato edicto non omittamus; aliqua tamen hic attexere pro recta jejuniorum diſciplina, quæ vel Quadrageſimæ, vel certis aliis anni temporibus, ac diebus, ſervari jubet Eccleſia, opportunum ducimus.

Parochi Vigiliarum, & quatuor anni Temporum jejunia, præcedenti die Dominica inter Miſſarum ſollemnia populo prænunciare non omittant: & ne a rudioribus præſertim hominibus eccleſiaſtica jejunia violari ob ignorantiam unquam contingat, mandamus, ut non modo Quadrageſimæ initium per æris campani ſonum, quemadmodum in more poſitum eſt, & in citato edicto noſtro cavetur; verum etiam cætera jejunia, vigiliarum nempe, & quatuor temporum, eodem modo Fidelibus in memoriam revocentur; dato veſpere præcedenti peculiari, & ab aliis diverſo campanæ ſigno, pauliſper poſt conſuetum precationis pro defunctis prima hora noctis, a qualibet Eccleſia parochiali, & in hac Urbe etiam a Cathedrali (1).

Ut ſacri jejunii leges variis labefactatæ corruptelis, & a ſan. mem. Pontificibus Benedicto XIV., & Clemente XIII (2) reſtauratæ, accurate ſerventur; illas aliquando, ac potiſſimum quadrageſimali tempore appetente, iidem Parochi populo explicent, earumque urgeant obſervantiam. Edicant igitur potiſſimum, iis, quibus ex legitima cauſa diſpenſatio conceditur veſcendi carnibus, aliiſve cibis vetitis (dummodo nulla certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat), geminas haſce conditiones ſub gravi præcepto impoſitas eſſe; nempe ut ſervent omnino unicam comeſtionem, & licitas, atque inter-

(1) *Vide Syn. Fulginaten. 1722. c.21. n.11. aliaſque recentiores paſſim.*
(2) *Conſtitutionibus infra citandis.*

terdictas epulas, carnes nimirum, & piſces, ne ipſis quidem diebus Dominicis quadrageſimalibus ſimul permiſceant: licet piſcibus edendis non interdicantur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia. Horam præterea jejunantibus præſcriptam obſervandam eis eſſe: neque licere in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur; ſed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus homines meticuloſæ conſcientiæ recte jejunantes utuntur: quemadmodum minime licere extra unicam comeſtionem potiones lacte permixtas ſumere; quum tam diſpenſati a carnium abſtinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparandi iis ſint, quibuſcum nulla eſt diſpenſatio; ac propterea tantummodo ad unicam comeſtionem poſſe carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere (1). Nec omittant animarum Paſtores eadem occaſione populis explicare, quinam jejunii lege, vel quoad abſtinentiam a cibis vetitis, vel quoad unicam comeſtionem, vel quoad utrumque teneantur, & quinam ab ea eximantur: in iis autem edocendis, graves, probatoſque auctores conſulant, ac præ oculis potiſſimum habeant theſes, quas in hac jejunii materia Apoſtolica Sedes confixit.

Illud autem inſinuabunt quammaxime, ut quis a jejunio quoad eſum carnium, aut ovorum, ac lacticiniorum diſpenſationem rite obtineat, legitimam cauſam, ac utriuſque Medici, corporis videlicet, & animæ, conſilium omnino requiri (2). Et ut certa aliqua praxis hac in re, quadrageſimali ſaltem tempore, in poſterum ſervetur; mandamus, ut quicumque diſpenſationem ad eſum carnium aut lacticiniorum ſibi concedi optat, teſtimonium Medici habeat, quo

is

(1) *Clem. XIII. in Encycl.* Appetente 20. *Decemb.* 1759.

(2) *Bened. XIV. Conſt.* Non ambigimus, & *Conſtit.* In ſuprema 30. *Maii*, & 22. *Aug.* 1741.

is ſcripto teſtetur, legitimam adeſſe cauſam, ob quam eſus tantum ovorum, ac lacticiniorum, aut etiam carnium poſtulanti indulgeri poſſit: quod Medici teſtimonium ſit etiam a Parocho, pro Monaſteriis vero, aliiſque mulierum cœtibus a Confeſſario ſubſcriptum. Hoc autem in Civitate ad Vicarium noſtrum generalem, ad Foraneos alibi deferatur, ut eorum reſpective diſpenſatio accedat ſcripto pariter exarata. Qui ſine urgentiſſima, ac patente cauſa vetitos cibos edere auſus fuerit, non accedente hujuſmodi diſpenſatione, in eum inquiremus, ac procedemus, tamquam in eccleſiaſticæ legis contemptorem.

Mandatis ſan. mem. Benedicti XIV. (1) obſequentes, graviſſime monemus Medicos, qui, ut ait ſummus ille Pontifex, *facilitate quadam incredibili peculiares Cives a Quadrageſimæ præcepto liberos, & immunes decernere ſolent*, ne in ferendis antedictis teſtimoniis ſuas animas, indulgendo nimis, aggravent; præſertim ubi agatur de iis, qui paucis ante diebus profanis Bacchanalium ſpectaculis, ac pompis ſe totos manciparunt, ac vix quadrageſimale tempus ingreſſi, incommoda illico obtrudunt, infirmitates mentiuntur. Æque reſpiciant vultum pauperis, ac potentis, eaque ſervent, quæ in ultima Synodo (2) ex ipſius Benedicti XIV. doctrina (3) præclare traduntur; nempe 1. Priuſquam teſtimonium ferant, an ſatis probetur morbus, qui ipſis indicatur, diligenter advertant. 2. Si illius indicia ſatis appareant, tunc obſervent, an ægritudo, niſi dapes vetitæ permittantur, aliquo alio pacto curari poſſit. 3. Si de præſenti morbo minime agatur, ſed tantum de ipſius periculo, videant, ne fictum ſit, ſed proximum, certumque, vel ſaltem dubium, ita tamen, ut dubitandi locus prudenter occurrat. 4. Caveant, ſi ægritudo

(1) *In Encycl.* Libentiſſime 10. *Jun.* 1745.
(2) *Syn. Mancinſ. p.* 3. *c.* 6. *n.* 5.
(3) *Inſtit.* 15. *n.* 17.

tudo adſit, vel ejus periculum, an adhibitis lacticiniis remedium ſatis aptum afferatur, tunc enim carnium eſus omnino interdicitur: ſi autem carnes neceſſariæ ducuntur, expendant, utrum ſine gravi incommodo ad quoſdam ſolum dies hanc facultatem concedere debeant; in ampliores enim terminos producenda non eſt, ſi cum eadem utilitate coarctari poſſit. Denique eas ſolum carnes permittant, quæ ſanitati conferant.

Rite quibuſdam facultate facta veſcendi cibis prohibitis, illico filios, ac domeſticos ab eorumdem abſtinentia proprio marte abſolvunt, duas menſas diverſis dapibus ſe inſtruere non poſſe dictitantes. Parochi, & Confeſſarii hoc malum, quod ſane pernicioſum eſt, & nullo modo ferendum, vehementer, ac libere improbent. Etenim, ut proſequitur prælaudatus ſapientiſſimus Pontifex (1), dubitari non poteſt, ad alendos filios naturæ legibus parentes obſtringi; quod etiam de Dominis erga famulos dicendum eſt, ſi ita convenerint; iſque victus præſtandus eſt, qui Chriſtianorum inſtitutis omnino congruat. Quare nullius ponderis haberi debet excuſatio, quæ a gravioribus ſumptibus, vel a cenſus tenuitate deducitur. Nam ſi frugi menſa, & ſalubri carnium genere ſolum utantur, uti fas eſt; ſi liberis, ac domeſticis non raros, ac pretioſos piſces ad gulam irritandam, ſed mediocris pretii ad pellendam eſuriem inquirant; tunc præcepto facile ſatisfacient, ſumptuſque minores erogabunt, ſi cum illis, quos ſubire debent, dum præceptum negligunt, conferantur.

Per Quadrageſimam ſalubres tantummodo, ut mox innuimus, carnes, tabernarum valvis non omnino patentibus, ſed magna ex parte clauſis, ſecreto vendantur, excluſis inſalu-

(1) *Inſtit. 15. cit. n. 25.*

ſalubribus, & præſertim ſuillis (1): ipſaſque ſalubres non ab omnibus indiſcriminatim vendi fas ſit, ſed ab iis ſolum, quibus facultatem in ſcriptis Vicarius noſter generalis in Civitate, Foranei per Diœceſis loca tribuerint (2). Volatilium vero, ac venaticæ, quemadmodum & ova, lacticinia, aliique vetiti cibi (ſalubres tamen), non paſſim venales in Foro, aut in via, ne a ruſticis quidem, aliiſve cujuſvis generis hominibus publice exponantur, ſed certis tantum conſtitutis ſecretioribus locis (3). Dapes præterea vetitæ, iis dumtaxat veneant, qui eas comedendi licentiam exhibuerint; emptores autem ad vitandum ſcandalum ita contectas deferant, ut videri nequeant (4). Caupones quoque, ac Tabernarii nonniſi prædicta facultate munitis illas apponant, aut coquant, aut aliunde comparatas in caupona, taberna, hoſpitio, locove curæ ſuæ ſubjecto edi ſinant, non tantum quadrageſimali tempore, ſed alio quocumque, quo epulæ hujuſmodi ab Eccleſia vetantur (5). Qui contra hæc aliquid attentarit, graves ſubibit pœnas arbitrio noſtro irrogandas.

Verum cavendum nobis eſt, ne ipſi quoque permiſſi cibi tali modo vendantur, ut infirmi in fide incitentur ad jejunii fractionem. Quare dulciariis Piſtoribus; vulgo *Ciambellaj*, diſtricte vetamus, ne jejuniorum diebus dulciaria hujuſmodi, ſeu cruſtula per vias deferant venalia, aut cum iis publicis in locis ſe ſiſtant, præſertim ubi major eſt populi frequentia, ſub pœna amiſſionis talium comeſtibilium, aliiſque arbitrariis (6). In eumdem finem mandamus, ut tabernæ vinariæ dictis jejuniorum diebus prima hora noctis, juxta memoratum edictum noſtrum, & non ſerius claudantur.

Et

(1) *Syn. Mancinforte p.1. c.4. n.4. Acta Eccleſ. Mediol. p.1. pag.214. §.* Ne cibi *Syn. Civit. Caſtelli 1766. act.1. c.10. n. 6., aliaque.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Edict. Urbis pro obſervat. Quadrag.*
(5) *Syn. de Comit. tit.38. c.2. Mancinf. loc. cit. acta Mediol., & Edict. Urbis citt.*
(6) *Vide Syn. Fulgin. loc. cit. n.14.*

Et quoniam *nihil prodeſt homini jejunare, niſi mens ab iniquitate revocetur* (1), *& quanto jejunii tempore arctius eſt divinis cultibus inſiſtendum, tanto eſt a cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum* (2); quidquid inconditam lætitiam, & voluptatem redolet, aut peccandi periculum præſefert, quibuslibet jejuniorum diebus, immo & Adventus tempore, ac qualibet ſexta feria totius anni a noſtra Diœceſi exulare jubemus. Choreas itaque, & comœdias tam publicas, quam privatas, inania ſpectacula, publicos ludos, circulatorum geſticulationes, cantiones, ſeu ſonos per vias, aliaque hujuſmodi, antedictis temporibus ſub pœnis arbitrio noſtro omnino prohibemus; idemque ſancimus pro diebus jejuniorum de venatorio Boum ſpectaculo (3).

Verbis denique ſanctæ recordationis Clementis Papæ XIII (4) Chriſtifideles nobis concreditos monemus in Domino, & obteſtamur, ut „ recurrente quadrageſimali „ tempore pœnitentiæ ſtimulis tacti, minus ſuavitates ex- „ quirant in dapibus, minus ſectentur cupediarum delicias, „ quæ quamvis cum abſtinentia a vetitis cibis non diſcrepa- „ re videantur, tamen eas qui menſæ apponat ſuæ, illum „ non immerito dixeris, non tam uſitatas abjeciſſe delicias, „ quam cupiditatem ſuam ad inuſitatas illecebras traduxiſſe; „ minus denique, aut, quibus ſe ſubducant a jejunio, quæ- „ rant effugia, aut argutiis ſtudeant eccleſiaſticam legem „ infringere: ſed alacriter jejunium aggreſſi, & illud ad præ- „ ſcriptas a catholica Eccleſia leges obſervent, & eleemo- „ ſynis etiam, atque oratione ſanctificent „. Eos vero, qui communem omnium Chriſtifidelium pœnitentiam, ac diſciplinam ſervare nequeunt, alterius Pontificis Benedicti XIV (5)

(1) *Can.21. diſt.3. de Pœnit.*

(2) *Nicolaus I. ad Conſulta Bulgar. cap. 45.*

(3) *Vide Syn. de Comit.tit.19. c.2. Buſſi p. 1. c.5.n.6. Syn. Viterb.1762. tit.3. c.1. n. 11. Syn. Tuſcul.1761. p. 2. c. 3. art. 2. num. 12. aliaſque paſſim.*

(4) *In Encycl.* Appetente *citat.*

(5) *Conſtit.* Non ambigimus *cit.*

verbis commonemus „ ne per alia pietatis opera peccata „ ſua expiare , & Deo ſatisfacere negligant , ut culpas de „ mundano pulvere contractas , dum caſta jejunia decoquere „ non poſſunt , pia opera , orationum ſuffragia , & eleemo- „ ſynæ munera redimant „ .

TITULUS X.

De diebus feſtis .

UT feſti dies , ad Deum optimum maximum præcipuo cultu , publicoque exorandum inſtituti , ſancte , ac religioſe , ut par eſt , cuſtodiantur ab omnibus , Epiſcopo maximam curam , diligentiamque ponendam eſſe docet S. Carolus Borromæus (1) . Quum autem duo ſint , quæ ad feſtorum ſanctificationem requiruntur , nempe ut fideles a quibuſdam operibus abſtineant , deinde ut in aliis ſe pie , ac laudabiliter exerceant ; quod ad utrumque pertinet , ad implendas pro viribus officii noſtri partes , ſequentia decernimus , & ſervari mandamus .

Ac primum ruralia , fabrilia , & mechanicæ cujuſque artis opera , aliaque , quæ ſervilia dicuntur , eſſe diebus feſtis vetita omnes norint (2) . Inter hæc peculiariter recenſemus ſequentia , a nobis alias , ſeu a Prædeceſſoribus noſtris nominatim prohibita ; nempe gravia huc illuc onera bajulare (3) : jumenta , aut plauſtra onuſta ducere (4) : merces in navem immittere , vel ex ea efferre (5) : naves , aut retia ſarcire , vel abluere , aliave ad uſum nauticæ artis præſtare (6) : ſericum flectere , ſeu curare (7) : boves , agnos , cæteraſque hujuſmodi beſtias , ac præcipue ſues mactare , ſeu lania-

(1) *Acta Eccleſiæ Mediol. pag. 6.* §. Maximam .

(2) *Vide Bened. XIV. Inſtit. 65.*

(3) *Edictum Card. Maſſæi in Append. ejus Syn. pag. 59. Edict. noſtr. de ſanctif. feſt. 25. Julii* 1770.

(4) *Ibidem* .

(5) *Ibidem* .

(6) *Syn. Buſſi p. 1. c. 5. n. 8.*

(7) *Syn. Buſſi ibidem n. 7.*

laniare, aut ex earum carnibus ſalſamenta conficere, etiam in privatis domibus, & preſertim Religioſis (1).

A recenſitis, aliiſque ſervilibus operibus, diebus feſtis abſtinendum eſt; *ſed neceſſitate cogente, non tamen affectata, ſeu procurata, licitum eſt præmiſſa exercere*, quemadmodum Tranſilvaniæ populis reſcripſit Nicolaus V. (2). Ejuſmodi autem neceſſitas ab illis, qui præſunt, cognoſcenda, ac probanda eſt, ne imperitus quiſque in ſua cauſa judicium ferat (3). Quapropter nemini liceat, ſub pœnis in edicto noſtro (4) de feſtorum ſanctificatione expreſſis, ſervile aliquod opus, etiam neceſſitatis, aut pietatis obtentu, diebus feſtis aggredi, abſque noſtra, vel Vicarii noſtri generalis in Civitate, in aliis vero Diœceſis locis ſine Vicarii foranei, vel ſaltem Parochi ſcripta licentia gratis concedenda (5); in qua ea ſemper conditio ſit adjecta, ne Sacri auditio ullo modo prætermittatur (6). Caveant vero hujuſmodi licentiam concedentes, ut neceſſitas juxta relata Nicolai V. verba vera ſit, non affectata, ſeu procurata: ſuper quo eorum conſcientiam oneramus. Hinc probare nequaquam poſſumus uſum, ſeu verius abuſum alicubi in Diœceſi noſtra vigentem, ut nempe omnibus indiſcriminatim agricolis facultas fiat frumenti meſſem incipiendi feſto die Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ. Expendant prius ſedulo Vicarii foranei, & Parochi, an meſſis initium, ſine ullo frugum detrimento, ad ſubſequentem potius diem differri queat; quo caſu facultatem prædictam conſtanter denegare non reformident.

Præter ſervilia opera, mercatus quoque, ac nundinas feſtis diebus haud licere, illaſque quovis tempore eccleſiaſticis legibus fuiſſe vetitas, abunde demonſtrat Benedi-

(1) *Edictum noſtrum citatum.*
(2) *Apud Raynald. anno Chriſti 1447. n.28. citat.*
(3) *Bened. XIV. Inſtit. 65. cit. n.24.*
(4) *Supracitat.*
(5) *Syn. Buſſi loc. cit. n.12. Maſſai in Edict.*
(6) *Ibidem.*

ctus XIV. (1). Quod attinet ad nundinas quotannis haberi conſuetas, etſi tolerandas eas eſſe diebus feſtis, quibuſdam tamen ſervatis legibus, cenſeat mox laudatus Pontifex (2); quum tamen noſtra hac in Diœceſi laudabilis vigeat uſus, ut nundinæ, quæ alicubi habentur, ſi in feſtum incidant, transferantur in antecedentem, vel ſubſequentem diem, morem hujuſmodi ſynodali hac lege probamus, perpetuoque ſervari præcipimus (3). Quoad mercatus autem; juxta præcitatum edictum noſtrum, merces quaſcumque vendi, aut emi prohibemus, apothecaſque omnes claudi mandamus, ſub pœnis in eodem ſtatutis; exceptis tantummodo iis mercibus, & apothecis, quas, pro diebus, & horis ibidem expreſſis, vendi, & reſpective aperiri permittitur.

Denique ad normam ſacrorum Canonum (4) diſtricte prohibemus, ne ulli diebus feſtis fiant jurati contractus, aut publica a Notariis conficiantur inſtrumenta; ne litium acta agitentur, aut judicia ſeu civilia, ſeu criminalia exerceantur, ſub pœna nullitatis actorum omnium, aliiſque arbitrio noſtro; exceptis dumtaxat caſibus in jure permiſſis.

Si feſtis diebus, ne mens a cultu Dei abſtrahatur, vetantur opera ſervilia, mercatus, & forenſes curæ; *quo magis peccata a fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolum animum a divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos a Dei amore prorſus ſejungunt* (5)? Parochi propterea populum inſtruant, multo gravius Deum offendi eo crimine, quod die feſto patratur; curentque enixe ſuis hortationibus, & ſuaſionibus, ne fideles ad otium, ad commeſſationes, ad ebrietates, ad ludos, ad choreas, ad ſpectacula, & ſimilia opera carnis, quæ nos in Diaboli ſervitutem inducunt, feſtis diebus abutantur. Nos in-

(1) *Conſtit.* Ab eo tempore 5. *Novemb.* 1745.
(2) *Conſt. citat.*
(3) *Vide Syn. Mancinforte p.1. c.4. n.6.*
(4) *Cap.1. & final. de Feriis.*
(5) *Catech. Rom. de tertio Decalogi præcepto.*

interim Deceſſorum noſtrorum (1), necnon memorati edicti noſtri ſanctiones in ludos, & choreas renovamus, & confirmamus. Conventicula etiam fieri quandoque ſolita ante fores domorum inter diverſi ſexus perſonas (2); muſicorum Inſtrumentorum ſonitus, qui a vulgo *ſerenate* nuncupantur (3); multoque magis obſcenas cantiones, aut eas, quæ noctibus fieri conſueverant, quæ feſtum diem Circumciſionis Domini, atque Epiphaniæ antecedunt (4); circulatorum, atque aliorum hujuſmodi hominum levitates, & nugas (niſi forte aliquando Veſperi, completis divinis Officiis, & prævia ſemper Vicarii noſtri generalis in Anconitana Urbe, Foraneorum per Diœceſim licentia; Quadrageſimæ, & Adventus tempore, aliiſque diebus in præcedenti titulo numeratis nunquam, aliis vero temporibus moderate, & prudenter concedenda (5); Taurorum denique, ſeu Boum agitationes (6) quibuslibet diebus feſtis interdicimus, ſub pœnis pecuniariis, carceris, aliiſque arbitrio noſtro pro rei gravitate irrogandis.

De operibus hactenus locuti ſumus, a quibus abſtinendum eſt diebus feſtis: pauca nunc de iis ſubnectimus, quæ ad Dei cultum, & obſequium præſtanda ſunt. Primum itaque fidelibus ab Eccleſia præcipitur, ut ad Templum accedant, eoque loco ſincera, piaque animi attentione ſacroſancto Miſſæ Sacrificio interſint. Obteſtamur autem omnes in Domino, ut id præſtent maxime in parochiali Eccleſia, ubi chriſtianam inſtitutionem a proprii Paſtoris voce poſſint accipere. Illos præterea Romani Concilii (7) verbis *ex animo monemus, ut diebus omnibus Deo conſecratis, Deo ipſi, ac ſpiritua-*

(1) *Syn. Buſſi loc.cit. n. 4. & 7. Lambertini in Edicto, quod habetur in Append.Syn.Mancinf. pag.12. Edict.Maſſæi citat.*

(2) *Syn. Buſſi ibidem n.7.*

(3) *Syn. de Comit. tit.19. c.2. Buſſi ibidem. Syn. Firman.1773. lib.3. c.9. n.6.*

(4) *Syn. Mancinf. p.3. c.3. n.7.*

(5) *Bened.XIV. Conſtit.* Inter cætera 1.Jan. 1748. *Syn. de Aſte Decr.15. Buſſi loc.cit. n.6.*

(6) *Syn. Civitatis Caſtelli 1765. act. 3. c. 9. n.14., aliiſque.*

(7) *Conc.Rom. tit.11. c.1.*

ritualibus vacare ſtudeant , Eccleſias religioſius adeant , Sacramentis ſe mundent communiantque , concionibus , diviniſque Officiis interſint , ac ferventius ſe in operibus pietatis exerceant. Dies enim feſti, ut proſequitur ſan.mem. Benedictus XIV.(1), *non ad id inſtituti ſunt , ut chriſtianus populus epulis , ebrietatibus , ludis , ſpectaculis , aliique id genus licentiæ liberius vacet , ſed ut fideles in precibus , diviniſque laudibus frequentes , & aſſidui ſint ; ut Eccleſiis interſint ; Sacramenta ad animæ vulnerum curationem inſtituta adhibeant ; ſeduloque ſe exerceant in iis operibus , quæ veram pietatem continent ; & ut demum Sanctos una cum Chriſto regnantes , tamquam Patronos , congruis officiis , & honoribus proſequantur .*

Hæc omnia Parochi populo ſibi commiſſo frequenter inculcent , moneantque præſertim Patresfamilias , ac Heros , ne filios, ac famulos in vetitis operibus feſtis diebus occupent; utque illos jubeant Miſſæ Sacrificio intereſſe : aliter eos edicant violatores fore præcepti , pœniſque ſupra recenſitis obnoxios . Gravibus etiam verbis Piſcatores commoneant , ne in pervigiliis feſtorum mari ad piſcandum ſe committant , niſi in vicinia , ut certi omnino ſint de reditu in ſubſequenti feſtivo die ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto : univerſimque doceant , præceptum hoc urgere etiam eos , qui in mari ſunt, Chriſtifideles , cum ſine gravi incommodo in terram die feſto evadere poſſunt (2) .

Quemadmodum de jejuniorum diebus ſuperiori Titulo , ita de feſtis hic ſancimus , ut quæ per unamquamque hebdomadam recurrunt , præcedente die Dominico a Parochis , præſertim oppidanis , ac ruralibus , inter Miſſarum ſollemnia populo prænuncientur (3). Pridie quoque cujuslibet diei Dominicæ , ac feſtivæ , ſollemni æris campani ſono , in Civitate prima noctis , per Diœceſim vigeſima quarta diei hora ,

(1) *Conſtit.* Nihil profecto 12. *Aug.* 1742. §. 1. (2) *Syn. Buſſi loc. cit. n.* 8. (3) *Buſſi ibidem n.* 13.

ra, Eccleſiarum Rectores impendentis feſti excitent memoriam (1). Quia vero in ſollemnioribus, quas unaquæque Eccleſia celebrat, feſtivitatibus, in more poſitum eſt, ut per aliquot præcedentes dies campanæ illius feſtivo pulſentur ſono; Deceſſorum noſtrorum Decreta (2) confirmantes, id in quibuslibet Eccleſiis non aliter fieri indulgemus, quam triduo tantum feſtum ipſum diem præcedente, per ſemihoræ ſpatium, mane, meridie, & veſpere; quod erit ſervandum etiam a Monialibus, imminente die, quo religionis habitus cuipiam puellæ tribuendus, aut regularis profeſſio ab aliqua ex Novitiis eſt emittenda.

Præter feſtos dies in univerſa Eccleſia ſervandos, feſtum etiam S. Cyriaci Epiſcopi, & Martyris, principalis Patroni hujus Civitatis, juxta vetuſtiſſimam conſuetudinem eorumdem Prædeceſſorum ſynodalibus legibus (3) firmatam, non in Civitate modo, ſed & in tota hac noſtra Diœceſi perpetuo ſervari ex præcepto mandamus. Et quoniam præfatis legibus cavetur, ut præterea in qualibet Terra, & Caſtro, ſeu loco Diœceſis ſervetur eodem modo feſtivitas Sancti Patroni ejuſdem loci; ad omne dubium in poſterum amovendum, catalogum in Appendice dabimus feſtorum omnium municipalium cujuslibet Diœceſis loci (4).

TITULUS XI.

De Sacris Reliquiis, & Imaginibus.

PArochi populum ſæpe doceant, quod in ſacro Tridentino Concilio (5) habetur, *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt*

(1) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 13;*
(2) *Syn. de Aste, & Maſſei Decr. 15.*
(3) *Syn. de Comit. in Append. pag. 134. Buſſi in Append. pag. 213.*
(4) *Sub num. XIII.*
(5) *Seſſ. 25. de Invoc., Vener., & Relig. Sanctorum &c.*

runt Chriſti , & templum Spiritus Sancti , ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda , & glorificanda , a fidelibus veneranda eſſe . Imagines præterea *Chriſti , Deiparæ Virginis , & aliorum Sanctorum , in Templis præſertim habendas , & retinendas , eiſque debitum honorem , & venerationem impertiendam : non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas , vel virtus , propter quam ſint colendæ , vel quod ab eis ſit aliquid petendum , vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda , veluti olim fiebat a Gentibus , quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant ; ſed quoniam honos , qui eis exhibetur , refertur ad prototypa , quæ illæ repræſentant .* Item *ſi aliquando hiſtorias , & narrationes ſacræ Scripturæ exprimi , & figurari contigerit , non propterea divinitatem figurari , quaſi corporeis oculis conſpici , vel coloribus , aut figuris exprimi poſſit .*

Porro ejuſdem Œcumenici Concilii (1) , & Prædeceſſorum noſtrorum (2) decretis inhærentes , diſtricte prohibemus , ne ſacra quævis Reliquia , ab alienis licet Epiſcopis recognita , & approbata , aut inſolita quælibet Statua , vel Imago , in Eccleſiis etiam quomodolibet exemptis , ſeu religioſis locis , publicæ Fidelium venerationi exponatur , aut in proceſſionibus circumferatur , niſi adſit noſtra , aut Deceſſorum noſtrorum ſcripta licentia : quæ nunquam in poſterum concedetur , quin antea Statuæ ipſæ , vel Imagines eccleſiaſtico ritu benedicantur (3) .

Approbatas autem Reliquias ea , qua par eſt , decentia, & religione cuſtodiri jubemus . In thecis proinde chryſtallo , ſeu mundo , integroque vitro , ac ſigillo munitis (ex quibus nefas ſit eas educere) ſerventur incluſæ (4) , proprio inſcripto nomine illius Sancti , cujus ſunt (5) . Thecæ hujuſmodi , ſi in oſtenſoriis recludantur , ea ſint vel argentea , vel ſaltem lignea,

(1) *Loco citat.*
(2) *Syn. de Comit. tit. 18. c. 2. & 7. Mancinſ. p. 1. c. 3. n. 4.*
(3) *Pontific. , & Ritual. Rom. de benedict. Imag. Syn. de Comit. loc. cit.*
(4) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 4. de Aſte Dec. 14. Mancinſ. loc. cit. n. 5.*
(5) *De Comit. loc cit. c. 2.*

lignea, auro, ſeu argento obducta (1). In armariis decenter ornatis intra Eccleſiam, ſeu Sacrarium, nunquam porro in humidioribus locis (2) aſſerventur; Epigraphe hac extrinſecus patente: *Reliquiæ Sanctorum*. Clavi armaria hæc obſerentur, vel una, vel duplici, ubi hæc conſuetudo vigeat; ita tamen, ut earum altera ſit ſemper penes Eccleſiæ Rectorem, abſque cujus præſentia, ſive alterius Sacerdotis ab eo deputati, nefas ſit cuilibet armaria ipſa reſerare, Reliquiaſque oſtendere, aut exponere (3). Earumdem authentica documenta, vel in Eccleſiæ Archivio, vel in alio certo, tutoque loco cuſtodiantur. Quilibet Eccleſiæ Rector indicem habeat Reliquiarum omnium, quæ inibi aſſervantur (quo in catalogo Parochi rurales eas etiam recenſeant, quæ habentur in publicis Oratoriis intra fines Parœciæ ſitis); atque ejus exemplar proprio charactere ſubſcriptum, ad Cancellariam noſtram, ſi nondum tranſmiſſum ſit, infra bimeſtre omnino a publicatione hujus Synodi tranſmittat, ſub pœnis arbitratu noſtro infligendis (4).

Coram inſignioribus Reliquiis, quas in Eccleſiis tantummodo, non in privatis ædibus retineri decet (5), & præcipue ſi integra ſint Sanctorum Corpora, quantum Eccleſiæ vires ſinunt, lampas ardeat quotidie, aut feſtis ſaltem diebus accenſa (6).

Quoties exponendæ erunt Reliquiæ publicæ Fidelium venerationi, Sacerdos ſuperpelliceo, ſtolaque indutus, illas ad Altare deferet, ubi eas thurificari, hymnumque, ſeu antiphonam, ac orationem congruentem concini maxime convenit; idemque ritus ſervabitur in earum repoſitione. Coram ipſis, dum manent expoſitæ, apertis præſertim Eccleſiæ fo-

Z ribus,

(1) *De Comit. loc.cit. c.2.*
(2) *Ibidem.*
(3) *De Comit. ibidem, Mancinf. loc. cit. n.5.*
(4) *De Comit. loc.cit. c.3. Man.inf. loc. cit.*
(5) *De Comit. ibid. c.6. Acta Eccleſiæ M. dicl. pag.92.* §. Reliquiæ.
(6) *Syn. Tuſcul. 1763. p.1. c.12. n.11.*

ribus, ceræ ardeant candelæ ad minimum duæ (1). Sola dominicæ Paſſionis Inſtrumenta ſub Baldachino, cæteræ ſine Baldachino infra Altaris Crucem collocentur (2). In Proceſſionibus circumferantur a Sacerdote ſtola, & pluviali induto, cum decenti apparatu, ac luminibus (3).

Quum quibuſdam in Eccleſiis ſtata die quotannis SS. Reliquiæ, quæ ibi aſſervantur, oſtendi populo ſoleant; volumus, ut antea, accenſis luminibus, a Sacerdote ſuperpelliceo, ſtola, & pluviali induto, qui illas eſt oſtenſurus, thurificentur; dumque is ſingulas lente oſtendit populo, earum nomina alta, & intelligibili voce a Clerico aliquo, ſeu Sacerdote ſuperpelliceo item induto pronuncientur. Morem hunc in Eccleſia noſtra Cathedrali jamdiu laudabiliter invectum (4), perpetuo ſervari mandamus tribus hiſce anni ſollemnitatibus, Nativitatis nempe, & Reſurrectionis D.N.J.C., ac Feſto omnium Sanctorum: quemadmodum conſuetudinem oſtendendi ritu eodem Inſtrumenta dominicæ Paſſionis veſperi Feriæ V. in Cœna Domini approbamus, illud tantummodo caventes, ne id fiat divinorum Officiorum tempore, quo ipſa interturbarentur. At ſive publice, ſive privatim aliquando, nobilioribus præſertim perſonis oſtendantur, turpem omnem quæſtum, etiam obtentu remunerationis Miniſtrorum, procul abeſſe mandamus (5).

Fures ſacrilegi, qui Eccleſiarum noſtræ Diœceſeos Reliquias auſu temerario ſubripere; ii quoque, qui ſine noſtra licentia eaſdem, aut partem earum aliquam ſibi attribuere, aut aliis donare, ſeu in aliam Eccleſiam transferre præſumpſerint, graviores pro modo culpæ, atque etiam, ſi oportuerit, excommunicationis (6) pœnas arbitrio noſtro feren-

(1) *Syn. de Comit. c.4. Mancinſ. n.4. ll. cit.*
(2) *Mancinſ. ibidem.*
(3) *De Comit. ibidem.*
(4) *Syn. IV. Galli c.17. de Comit. c.6. Mancinſ. n.5. ll. citt.*
(5) *Syn. de Comit. c.4. Mancinſ. loc. cit.*
(6) *Vide Syn. de Comit. c.6. Mancinſ. n.4. ll. cit.*

ferendas ſubibunt. Corpora item Sanctorum, aut Servorum Dei de loco ad locum transferri, ne intra quidem ejuſdem Eccleſiæ ſepta, ſevere interdicimus: at ubi neceſſitas, aut juſta, & rationabilis cauſa translationes hujuſmodi fieri ſuadeat, conſilium noſtrum prius exquiratur, ut auctoritate noſtra, vel Sedis Apoſtolicæ pro diverſitate caſuum accedente, rite perficiantur (1).

Sacrarum etiam Imaginum decori, ac venerationi conſulentes, ſub graviſſimis pœnis interdicimus juxta Urbani VIII. Conſtitutionem, quæ incipit *Sacroſancta* (2), eas ſculpere, aut pingere, ſeu ſculptas, & pictas retinere, vel exponere, alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſuevit; aliter confectas ab Eccleſiis, & locis quibuslibet quomodolibet exemptis amoveri mandantes, quemadmodum etiam procaci venuſtate depictas, ſeu profanam redolentes pompam, aut nimia turpitudine, vel vetuſtate indecoras, quæ riſum, & ſpretum cieant, vel alias quomodocumque indecentiam, ſeu inhoneſtatem præſeferentes (3). In ſolo item pingi, aut ſculpi ſacras Imagines, ut etiam in locis turpibus, ſordidis, & irreverentiæ obnoxiis ſalutiferæ Crucis ſignum, vel Imagines ipſas vetamus, ſculptaſque, aut pictas protinus auferri, ſeu deleri jubemus (4).

Quod ſpectat ad Imagines, cultumque Servorum Dei nondum inter Beatos, aut Sanctos ab Eccleſia relatorum, ſervari mandamus Decreta Urbani VIII., aliaque ab Apoſtolica Sede edita (5).

Si quando evulgentur a populo miracula a Deo patrata e conſpectu ſacræ alicujus Imaginis, aut SS. Reliquiarum,

(1) *Bened. XIV. de Canoniz. Sanctor. lib. 4. p. 2. c. 22.*

(2) *Edit. 15. Martii 1642.*

(3) *Conc. Trid. loc. cit. Urbanus VIII. Conſtit. cit. Syn. de Comit. loc. cit. c. 7.*

(4) *Syn. de Comit. ibidem. Bened. XIV. Inſtit. 73.*

(5) *Vide Bened. XIV. de Canoniz. Sanctor. lib. 2. c. 11.*

eamque ob cauſam extraordinarius ad eas concurſus fiat; Eccleſiarum Rectores rem totam ad nos deferant, ut accitis, ſi opus fuerit, Theologis, aliiſque prudentibus viris, quid ad Dei gloriam, & Sanctorum honorem fieri deceat, ſtatuamus (1).

Munera denique, ſi quæ a populis ad ſacras Imagines, ſeu Sanctorum Reliquias offerantur, Eccleſiarum Præſides ne ſibi vindicare præſumant, ſed in pium aliquod opus arbitrio noſtro deſignandum omnino erogent (2).

TITULUS XII.

De Proceſſionibus, & quibuſdam aliis ſacris Functionibus.

ARTICULUS I.

De Proceſſionibus.

PUblicæ, ſacræque Proceſſiones (3), ſeu ſupplicationes, quibus ex antiquiſſimo Sanctorum Patrum inſtituto Catholica Eccleſia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum, uti conſuevit, qua par eſt, religione celebrari debent: continent enim magna, ac divina myſteria, & ſalutares chriſtianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo conſequuntur; de quibus fideles præmonere, & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium eſt.

Videant in primis (4) Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici Ordinis, ut in his Proceſſionibus ea modeſtia, ac reverentia tum ab ipſis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis, & religioſis hujuſmodi actionibus maxime debetur. Omnes decenti habitu, ſuperpelliceis, vel

(1) *Trid. loc. cit. Syn. de Comit. loc. cit. c.8.*
(2) *Syn. Tuſculana loc. cit. n.3.*
(3) *Rit. Rom. tit.9. c.1.*
(4) *Ibidem.*

vel aliis ſacris veſtibus, ſine galeris, niſi pluvia cogente, induti, graviter, modeſte, ac devote, bini ſuo loco procedentes, ſacris precibus ita ſint intenti, ut remoto riſu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aſpectu, populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent. Laici a Clericis, fœminæ a viris ſeparatæ orantes proſequantur. Præferatur Crux, & ubi fuerit conſuetudo, vexillum ſacris imaginibus inſignitum, non tamen factum militari, ſeu triangulari forma.

Ut autem quæ ex Rituali Romano hic exſcripſimus, accurate, religioſeque executioni mandentur, Prædeceſſorum noſtrorum decretis inhærentes, ſequentia edicimus in ſacris hujuſmodi functionibus obſervanda.

Sacras quaſcumque ſupplicationes noctu fieri prohibemus; eas vero, quas pomeridianis horis agi conſuetum eſt, ita mature inchoari volumus, ut circa Solis occaſum ſint omnino abſolutæ (1).

Conſueto æris campani pulſu Proceſſionis ſignum populo detur; ſtatutaque die & hora, omnes, qui intereſſe debent, tempeſtive conveniant ad Eccleſiam, unde ſumendum eſt initium, ſuis inſtructi veſtibus, ac inſignibus; abuſu illo prorſus amoto, expectandi per viam, & inceptæ jam Proceſſioni ſeſe jungendi (2). Interea dum expectant, caveant, ne intra Eccleſiam, vel prope, cachinnis, vel incompoſitis collocutionibus populo ſint ſcandalo (3): ſed potius in Eccleſia precibus cum ſilentio vacent, ac procedendi tempus præſtolentur.

Dato per cæremoniarum Magiſtrum procedendi ſigno, procedent primo laicorum Sodalitates, deinde Religioſæ familiæ, tertio Clerus ſæcularis, & ſacri Miniſtri, qui Eccleſiaſticam claudunt pompam: poſtremi incedent Magiſtratus,

(1) *Syn. de Comit. tit. 30. c. 3.*
(2) *De Comit. loc. cit. c. 1. & 8.*
(3) *Syn. Mancinſ. p. 1. c. 3. n. 7.*

tus, & deinde Populus in duas diviſus turmas, virorum videlicet, & mulierum, ita ut tamen viri præeant, mulieres ſubſequantur (1).

Inter laicorum Sodalitates, & Religioſas familias is ſervabitur præcedentiæ ordo, qui de jure, vel conſuetudine in hac noſtra Diœceſi jamdiu viget. Clerus autem ſæcularis in Civitate hoc procedet ordine. Præcedet Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ cum ſua Cruce: deinde poſt Cathedralis Eccleſiæ Crucem procedent primum minores Clerici; mox Epiſcopalis Seminarii noſtri Alumni; deinde Subdiaconi, Diaconi, ac Sacerdotes ſimplices; poſtea Parochi, ſeu eorum vices gerentes, inter quos hic ſervabitur ordo. Progredientur primo Cappellani, ſeu alii a Parochis ſubſtituti, primum Diœceſeos, dein Civitatis: ſecundo Diœceſis Parochi ſervata prioritate poſſeſſionis Parœciæ: tertio Græcorum Parochus a ſiniſtris habens Presbyterum Cappellanum Armeniorum: quarto Parochi Regulares noſtræ Urbis juxta primatum Religioſæ familiæ, ex qua ſunt: quinto demum Parochi ſæculares Civitatis, inter quos infimum locum ſemper tenebit Parochus S. Nicolai ex Congregatione Oratorii, & quoad cæteros ſervabitur, ut ſupra, poſſeſſionis prioritas: Parochos tandem ſequetur Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Capitulum.

Veſtibus unicuique convenientibus ſinguli induti ſint, ſuo videlicet Sodales ſacco, eorumqûe Cappellanus (ultimo ſemper, ac digniori loco inter cæteros Confratres incedent (2)) ſuperpelliceo, ſine ſtola tamen, quam proprium Parochorum inſigne eſſe volumus (3): Religioſi ſui Ordinis habitu: Clerici ſæculares talari veſte, ſuperpelliceo, & bireto, quibus Parochi, ut mox innuimus, ſtolam addant: Canonici demum, ac Dignitates, iis, quibus in Choro utuntur, inſignibus. In

(1) *Syn. Buſſi p.1. c.6. n.9.*

(2) *Syn. de Comit. loc. cit. c.4. de Aiſe decr.24.*

(3) *Decret. S. Rit. Congreg. Urbis, & Orbis* 1701. *ad* 23. *Taxa Funer. hujus Diœceſis, ut in Append. ſub n. XVIII. Bened. XIV. Inſtit.* 105. *num.* 127.

In ſollemni tamen Proceſſione, quæ fit in feſto Corporis Chriſti, quemadmodum & in altera, quæ in hac noſtra Urbe cum vivificæ Crucis particula, ac Reliquiis S. Cyriaci præcipui noſtri Patroni, die tertia Maji quotannis maxima cum celebritate peragitur, Parochi, aut eorum vices gerentes Presbyteri ſupra amictum, & ſuperpelliceum planetam induant: Dignitates vero, & Canonici Eccleſiæ noſtræ Cathedralis ſacris ornati ſint paramentis, etiamſi his Proceſſionibus forte Epiſcopus haudquaquam interſit (1).

In iis ſupplicationibus, in quibus divina circumfertur Euchariſtia, nudo ſemper capite incedant ſinguli omnino. Quoad eas, in quibus aut lignum SS. Crucis, aut aliæ inſigniores deferuntur Reliquiæ, in Eccleſiaſticis perſonis (exceptis tamen, qui eas deferunt) uſum pileoli toleramus. Quoad cæteras, Sodales aperto capite, Clerici bireto tecti incedant (2).

Ut autem ſuo omnia procedant ordine, curæ erit Magiſtri cæremoniarum in Civitate, Parochorum per Diœceſim, Sacerdotes, ſeu Clericos, vel Sodales aliquos ſtatuere, quibus id oneris incumbat, ut Clerus tam ſæcularis, quam Regularis, necnon laicorum Confraternitates probe dirigantur; utque ſinguli congruis inter ſe diſtincti ſpatiis lente gradientes non invicem colloquantur, non quempiam per viam ſalutent, non perſonam, aut oculos huc illuc convertant, non flores, ſeu flabella manu geſtent, ſed, qua decet, modeſtia, ac gravitate incedentes, Hymnos, Litanias, aut alias aſſignatas preces devote concinant (3). Hujuſmodi Proceſſionum præfectis, ſeu moderatoribus parere detrectantes, animadverſionem noſtram minime effugient, meritaſque pro modo culpæ pœnas luent.

Nemo

(1) *S. Rit. Congreg. in Caietana* 27. *Martii* 1628.

(2) *Rit. Rom. tit.* 9. *c.* 5. *S. Rit. Congreg. in Caietana* 13. *Junii* 1690.

(3) *Syn. de Comit. loc. cit. c.* 3. *de Aſte dec.* 24. *Buſſ. loc. cit. n.* 10.

Nemo cujuſvis gradus, & conditionis exiſtat, Proceſſionem audeat turbare, aut interrumpere, ſeu Sodalitatibus, & Clero ſeſe immiſcere. Arceantur omnino pueri, aliive, qui liqueſcentis ceræ guttas ab accenſis facibus deſſuentes captant. Currus, aut jumenta per eamdem viam nullo modo ducantur (1). Immo eſculenta quoque, & poculenta venalia ibi exponere vetamus; tabernaſque, atque officinas omnes, ferialibus licet diebus, tamdiu clauſas eſſe volumus, donec ſacra e conſpectu pompa defluxerit (2).

Viæ omnes, per quas progrediendum erit, a vicinis eas incolentibus mundentur. Quod ſi in aliquo Diœceſis loco conſuetum ſit Proceſſionem aliquando duci per anguſtiores, præruptas, lubricaſve vias, Parochus opportune id nobis ſignificet, ut aptiorem viam, magiſque decoram ſtatuamus. Summopere etiam commendamus eos, qui in ſollemnioribus præſertim ſupplicationibus, parietes viarum tapetibus, aulæis, ſacriſque imaginibus ornant. Caveant tamen, ne profanas imagines, aut minus honeſtas, neve quid ludricum, ridiculum, aut quaſi ſcenicum intuentium oculis exponant (3). Quocirca pueros etiam, vel puellas, Angelorum ſpecie, ſeu Regularium habitu indutos, procul a ſacris hujuſmodi functionibus abeſſe volumus (4). Probamus item, quod floribus, frondibuſque ſternantur viæ, in annua potiſſimum SS. Sacramenti Proceſſione (5): at eoſdem flores, frondeſque ſuper prætereuntes, aut ſupra Baldachinum dejicere omnino interdicimus (6).

Dum ſacra pompa progreditur, feſtus æris campani ſonus eam excipiat, non vero ignitorum tormentorum exploſio,

(1) *Syn. de Aſte loc. cit. Buſſi loc. cit. n. 9.*

(2) *Syn. Sublacen. 1674. c. 20. n. 7. Civitatis Caſtellanæ 1756. tit. 3. c. 8. n. 4. Tuſculana 1763. p. 1. c. 9. art. 5. n. 4. aliæque.*

(3) *Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 32. & 33. Rit. Rom. loc. citt. Syn. de Comit. loc. cit. c. 5. Mancinf. loc. cit.*

(4) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 10.*

(5) *Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 13.*

(6) *Syn. Mancinf. loc. cit.*

Digitized by Google

ploſio ; quæ ipſam potius perturbaret (1), quamque dumtaxat permittimus, quum jam prætergreſſa aliquanto diſtaverit.

Singuli, qui in Proceſſione incedunt, quum ad Eccleſiam pervenerint, ubi ſacra terminatur ſupplicatio, prout alias ſtatutum a nobis fuit, ibi orantes expectent, donec cæteri omnes advenerint, abſolutæque fuerint a ſacris Miniſtris preces, & orationes conſuetæ (2). Ubi vero Eccleſiæ anguſtia omnes continere nequeat, ſæcularis ſaltem Clerus, ac Magiſtratus ne diſcedat, ſed antedictis precibus devote aſſiſtat. Quumque in Proceſſionibus Rogationum preces omnes claudat, ac veluti obſignet ſollemnis Miſſa, pro coronide ſacrarum hujuſmodi ſupplicationum ab Eccleſia peculiariter præſcripta; ſæcularem ut minimum eumdem Clerum, & Magiſtratum huic Miſſæ præſentem quoque eſſe volumus. Qui ſecus fecerit atque hactenus ſtatuimus, ſciat ſe eadem pœna mulctandum, ut illi, qui a Proceſſione ſe ſubducunt.

Feſto ipſo Corporis Chriſti die, ſicut in hac noſtra Urbe unica, & ſollemnis fit Proceſſio ab Eccleſia Cathedrali, ita in Diœceſis locis unica pariter, & ſollemnis inſtituatur ab Eccleſia majori, ſeu matrice. Et quamvis in Civitate, eo quod Cathedralis Eccleſiæ præcelſa poſitio, ob circumſtans præſertim mare, ventis undique debacchantibus pervia eſt, ſupplicantium agmen in eam non revertatur: idque ad dubitationem omnem abigendam, ſua etiam auctoritate ſan.mem. Clemens XIII. probaverit (3); per Diœceſim tamen, quemadmodum a Matrice initium ſumit Proceſſio, ita in eam debet reverti (4). Infra octavam ejuſdem Feſti, plures eadem etiam

(1) *S. C. Epiſc. apud Syn. Fulgin. 1722. c. 22. n. 6. & Tuſcul. 1763. loc. cit. n. 6.*

(2) *S. Rit. Congreg. in Piſauren. 7. Martii 1648. ut in Append. Syn. Fulgin. cit. pag. 248. Syn. de Comit. loc. cit. c. 1. de Aſte loc. cit.*

(3) *Per Reſcript. 17. Decembris 1767. in Archiv. Capitular. aſſervat.*

(4) *S. Rit. Cong. apud Meratum in Indic. Decret. tom. 1. n. 243.*

die ſupplicationes agere licet, dummodo diſtinctis horis habeantur (1).

In hujuſmodi ſollemnibus ſanctiſſimi Corporis Chriſti Proceſſionibus, præter lumina, quæ manibus geſtantur, quæque non raro vento, aut pluvia improviſò ſuperveniente extingui contingit, quatuor ſaltem laternæ haſtis infixæ cum cereis intus accenſis hinc inde circa Celebrantem deferantur (2).

Supplicationes publicæ, ac generales diebus S. Marci Evangeliſtæ, Rogationum, ſollemnitatis Corporis Chriſti, aliæque ſecundum laudabilem locorum conſuetudinem jamdudum fieri ſolitæ, inter quas celeberrima eſt in hac Urbe, ut prædiximus, quæ die tertia Maji agitur, nunquam omittantur, niſi imbrium, aut procellarum vi cogente. Tunc autem quæ in univerſali Eccleſia indictæ ſunt, intra Templi ambitum ab ejus Clero ſaltem peragantur: idemque fiat in Proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti tertia Dominica cujuslibet menſis, quam in quolibet Diœceſis loco, ubi erecta invenitur Confraternitas ſanctiſſimi Sacramenti, inſtitui mandamus. Quæ juxta Miſſalis Rubricas feriis quinta, & ſexta majoris hebdomadæ agi debent, nunquam extra Eccleſiam ducantur (3). Præter communes, & conſuetas, nulla (quamvis gravis urgeat neceſſitas) in tota Diœceſi fiat ſacra Proceſſio ſine ſcripta noſtra facultate, neque a Regularibus ipſis, quibus dumtaxat permittitur intra Monaſterii clauſtra, vel circa ſuæ Eccleſiæ ambitum eas celebrare (4).

In Proceſſionibus, quæ in Rituali, ſeu Miſſali Romano recenſentur, non alii ritus, neque aliæ preces adhibeantur, quam quæ inibi præſcriptæ ſunt. At quoniam in hac Diœceſi uſus viget benedicendi fruges; & agros in Proceſſione Rogatio-

(1) *Gregorius XIII. Conſtit.* 10. Cum interdum. *Vide Ferraris V.* Proceſſiones a n. 28.

(2) *Con. Rom. tit.* 15. *c.* 7.

(3) *Syn. de Comit. loc. cit. c.* 6.

(4) *Ibidem c.* 7. *Vide Syn. Fulgin.* 1722. *c.* 22. *n.* 9. *Tuſcul.* 1763. *p.* 1. *c.* 9. *art.* 5. *n.* 9. & *ibi allegat.*

gationum ; eam ſolum benedictionis formulam , quæ in Rituali Romano (1) habetur, vel ſollemniorem alteram , quæ in Cathedrali Eccleſia , nobis annuentibus , conſuevit , adhiberi tunc volumus .

Clerum omnem ſæcularem una cum urbanis Parochis in Civitate , per Diœceſim autem Clerum loci intereſſe omnino præcipimus Proceſſioni ſanctiſſimi Sacramenti in feſto Corporis Chriſti ; Litaniarum tum majorum , tum minorum ; ei , quæ in hac Urbe die tertia Maji (in qua præterea totius Diœceſis Parochi , ut infra dicemus , incedere debent) , ſimilibuſve , quæ in unoquoque loco ſollemnius aguntur , ſub quinque juliorum mulcta , aliiſque arbitrariis pœnis . Confraternitates vero laicorum , Religioſæque familiæ , donec aliud a nobis , ſeu Succeſſoribus noſtris ſtatuatur , ſub pœnis , ut infra , ad eas accedant ſupplicationes , ad quas huc uſque acceſſerunt; ita tamen , ut Proceſſioni ſanctiſſimi Sacramenti in feſto Corporis Chriſti , alteri , quæ in pervigilio S. Cyriaci in Urbe hac , extra Urbem vero in ſollemnitate Sancti Titularis , aut Patroni cujuslibet loci fieri conſuevit ; omnes laicorum Sodalitates , omneſque Cleri Regularis Ordines (iis exceptis , qui jure eximuntur) intereſſe teneantur, ſub pœnis etiam ſpiritualibus arbitrio noſtro infligendis (2), & præterea ſcutorum decem in Urbe , quinque extra Urbem contra Sodalitates , quæ huic legi non paruerint .

Rurales Parochi ſedulo invigilent , ne Proceſſionum occaſione commeſſationes fiant , ſeu compotationes , neve Sodales proprio induti ſacco huc illuc divertant , ac multo minus cauponas , vel tabernas ingrediantur (3). Qui hiſce , ſimilibuſve indecoris actibus ſacram functionem dehoneſtaverint ,

(1) *Tit.8.c.10.*Benedict.com.ſuper fruges &c.

(2) *Syn. Buſſi p.1. c.5. n.14. Vide ſupra p.1. tit.6. Syn.Fulgin. citat. c.16. n.3. & c.22. n.9. & ibi allegat.*

(3) *Rit.Rom. tit.9. c.1. Syn. Oſtienſ. 1698. tit.19. n.6. aliiſque paſſim.*

Digitized by Google

verint, aut tumultus, & rixas, ſeu contentiones excitarint, graviſſimas per nos pœnas ſubibunt.

ARTICULUS II.

De quibusdam aliis ſacris Functionibus.

DE aliis eccleſiaſticis, ſacriſque functionibus pauca quædam hic ſubjicimus. Ac primum de feſto principalis Patroni hujus Urbis, & Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Titularis, Sancti Epiſcopi, ac Martyris Cyriaci, majori, qua poterit, ſollemnitate agendo, non minus ſolliciti ſumus, quam Deceſſores noſtri fuerunt (1). Quare ad hujuſmodi feſtum celebrandum, præter Clerum ſæcularem hujuſce Civitatis, nobiſcum conveniant Parochi omnes, aliique curam animarum habentes per totam Diœceſim; ac ſollemni interſint ſupplicationi, quæ in pervigilio feſti agi conſuevit, ſacris, ut ſupra dictum eſt, paramentis induti, juxta cujuſque vires, pretioſioribus. Miſſam ſinguli ex veteri conſuetudine in Cathedrali eadem celebrent. Rurales Parochi ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ibidem Fidelibus miniſtrent; muniaque omnia tum ipſi, tum cæteri de Clero alacri, promptoque animo ſubeant, quæ illis aſſignata erunt in pagellis affigi conſuetis (quod & de aliis ſacris functionibus, ac proceſſionibus intelligi volumus) ſub pœnis in eiſdem expreſſis (2). Ea occaſione ſtatum etiam, ut vocant, animarum quilibet Parochus deferat, ſive ad nos ipſos, ſive ad Vicarium noſtrum generalem (3). Hortamur præterea Populos nobis commiſſos, ut ad Cathedrale Templum certatim confluant, ſacra SS.Patronorum pignora veneraturi, quæ tunc omnium oculis conſpicienda exponuntur, ac in ſinceræ, & fervidæ erga

(1) *Vide Syn. Buſſi p.1. c.5. n.14.*
(2) *Edictum noſtrum 22. Aprilis 1771.*
(3) *Vide ſupra p.1. tit.4.*

Digitized by Google

ga illos devotionis ſignum, lumina etiam noctu in ſuarum domorum feneſtris apponant, tam in die feſto, quam in ejus perviglio.

Præter conſuetas Proceſſiones, Parochi cæteras quoque per annum eccleſiaſticas functiones agant majori, qua poterunt, ſollemnitate. Hinc ubi viget laudabilis conſuetudo, Miſſam, ac Veſperas feſtis diebus ſollemniter, aut cum cantu celebrandi: Roſarium Beatæ Mariæ Virginis recitandi: pium illud exercitium, quod *Viæ Crucis* vocant, aut quid aliud æque pium, ac probatum peragendi; eam retineri, nec intermitti mandamus (1). Edicimus præterea non ſolum pro Cathedrali, & Collegiatis, ſed & pro qualibet Parochiali Eccleſia, ut ſingulis diebus Dominicis renovatio fiat eccleſiaſtico ritu, & aſperſio aquæ benedictæ (2). Ut Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictio, ac diſtributio, functiones item in ultimo triduo majoris hebdomadæ, necnon in vigilia Pentecoſtes ab Eccleſia ſtatutæ; nunquam ſub quovis prætextu omittantur. Idcirco in eorum Parochorum commodum, quibus Miniſtrorum, & Cantorum copia non ſuppetit, ad ſollemnius agendas functiones Feriæ V., VI., & Sabbati majoris hebdomadæ, ſynopſim parvi Cæremonialis pro minoribus Eccleſiis a S. M. Benedicto XIII. editi in Appendice (3) imprimi curavimus. Cæterum in Eccleſiis non Parochialibus, ſi ea, quæ in Rubricis præſcripta eſt, ſollemnitate hæ ſacræ functiones peragi haud poſſint, prorſus omittantur. Iterum hic monemus, ut iis dumtaxat in Eccleſiis, quæ aſſervandi ſanctiſſimam Euchariſtiam jure gaudent, celebretur Miſſa ſollemnis feriis quinta, & ſexta, ac Sabbato majoris hebdomadæ: utque benedictio Fontis in Cathedrali, & in Eccleſiis Baptiſmalibus tantum peragatur (4). De

(1) *Vide Syn. Buſſi p.3. c.2. n.7.*

(2) *Syn. de Comit. tit.24. c.5. Mancinſ. p.1. c.3. n.3. Meratus tom.1. p.4. tit.19. n.2. Obſerv. in Gavant.*

(3) *Sub num. XIV.*

(4) *Vide ſupra tit.2., & tit. 4. art. 2. hujus Partis.*

De ſacris precibus, ac cæremoniis, quæ in Chriſtifidelium defunctorum exequiis adhiberi debent, aptius infra in tertia hujus Synodi Parte Tit. II. *de Sepulturis* a nobis agetur. Quod pertinet ad benedictiones cum ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, verba fecimus ſuperiore Tit. IV. Art. I. hujuſmet Partis. Circa alias benedictiones perſonarum, locorum, aut rerum, regulas exacte ſervari volumus in Romano Rituali traditas (1); neque ritus alios, aliaſve formulas adhiberi, quam quæ ibidem ſunt præſcriptæ, aut a ſacra Rituum Congregatione approbatæ (2). Quod ſi pro aliquarum rerum benedictione probatæ hujuſmodi formulæ minime habeantur, non temere, & pro Sacerdotum libito ex parum authenticis fontibus erunt hauriendæ, ſed ab Epiſcopo, ut par eſt, pro ſua Diœceſi approbandæ (3). Quocirca formam benedictionis equorum, aliorumque animalium, item contra mures, locuſtas, bruchos, & vermes noxios, ex probatiſſimis fontibus depromptam, quam Benedictus XIV (4) Eccleſiæ Bononienſi, dum eam regeret, propoſuit, & nos probamus, eamque dumtaxat in uſum deduci præcipimus in noſtra hac Diœceſi. Annua vero domorum benedictio a Parochis facienda, ſi ob Parœciæ amplitudinem compleri nequeat ipſa Sabbati ſancti die, ſtatuimus, ut non in præcedentibus, ſed in ſubſequentibus potius diebus compleatur, quum per eccleſiaſticas leges (5) non communi aqua luſtrali tunc aſpergendæ ſint domus, ſed quæ ex fonte benedicto ſit hauſta.

A Rituali ſimiliter Romano (6), & non aliunde, eruendæ erunt preces ad repellendas tempeſtates, ſimiliave infortunia avertenda: item ad exorcizandos obſeſſos a Dæmone (7), niſi peculiares Exorciſmorum formulæ a nobis eſſent probatæ (8).

Hoc

(1) *Rit. Rom. tit. 8. de Benedict.*
(2) *Decreta de libr. prohib., quæ habent. in Indic. lib. prohib. §. 4. n. 1.*
(3) *Bened. XIV. Inſtit. 47. n. 18.*
(4) *Inſtit. cit. ubi habetur ea formula.*
(5) *Rubric. Miſſal., & Ritual.*
(6) *Rit. Rom. tit. 9.*
(7) *Iisdem tit. 10. Syn. de Comit. tit. 17. c. 2.*
(8) *Decreta de lib. prohib. loc. cit. n. 2.*

Hoc tamen exorcizandi munus, quum nonniſi viris ætate maturis, & non ſolum officio, ſed etiam morum gravitate reverendis, Rituali eodem (1) monente, committi debeat, nemo ex Clero ſæculari, aut etiam Regulari præſumat illud ſuſcipere, abſque noſtra in ſcriptis licentia (2).

Aſperſorium aquæ benedictæ, nobis accedentibus ad aliquam noſtræ Diœceſis Eccleſiam, porrigetur a digniore ejuſdem Eccleſiæ, quamvis Rector beneficiatus non ſit (3). At cum Capitulum Cathedralis univerſum cum Canonicalibus indumentis nos comitatur (ut evenit occaſione ſupplicationum), volumus per digniorem de Capitulo, ut mos eſt, illud nobis porrigi (4): dummodo Eccleſia, quam ingredimur, non ſit Collegiata, aut Regularis: tunc enim conſuetudinem ſervari præcipimus, ut nempe a prima Collegiatæ Dignitate, ſeu a Cœnobii Præſide obſequium illud nobis inviolate præſtetur (5).

TITULUS XIII.

De Indulgentiis.

Quemadmodum Indulgentiarum uſum ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, & in Eccleſia retinendum eſſe ſacroſancta Tridentina Synodus (6) docet, & præcipit: eoſque anathemate damnat, qui Indulgentias aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant: ita abuſus omnes, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blaſphematur, emendatos vult, & correctos.

Ani-

(1) *Loco cit.*

(2) *Syn. de Comit. tit. 17. c. 2. & 3. Vide ſupra p. 1. tit. 6.*

(3) *S. Rit. Congr. ſæpius apud Bened. XIV. Inſtit. 105. n. 123.*

(4) *S. Rit. Congr. apud eumdem ibidem.*

(5) *Vide Syn. Indgin. 1722. c. 22. n. 12. Pignatell. t. 3. conſult. 18. Catalan. Comment. in Cær. montal. lib. 1. c. 19. §. 3.*

(6) *Seſſ. 25. in Decr. de Indulgen.*

Animarum itaque Paſtores ſæpe Populis explicent, quid ſit Indulgentiarum theſaurus, quæ earum utilitas, quæ item requirantur ad illas conſequendas. In quo quidem argumento tractando, præter probatos auctores, maximam lucem eis afferet Epiſtola encyclica ſan. mem. Benedicti XIV. quæ incipit *Inter præteritos* (1). Præ oculis etiam habeant recentiora ſacræ Congregationis Indulgentiis præpoſitæ decreta, a Clemente XIII. fel. rec. approbata; per quæ declaratum fuit, clauſulam illam, quæ ſolet in Indulgentiarum conceſſione apponi „*qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti Eccleſiam viſitaverint*: ita eſſe intelligendam, ut Eccleſiæ quidem viſitatio impleri poſſit, ſive ante, ſive poſt aliorum piorum operum implementum; ſacramentalis autem Confeſſio peragenda omnino ſit ab iis etiam, qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt: eadem vero ſuffragari etiam poſſit, ſi in vigilia feſtivitatis expleatur (2). Laudatus deinde Pontifex (3) *Indultum conceſſit omnibus Chriſtifidelibus, qui frequenti peccatorum confeſſione animam expiare ſtudentes, ſemel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſueverint, & nullius lethalis culpæ a ſe poſt peractam ultimam confeſſionem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, ut omnes, & quaſcumque Indulgentias conſequi poſſint etiam ſine actuali confeſſione, quæ cæteroquin . . . . . ad eas lucrandas neceſſaria eſſet*; exceptis tamen Indulgentiis Jubilæi tam ordinarii, quam extraordinarii, aliiſque ad inſtar Jubilæi conceſſis.

Potiſſimum vero cum propter urgentem aliquam Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitatem Jubilæum a Summo Pontifice manare contigerit, non omittant Parochi ſermonem ad populum habere, in quo Jubilæi rationem explicent, omneſque

(1) *Edita 3. Decembr. 1749.*

(2) *S. C. Indulg. 31. Martii 1759. cujus Decretum Clemens XIII. approbavit 19. Maii* 1759.

(3) *In Decreto 9. Decem. 1763.*

que excitent ad ea rite præſtanda, quæ a Summo Pontifice præſcribuntur (1).

Curent Eccleſiarum Rectores Indulgentias ab Apoſtolica Sede impetrare, conſequendas in feſto Sancti Titularis, vel in alia ex præcipuis ſollemnitatibus ſuæ Eccleſiæ; ſaluberrimam hoc pacto præbentes ſpiritualis fructus capiendi occaſionem Chriſtifidelibus Eccleſiam ipſam viſitaturis (2).

Ut autem exacta omnium Indulgentiarum, quæ cuilibet Eccleſiæ conceſſæ ſunt, habeatur notitia, volumus primo, ut earum Brevia, ſeu Chartæ in Eccleſiæ Archivo diligenter aſſervandæ regiſtrentur antea in Cancellaria noſtra Epiſcopali: deinde ut Indulgentiarum omnium notula, ſeu tabella a Vicario noſtro recognita, atque ſubſcripta in quavis Eccleſia affixa perpetuo pendeat (3).

Si certo aliquo die plenaria Indulgentia acquiri poſſit a Chriſtifidelibus Eccleſiam aliquam viſitantibus, præcipimus, ut a primis veſperis diei præcedentis uſque ad totum ſubſequentem diem ante ejuſdem Eccleſiæ fores affixa remaneat tabella cum hac inſcriptione: *Indulgentia plenaria*; ut tali pacto de Indulgentia, quam lucrari poſſunt, prætereuntes admoneantur (4). Eæ vero Eccleſiæ, quibus conceſſæ ſunt Indulgentiæ *Stationum*, in illarum publicatione ſeſe conforment recentiſſimo Decreto ſac. Congregationis Indulgentiis præpoſitæ, ſerventque Edictum noſtrum ea ſuper re vulgatum, atque in Appendice impreſſum ſub num.XV.

Ad abuſus omnes, qui in hac Indulgentiarum materia forte irrepere poſſent, a noſtra Diœceſi eliminandos, ſub graviſſimis pœnis vetamus omnibus & ſingulis, quomodolibet etiam exemptis, ne fictas, apochryphas, aut revocatas Indulgentias ullo pacto divulgare, aut publicare audeant (5):

(1) *Syn. Oſtien. 1693. tit:24. n:3.*

(2) *Syn. Civit. Caſtelli 1766. act.1. cap.9. n.3., aliæque.*

(3) *Syn. Sublacen. 1674. c.17. n.3., aliæque.*

(4) *Syn. Tuſcul.1763. p.3. c.11. art.1. n.17.*

(6) *Synod. de Comit. tit.20. c.2.*

multoque magis procul abeſſe volumus impoſtores quoſdam, qui ut ſimplicioris populi credulitati illudant, pecuniamque eliciant, imagines, numiſmata, oratiunculas oſtentant, quibus plurimas ineſſe indulgentias jactant, ut eo carius illas vendentes fiant impii ſacrarum rerum nundinatores (1). Turpem præterea quemcumque alium quæſtum aboleri (2) omnino præcipimus; atque ita abuſum illum reprobamus cum Deceſſoribus noſtris, ut Indulgentiarum chartæ una cum capſulis ad colligendas eleemoſynas inter lumina exponantur (3).

Veras autem Indulgentias, ſive in perpetuum, ſive ad tempus conceſſas nemo etiam ex Regularibus publicare in noſtra Diœceſi audeat, niſi a nobis, aut a Vicario noſtro licentiam ad id obtinuerit (4).

Non pro vivis modo, ſed etiam pro defunctis Indulgentiæ ab Eccleſia conceduntur; inter quas celeberrima eſt plenaria illa Indulgentia, quæ ex Apoſtolico privilegio Altaribus quibuſdam adnectitur, quæ idcirco *Altaria privilegiata* nuncupantur. Nos Sacerdotes omnes paterna charitate monemus, ut quoties Altaris hujuſmodi indulto uti poſſint, non prætermittant tam ſalutarem opem Fidelium defunctorum animabus ſuppeditare. Qua in re Clemens XIII. benigna ſua largitate omnes & ſingulas Parochiales totius Orbis Eccleſias ſpeciali gratia Altaris privilegiati quotidiani ad ſeptennium decorari, eoque expirato, pro ejuſdem Privilegii renovatione ſupplicari ab Ordinariis voluit (5). Quocirca ſeniori ex urbanis Parochis mandamus, ut per bimeſtre, antequam ſeptennium quodlibet expiret, nos adeat, quo preces Apoſtolicæ Sedi poſſimus porrigere pro Privilegii hujuſmo-

(1) *Syn. Mancinſ. p.1. c.4. n.1.*

(2) *Conc. Trid. Syn. de Comit. & Mancinſ. locis citatis.*

(3) *De Comit. loc. cit.*

(4) *De Comit., & Mancinſ. ll. citt. Vide ſupra p.1. tit.6. art.1.*

(5) *Dec. 19. Mai 1759.*

juſmodi innovatione. Idem etiam Summus Pontifex univerſali Decreto (1) perpetuis futuris temporibus valituro conceſſit, ut Miſſa in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum a quocumque Sacerdote celebranda *gaudeat privilegio, ac ſi eſſet in Altari privilegiato celebrata, dummodo tamen nonniſi conſuetam eleemoſynam unuſquiſque Sacerdos pro dicta Miſſa licet privilegiata accipiat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu a loci conſuetudine regulariter præfinita fuerit.*

Advertant tamen Sacerdotes omnes, quod ad Altaris privilegio fruendum, ſive illud locale ſit, ſive perſonale, Miſſa defunctorum ad tramites Indulti celebranda eſt, quoties ad ſacrorum Rituum normam ea celebrari poteſt (2). Præterea quum in Indulto certus Miſſarum numerus aliquando præfiniatur, cavendum eſt, ut tot revera celebrentur, quot illud præſcribit; qua in re ſi aliqua emergat difficultas, conſulendæ erunt ſacræ Congregationis Concilii declarationes (3) opportune ſuper hoc emanatæ, quas habere etiam præ oculis debent Miſſarum *Reviſores* a nobis deputati, quibus inter cætera hoc munus demandavimus *ſuperiore Titulo IV. Art.II.*, ut hujuſmodi Indulta ſedulo conſiderent, videantque, an impletæ fuerint conditiones ibidem appoſitæ, & an forte elapſum jam fuerit tempus in ipſis præfinitum.

TITULUS XIV.

De Bonis Eccleſiaſticis.

Eccleſiaſtica bona ad externum Dei cultum, Templorum nitorem, ſacrorum Miniſtrorum ſubſtentationem, pauperum levamen, aliorumque piorum operum

(1) *Dec. 19. Maii 1761.*
(2) *Bened. XIV. Inſtit. 34. n. 27.*
(3) 30. *Julii 1701. Vide Ferraris V.* Altare privilegiatum *n. 4.*

implementum deſtinata Chriſti veluti patrimonium (1) cenſentur, adeoque ſumma religione, integritate, ac diligentia ea adminiſtrari omnino decet. Præcipua quædam tum ex jure communi, tum ex Prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis in eam rem opportuna hic commemoramus, inviolate ab omnibus, ad quos ſpectat, perpetuoque ſervanda.

Ac primum Eccleſiarum, Beneficiorum, Locorumque piorum Rectores, Poſſeſſores, Adminiſtratores eorumdem bona immobilia, aut mobilia pretioſa vendere, alienare, vel quomodocumque obligare ſine beneplacito Apoſtolico nullo modo præſumant ſub graviſſimis per ſacros Canones, ac Pontificias Conſtitutiones (2) ſtatutis pœnis. Mobilia vero non pretioſa, immobilia item modici valoris (3) quamvis ſine eodem beneplacito alienari valeant, dummodo ad illud declinandum fraudolenter in partes diviſa non fuerint (4); noſtra tamen, vel Vicarii noſtri generalis in ſcriptis licentia omnino requirenda erit ſub pœnis nullitatis contractus, aliiſque de jure, & arbitrio noſtro infligendis.

Jurium quoque, ac rerum eccleſiaſticarum tranſactiones, aut ſuper eis ſervitutis alicujus impoſitiones, vel mobilium Eccleſiæ oppignorationes, quæ ſpecies quædam ſunt alienationis, ſub eiſdem pœnis interdicimus, non impetrata prius Apoſtolicæ Sedis, aut noſtra in caſibus a jure permiſſis facultate, aliiſque ſervatis de jure ſervandis (5).

Præterea ſine noſtra licentia nemo audeat ſub pœna refectionis damnorum, aliiſque arbitrariis: Primo: Hæreditates, donationes, ſeu legata, quæ Eccleſiis, vel piis Locis ſiunt, ſi adnexum habeant onus aliquod, acceptare; Sed nec

(1) *Cap.* Cum ſecundum *de Præben.*
(2) *Cap.* Nulli, *&* *Extravag.* Ambitioſæ *de reb. Eccl. ſ. non alien. Urbanus VIII. Conſtit.* Humanæ ſalutis *Syn. de Const. tit. 29. c. 1.*
(3) *Can.* Terrulas *Cauſ. 12. quæſt. 2.*
(4) *S. C. C. in Parmen. 7. Aprilis 1602.*
(5) *Vide Benedict. XIV. Inſtit. 69. Syn. Viterb. 1762. tit. 1. c. 4. n. 2. & ibi allegat.*

Digitized by Google

nec repudiare, etiamſi a conditione futura pendeant (1): Secundo: Caducitatis pœnam remittere, quum per eam bona fuerint ad Eccleſiam devoluta (2): Tertio: Arbores evellere, aut non cæduas excidere, etiamſi infructiferas eas eſſe contendatur. Facultatem vero conceſſuri non erimus, niſi & nobis conſtiterit, nullum ex earum ſucciſione detrimentum Eccleſiæ oriri, & pretium inſuper in ejuſdem utilitatem erogetur (3): Quarto: Eccleſiaſtica bona locare, multoque minus in Emphyteuſim concedere conſanguineis, & affinibus uſque ad tertium gradum incluſive Beneficiariorum, Rectorum, vel Adminiſtratorum, etiam per ſuppoſitas perſonas, aut nomina, ſub pœna nullitatis, aliiſque arbitrariis (4): Quinto: Annuos cenſus favore Locorum piorum, ſeu Eccleſiarum conſtituere (5).

Quamvis alienationis nomine non comprehendatur locatio ad triennium dumtaxat (6), meminerint tamen Beneficiarii omnes, nullatenus in præjudicium ſucceſſorum validas intelligi locationes quaſcumque, ſi fiant repræſentata pecunia, & anticipatis ſolutionibus, quemadmodum nec fructuum adhuc pendentium venditiones (7). Meminerint præterea ſub pœnis nullitatis actus, aliiſque omnibus contra alienantes bona Eccleſiæ ſtatutis, ſibi eſſe interdictum, ſub nomine cedendi commodum, ſeu utilitatem percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, & prætextu vendere, ac diſtrahere ſuorum Beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum quantitate, quam ipſi

(1) *S. C. C. in Aſculana 24. Martii 1725. ad 6. Syn. Buſſi p.3. c.4. n.22. Syn. Tuſcul. 1763. p.1. c.20. n.6. Civit. Caſtelli 1766. act. 3. c. 11. n.16., aliæque.*

(2) *Syn. Tuſcul. loc.cit. n.13. &c.*

(3) *Syn. de Comit. art. 29. c. 5. aliæque ſuprac.*

(4) *Alexander VII. Conſtit.* In ſuprema 23. *Aprilis 1657. Syn. de Aſte Decret. 23., aliæque, ut ſupra.*

(5) *Syn. Buſſi loc.cit. & cap.7. n.4.*

(6) *Extravag.* Ambitioſæ *citat.*

(7) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Reform. c.11. Syn. de Comit. loc.cit. c.4.*

Digitized by Google

ipſi per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent (1).

Ubi autem bona Eccleſiæ debitis cum facultatibus erunt ultra novennium locanda, vel in Emphyteuſim concedenda, exacte ſervari volumus conditiones, & clauſulas expreſſas in Concilio Romano anni 1725. (2); & inſuper, præter terminorum appoſitionem, Ichnographiam Fundi, ſeu, ut dicitur, *Plantam geometricam* per Peritos cum menſuris omnibus, arborumque deſcriptione exaratam Inſtrumento conceſſionis inſeri, præſertim ſi locatio vicinis facienda ſit.

Fabricæ cujuſvis Eccleſiæ, & quorumcumque Locorum piorum Adminiſtratores ſingulis annis rationem ſuæ adminiſtrationis nobis reddere teneantur (3). Pecunias autem Eccleſiæ, ſeu Loci pii, aliave ejuſdem bona in proprios non convertant uſus, etiamſi animum habeant omnia integre ſolvendi, aut ſuo tempore reſtituendi; nec aliis ſine noſtro permiſſu mutuo dent, etiam accepto pignore (4). Cum vero pecuniæ erunt in bonis frugiferis inveſtiendæ, deponantur in Monte Pietatis, ſeu in alio tuto loco a nobis deſignando, neque inde eas educi fas ſit, donec de licentia noſtra reapſe inveſtiantur (5).

Caveant Adminiſtratores præfati, necnon Beneficiarii omnes, ut res, ac jura Eccleſiæ illæſa, & integra ſemper ſerventur; neve ipſorum culpa, aut incuria, ædificia, quæ ad Eccleſias, ſeu Loca pia ſpectant, ruinam, aut detrimentum patiantur; ſed ſarta tecta cuſtodiantur, &, ſi reparatione indigeant, opportune reparentur. Quod ſi vires non ſuppetant, ad nos tempeſtive recurſum habeant, ut de opportuno remedio proſpicere poſſimus (6). Prædia, ſi inculta

(1) *Bened. XIV. Conſtit.* Univerſalis Eccleſiæ 29. *Aug.* 1741.

(2) *Tit.* 19. *c. unico.*

(3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *de Ref. c.* 9.

(4) *Syn. Tuſcul. loc. cit. n.* 12., & *ibi allegat.*

(5) *Syn. de Aſie Decr.* 23.

(6) *Syn. de Comit. loc. cit. c.* 5.

culta fuerint, excolantur, atque illis animalia, aliaque ad culturam neceſſaria inſtrumenta comparentur; culta autem pro viribus in dies meliorentur, atque augeantur. Templa ſacra ſupellectili, prout decet, ac in ſequenti Titulo ſtatuitur, rite inſtruantur. Bona denique male alienata, aut deperdita vindicentur, ac recuperentur. Si qui ſint moroſi Eccleſiarum, Locorumve piorum debitores, adhibitis opportunis juris remediis, ad debiti ſolutionem compellantur. Quod ſi decurſu temporis comperiatur, Adminiſtratoris, ſeu Beneficiati cujuſpiam culpa Eccleſiæ bona, ſeu jura deperiiſſe, aut aliquem Eccleſiæ debitorem ſuo quidem tempore fuiſſe ſolvendo, ſed non adhibita tunc adverſus illum opportuna diligentia, ſolvendo imparem mox factum fuiſſe; damna quæcumque Eccleſiæ, ſeu Loco pio illata proprio Beneficiatus, vel Adminiſtrator ære reſarcire compelletur (1).

Quoniam vero, ut in prælaudato Romano Concilio (2) habetur, ad eccleſiaſtica bona a ſacrilegis uſurpatorum manibus vindicanda, & primævo ſuo, ac legitimo juri reſtituenda, in eoque, prout convenit, conſervanda plurimum prodeſt bonorum eorumdem inventarium rite confectum; Idcirco nos Decreto inhærentes ejuſdem Romani Concilii (3), necnon Conſtitutioni fel. rec. Sixti V. (4) omnibus & quibuſcumque Capitulis, & Collegiis, atque Eccleſiarum, ſeu Beneficiorum Rectoribus, necnon Hoſpitalium, Confraternitatum, Congregationum, cæterorumque Locorum piorum quomodolibet etiam exemptorum Adminiſtratoribus, qui hactenus legale inventarium juxta methodum, ut infra, præſcriptam non exhibuerunt, ſub pœnis in eodem Concilio ſtatutis diſtrictiſſime præcipimus, ut infra bimeſtre a publicatione hujus Synodi bonorum omnium qua-

(1) *Syn. Tuſcul. loc. cit. n. 8., aliisque.*
(2) *Tit. 12. c. 1.*
(3) *Ibidem.*
(4) *Conſtit.* Provida *29. Aprilis 1587.*

quavis ratione ad eadem Capitula, Collegia, Eccleſias, Beneficia, Hoſpitalia, Confraternitates, & Congregationes pertinentium, quorumque cura ipſis ſive in communi, ſive in particulari commiſſa reperiatur, legale præfatum inventarium, juxta methodum, & inſtructionem a prædicto Romano Concilio (1) præſcriptam, conficiant, confectumque nobis, ſeu Deputatis noſtris pro recognitione, & approbatione exhibeant, in Archivio deinde noſtro Epiſcopali ſervandum; cujus tamen exemplar aliud authenticum in particulari cujuslibet Eccleſiæ, ſeu Loci pii Archivio collocandum retineant.

Præterea recens de Beneficiis proviſi, ut ſupra Titulo II. primæ Partis ſtatutum a nobis eſt, ſimile inventarium infra bimeſtre a die initæ poſſeſſionis Beneficii conficere, & exhibere teneantur; idemque iis mandamus, qui Eccleſiarum vacantium Vicarii, ſeu Æconomi a nobis conſtituentur, ut collatione facta recentis cum veteribus inventariis, dignoſci queat, an aliquod bona Eccleſiæ paſſa ſint detrimentum, fraude, vel culpa prædefuncti Rectoris, ſeu illius Hæredum.

Sed quia tractu temporis rerum facies, & ordo ſolet immutari, volumus, ut ſingulis quibuſque decenniis inventaria hujuſmodi renoventur, vel ſaltem opportuna ad calcem inferantur additamenta, ex quibus eruatur præſens ſingulorum bonorum ſtatus, recenteſque eorum fines (2).

Laudati Romani Concilii mandato (3) pariter obſequentes, præcipimus, ut in ſingulis Eccleſiis, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, Lociſque aliis piis Archivium, ubi adhuc non eſt inſtitutum, in loco apto, ac bene clauſo omnino ſtatuatur; ubi fideliſſime cuſtodiantur Libri, Inſtru-

(1) *In ejus Append. ſub num. 10.*

(2) *Syn. Tuſcul. loc. cit. n. 15. Civit. Caſtelli loc. cit. n. 1. & 2., aliæque.*

(3) *Tit. 12. c. 6.*

ſtrumenta, Inventaria, Indulgentiarum Diplomata, authentica Reliquiarum documenta, viſitationum Decreta, Scripturæ denique omnes, quæ ſingillatim recenſentur in italica Inſtructione juſſu Benedicti XIII. (1) in hunc finem exarata, quam Benedictus XIV., quum hanc Eccleſiam Epiſcopus regeret, typis edi curavit, adjectoque Edicto (2) exacte ſervari juſſit. Non deſit quoque Index, ſeu Catalogus ſcripturarum omnium, quæ in Archivo continentur. Reformident cuncti graviſſimam excommunicationis illico incurrendæ, nobiſque reſervatæ pœnam, quæ inflicta jamdiu eſt contra ſurripientes, aut occultantes, aut delentes, aut lacerantes quælibet cujuſcumque generis ſcripta ad Eccleſiæ, ſeu Loci pii cujuslibet Archivum, necnon ad Cancellariam noſtram ſpectantia (3).

Ne bona Eccleſiis relicta a piis Chriſtifidelibus in ultimarum voluntatum tabulis hæredum culpa fraudentur, Deceſſores noſtri (4) S. Caroli veſtigia ſequentes (5), ſimilem excommunicationis ſententiam ipſo facto ſubeundam, & Epiſcopali pariter Sedi reſervatam, tulerunt in Notarios, qui Legata ad pias cauſas ab ipſis conſcripta, ſeu publicata Curiæ noſtræ non renunciarent. Quam nos pœnam in hac etiam Synodo confirmamus, niſi intra menſem a die publicationis Teſtamenti, ſeu cujuslibet alterius Inſtrumenti, in quo Legata hujuſmodi habeantur, computandum, ea ut ſupra renunciaverint. At quia interdum contingit, diutius differri piorum Legatorum executionem, quod in Teſtamentis contineantur, quæ vulgo appellantur *clauſa*, nulluſque ſit, qui inſtet pro illorum aperitione; Notariis omnibus, penes quos exſtant Teſtamenta hujuſmodi occluſa, per poſteriores tabu-

(1) *Bened. XIII. Conſtit.* Maxima vigilantia 20. *Julii* 1727. *una cum italica Inſtruct.*

(2) *Sub die* 29. *Novembris* 1727.

(3) *Tabel. Caſ. reſer. ut in Synn. Maffei, & Mancinſ.*

(4) *Syn. Maffei ad Decr.* 5. *Mancinſ. p.* 2. *c.* 3. *in Tabel. Caſ. reſervat. & p.* 3. *c.* 6. *n.* 7.

(5) *Acta Eccleſ. Mediol. pag.* 42. §. Pœnam, *& pag.* 74. *decr.* 17.

las non revocata, præcipimus, ut ſimiliter intra menſem ab obitu Teſtatoris numerandum, Curiam noſtram rei totius certiorem faciant, quo piorum Legatorum, ſi quæ ſint, adimplemento, prout nobis opportunum videbitur, conſulere valeamus. Contrafacientes decem aureorum pœna mulctabuntur, quorum medietas delatori tribuetur, altera vero piis uſibus per nos applicabitur.

Inter eccleſiaſtica bona Decimæ etiam computantur, quæ Paſtoribus debentur a Populis. Earum porro ſolutionem ab Eccleſia graviter præceptam, & tot divinis oraculis comprobatam, in quantum apud populos hujus noſtræ Diœceſeos uſu viget juxta normam in Appendice (1) tradendam, inviolate adimpleri ſub ſeveriſſima ſacrorum Canonum cenſura mandamus. Parochi itaque, quo tempore Decimæ dari ſolent, Decretum ſacroſancti Tridentini Concilii, quod incipit *Non ſunt ferendi* (2), ab Altari promulgent, & explicent; atque excommunicationem a nobis ferendam in contumaces Decimarum fraudatores comminentur (3). Confeſſarii quoque non omittant ſuos pœnitentes monere de gravi, qua urgentur, obligatione ſolvendi Decimas; & quos invenerint culpabiliter illas ſubtrahere, ſeu impedire, juxta Tridentini ejuſdem mandatum non abſolvant, niſi plena reſtitutione ſequuta, aut niſi certe cum iis, quibus debentur, concordaverint (4).

(1) *Sub num. XVI.*
(2) *Seſſ. 25. c. 12. de Ref.*
(3) *Conc. Trid. loc. cit. Syn. de Comit. tit. 25. c. 1. & 2. Maffei ad Decr. 19.*
(4) *Ibidem.*

PARS

P A R S I I I.

De Locis ſacris , aut piis .

T I T U L U S I.

De ſacroſanctis Eccleſiis , & de Oratoriis .

PErſonarum , ac rerum tractatione expleta , ad ſacras Ædes , aliaque pia , ac religioſa Loca , Eccleſiaſtica auctoritate erecta , animum modo noſtrum , ſermonemque convertimus ; inter quæ priores profecto partes jure optimo ſibi vindicant Templa , & Oratoria , quæ ad divina peragenda deſtinantur , & in quibus Fidelium vota , Sacerdotum preces , & Sacrificia excipiuntur a Deo bonorum omnium fonte , qui ſuperna chariſmata in domo ſua promptius , uberiuſque largitur . De ipſis igitur Templis , & Oratoriis , deque illorum conſtructione , reparatione , & ornatu , ac de reverentia eis debita primum hunc Titulum inſtituimus .

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Eccleſiis.

NUlla Eccleſia, ſeu Cappella, aut Altare erigatur ſine noſtra ſcripta licentia (1), & niſi prius a nobis, aut a Vicario noſtro generali inſpectus, & approbatus fuerit locus Eccleſiæ ædificandæ deſignatus, primuſque lapis benedictus per Sacerdotem a nobis deputatum conſueto eccleſiaſtico ritu fuerit in eo collocatus.

Supra Eccleſias, ſeu Cappellas cubicula, vel deambulacra ne conſtruantur, neque in iis, aut in adjacentibus locis fabrica ulla, nobis inconſultis, de integro fiat, aut quidquam innovetur; multoque minus aditus, aut januæ, aut feneſtræ aperiantur, quæ a laicorum domibus in Eccleſias ingreſſum, aut proſpectum præbeant. Si quæ ſint in Eccleſia inferiores feneſtræ, cratibus ferreis muniantur; omnes vero tam inferiores, quam ſuperiores vitreis claudantur clathris. Parietes intrinſecus ſint bene politi, ac dealbati, extrinſecus vero non indecori, nec arboribus, vepribus, fruticibus, hæderis, aliiſque id genus obducti, ne quid detrimenti ex iis patiantur fundamenta, aut muri Eccleſiæ, neve arborum rami feneſtras occupent, vel obumbrent (2). In ſummo muri anterioris faſtigio ferrea adſit Crux, ex qua a profanis ædificiis Eccleſia facile diſcerni queat. In ipſo Templi ingreſſu vas ad luſtralis aquæ aſſervationem ex marmore, aut alio lapide extructum ad dexterum ſaltem ingredientium latus decenter aptetur. Jannæ valvis firmiſſimis, ſera, clavibuſque ſint munitæ; claveſque non a laicis, ſed ab Eccleſiaſtica perſona detineantur (3). Tem-

(1) *Can.* Nemo Eccleſiam *de Conſecr. diſt.* 1. *Syn. de Comit. tit.* 21. *c.* 9.

(2) *Syn. de Comit. loc. cit. Acta Eccleſ. Mediol. pag.* 123. *col.* 1. *Syn. Sablacen.* 1674. *Fulginaten.* 1722. *Tuſcul.* 1763. *Civitatis Caſtelli* 1766, *aliiſque paſſim hoc tit.*

(3) *Iidem.*

Templa vel conſecrata ſint, vel ab Epiſcopo, ſeu a Sacerdote de ejus licentia benedicta. Altaria aut fixe ſint conſecrata, aut ſaltem immobiliter conſtructa, lapidem habeant in medio menſæ conſtitutum, & ab Altaris fronte parum remotum, qui ſit ab Epiſcopo conſecratus, ac firmiter Altari cohæreat (1). Lapis hic juxta Miſſalis Rubricas (2) ejus eſſe debet amplitudinis, ut Hoſtiam, & majorem ſaltem Calicis partem capiat. Cæterum lapides hujuſmodi conſecraturi in poſterum non erimus, niſi longi ſint ſaltem uncias viginti, lati vero ſexdecim (3). Quod ad Altaris ornatum pertinet, præter ea, quæ tum in præfatis Rubricis (4), tum a nobis ſupra (5) conſtituta ſunt, volumus, ut ſacratus lapis cerata tela continuo contegatur; utque cujuslibet Altaris menſa, abſolutis Miſſis, cæteriſque ſacris functionibus, decenti ſtragulo cooperiatur, quo a ſordibus, & a pulvere facilius ſervetur immunis (6).

Turrim campanariam habeat quælibet Eccleſia, ad quam cuilibet ingreſſus haud pateat. Campanæ in ea ne collocentur, antequam a nobis fuerint ritu eccleſiaſtico benedictæ ſub gravibus arbitrio noſtro infligendis pœnis (7). Quum autem ſervitio Eccleſiæ fuerint addictæ, ne ad res profanas ſignificandas temere pulſentur, ſevere interdicimus (8). Quare tolerare nequimus abuſum alicubi vigentem, eas feſtivo quodam peculiari ſono pulſandi in dimidio Quadrageſimæ; quaſi tunc cum remiſſis quibuſdam Chriſtianis, parumque religioſis exultandum foret, quod ſacratiſſimi abſtinentiæ dies tandem aliquando ad exitum properent. E contra uſum ab Eccleſia probatum æris campani ſonum edendi ad fugandas

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 6. aliaque ſuprac.*
(2) *Tit. 20. Rubric. general.*
(3) *Acta Eccleſiæ Mediol. pag. 124. col. 1. & pag. 463. col. 1.*
(4) *Loc. cit.*
(5) *P. 2. Tit. 4. art. 2.*
(6) *Syn. Mancinſ. p. 1. c. 3. n. 3.*
(7) *Pontif. Rom. tit. de Bened. Campan. Syn. de Comit. loc. cit. c. 10. Bened. XIV. Inſtit. 47. n. 38.*
(8) *Syn. Fulginaten., & Tuſculan. citt. aliaque.*

das tempeſtates ; item ſalutationis Angelicæ mane , meridie, & veſpere , necnon precationis pro defunctis ſub primam noctis horam per aliquot nolæ pulſus ſignum quotidie dandi, retineri , ac diligenter ſervari mandamus (1). Eoſdem campanæ pulſus in poſterum dari etiam volumus ſingulis ſextis feriis totius anni , hora tertia poſt meridiem (nempe hora 21., ut mos eſt Romæ) , tum a Cathedrali noſtra , tum ab Eccleſiis Parochialibus , prout præcepit s. m. Benedictus XIV. per Apoſtolicum Breve (2), ad Paſſionis , & Agoniæ D.N.J.C. memoriam in Chriſtifidelium animis excitandam, atque fovendam : ideoque omnibus, qui ad eumdem ſonum flexis genibus quinquies orationem Dominicam , & toties ſalutationem Angelicam devote recitaverint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione , ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione , necnon ſalutari perditorum hominum emendatione, pias ad Deum preces effuderint , centum Indulgentiæ dies elargitus eſt . Porro Parochorum erit Populum ſibi commiſſum, propoſito ampliſſimo Indulgentiarum lucro, diligenter excitare, & commonere, ut præſcriptas preces in ſingulis enumeratis æris campani ſignis fideliter, ac religioſe fundat. In memoriam quoque hic cunctorum revocamus, nemini licere Sabbato ſancto campanas pulſare ante Cathedralis in Civitate, in Diœceſi vero ante Parochialis, ſeu Matricis Eccleſiæ ſignum (3).

Eccleſiæ, quæ ruinam minitantur, ex redditibus earum fabricæ aſſignatis, vel alias, prout de jure, opportune reparentur (4). Nobis tamen inconſultis , eas iterum ædificare, aut quicquam in iis deſtruere, aut innovare , ut ſuperius dictum eſt, nemo audeat. Quum autem Benedictus XIII. per ſuam Conſtitutionem , quæ incipit *Pius* , *& miſericors* (5), provide con-

(1) *Syn. de Comit. loc.cit.* c.9. *Bened.XIV. Inſtit.*20.
(2) *Incip.* Ad Paſſionis 3.*Dec.*1740.
(3) *Leo X. Conſtit.* 22. *Syn. de Comit tit.*13.
(4) *Syn. de Comit. tit.*21. c.9.
(5) *In Appen. Conc.Rom. n.*24.

conſuluerit conſervationi, inſtaurationi, ac reparationi earum Cathedralium, ſeu Collegiatarum Eccleſiarum, in quibus non reperitur opus, ſeu peculiare patrimonium fabricæ ſufficienter inſtructum, nec onus eas reparandi, reſtaurandi, & conſervandi reſidet penes Communitatem Loci, aut alios Patronos; quumque talis ſit Eccleſia Collegiata Terræ Camerani noſtræ Diœceſeos, obſervantiam idcirco præfatæ Conſtitutionis omnino in ea exigimus, mandantes, ut in poſterum proviſi de Canonicatibus, & Beneficiis in dicta Eccleſia ſitis, vel ad eam translatis teneantur ſolvere, ac deponere mediam annatam pro fabrica ejuſdem Eccleſiæ, iis modo, & forma, quæ in laudata Conſtitutione præſcribuntur.

Et quoniam id, quod maxime Fidelium animos commovere, atque in ſacrarum rerum venerationem ſolet adducere, decor eſt domus Dei, nitorque, ac dignitas eorum, quæ divino cultui ſunt addicta, ut Epiſcopos omnes monet SS. DD. noſter (1); totis viribus curent Eccleſiarum Cuſtodes, ut nihil in ædibus Deo dicatis, niſi nitidum, niſi mundum appareat. Pavimenta itaque ſemel ſaltem in hebdomada verrantur: parietes quater in anno a pulvere, & aranearum telis mundentur: in Altaribus, Picturis, Imaginibus, ac univerſim in quibuſcumque Eccleſiæ mobilibus, ac in tota ſacra ſupellectili nihil incultum ſit, nihil fractum, ſciſſum, immundum, aut maculoſum, multoque minus ridiculum, indecorum, aut obſcenum. Linea præſertim ſupellex (Corporalia potiſſimum, & Purificatoria) mundiſſima ſit, parvaque cruce acu picta ſignetur. Omnia in armariis, loculiſque ſuis diligentiſſime cuſtodiantur, ac, cum opus fuerit, inſtaurentur, aut renoventur (2).

De

(1) *Epiſt. Encycl. ad omnes Epiſc.* 25. *Dec.* 1775. n. 5. & p. 2. c. 5. n. 13. *Mancinf.* p. 1. c. 3. n. 3.
(2) *Syn. de Comit.* tit. 21. c. 3. *Buſſi* p. 1. c. 6. *aliaque ſupra cit.*

De ſacrorum vaſorum materie ſupra a nobis propriis in locis actum eſt. Nunc illud monemus, ne ſacris uſibus adhibeantur Patenæ, & Calices, qui non fuerint per ſacram unctionem conſecrati; nec Sacerdotalia quæcumque, ac Levitica indumenta, Corporalia, Pallæ, Altaris mappæ, ac linteamina, Crux, Imagines ſacræ, Pixis, Oſtenſorium, Tabernaculum, ſeu Cuſtodia, cæteraque hujuſmodi, quæ benedicta non fuerint, ſub gravibus pœnis arbitrio noſtro infligendis (1). Harum porro rerum benedictio nonniſi a nobis, aut ab iis, quos ex Sedis Apoſtolicæ facultate ad id delegabimus, Calicum autem, & Patenarum conſecratio omnino a nobis exquirenda erit; excluſis Abbatibus, aliiſque Prælatis Regularibus facultatem habentibus, qui ea pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum uti poſſunt (2). Eccleſiarum autem Rectores, ac Miniſtri ſub eiſdem pœnis ne audeant veſtes, vaſa, aut quamlibet aliam ſacram ſupellectilem ad profanos uſus cuipiam commodare; nec ſacrata vaſa laicis ſine noſtra facultate tangenda permittere.

Quæ ſuper reverentia ſacris Templis debita lato alias Edicto (3) conſtituimus, hic confirmamus; edicimuſque, ut abſit a Domo Dei quicquid irreverentiam præſefert, aut loci ſanctitatem offendit. Vana, ſcurrilia, eoque magis amatoria, & obſcena colloquia, ſeu, quod deterius eſſet, aſpectus, geſtus, actuſque impudici perpetuo faceſſant: Viri nonniſi capite detecto, pileis, aut albis reticulis, ſeu pileolis omnino depoſitis; Mulieres velato capite, modeſtoque ornatu in Templis verſentur: hæ vero ab illis, quoad fieri poteſt, ſegregentur. Ad ſacras Ædes ornandas, ſeu a ſordibus purgandas fœminæ ne adhibeantur, ſaltem juniores. Nemini liceat haſtata arma, aut igni concipiendo accomodata

in

(1) *Pontif., Miſſal., & Ritual. Rom. de Benedict. S. Rit. C. in Januen. 16. Nov. 1649. Bened. XIV. Inſt. 21.*

(2) *Decret. Alexandri VII. 27. Sept. 1659. §. 18. & 19. Bened. XIV. Inſtit. 21, n. 13. ſeqq.*

(3) *Die 25. Julii 1770.*

in Eccleſiam inferre, aut prope illius, ſeu Cœmeterii parietes deponere: ſeu merces, & onera ſub prætextu brevioris itineris per illam deportare, aut aſſervare in ea, quæ ad ejus cultum, & ornatum non pertinent (1). Laici cujuſcumque conditionis, & ſexus Presbyteriorum, & Altarium ſepta, dum Miſſæ ibi celebrantur, aliave divina Officia perſolvuntur, ingredi, aut ibidem ſcamna habere, ſeu genuflexoria ſibi arrogare non præſumant. Nullo autem tempore permiſſum ſit cuipiam Altaribus indecenter inniti, aut ſuper eorum menſam pileum, aliaſve veſtes deponere (2).

In Eccleſiam quoque ingreſſus iis prohibeatur, qui Fidelium devotionem, divinaque officia turbare poſſunt; cujuſmodi ſunt amentes, ac infantes triennio minores, præſertim ſugentes adhuc ubera (3). Mendici item per eam nullo modo vagari ſinantur, ſed ante fores ad ſtipem quærendam jubeantur conſiſtere (4). „ At ſi quæſtuantes (verbis utimur cl.mem. Card. Buſſi (5) Prædeceſſoris noſtri) Fidelium devotionem „ perturbant, Canes omnino pervertunt, dum per latratus, „ & concurſationes divinam rem, & Dei verbum fœde interrumpunt, & per laſcivas perſæpe nugas intuentium oculos „ fœdiſſime offendunt „ Gliſcens hoc ſcandalum eliminare penitus volentes a Domo Dei, Prædeceſſorum etiam noſtrorum (6) veſtigiis inhærentes, omnibus, cujuſvis ſint conditionis, gradus, & ſexus, ſevere inhibemus, ne canes ſecum, aut catellos ſub quovis prætextu in Templum Domini ducere præſumant, quod ſane in terreni Principis aulam non auderent. Sacriſtis vero, aliiſque Eccleſiarum Cuſtodibus diſtricte mandamus, ut ſi quem canem, aut catellum nullo

(1) *Vid. Conſtit.5.* Cum primum *S.Pii V. Encycl. Clem.XI.* 30. *Julii* 1701. *quæ habet. etiam in App.Syn.Maſſai pag.66.Syn. de Comit. tit.21. de Aſte, & Maſſai decr.16. & in App. pag.62. & 71. Buſſi p. 1. c. 6. Mancinſ. p.1. c. 3. Edit. noſtrum cit.*

(2) *Vide ibidem, & Conc.Rom. tit.28. c.4.*

(3) *Syn. Fulgin.1722. c.18. n.5.*

(4) *S. Pius V., aliique citati ſupra n.22.*

(5) *Loco cit. n.4.*

(6) *Syn. de Aſte decr. 16. Buſſi loc. cit. n.4. Mancinſ. n.2.*

aut quovis ductore Eccleſiam ingreſſum deprehenderint, illum protinus, omni humano reſpectu poſthabito, quiete quantum fieri poteſt, & ſine ſtrepitu expellant (1). Si quis verbo, vel facto eis obſiſtere præſumpſerit, illum ad nos quantocius deferant: ſecus in deferendo, aut in expellendo ſegnes trium ſcutatorum pœna pro qualibet vice omnino mulctabuntur. Qui autem canem ſuum potius, quam Dei honorem, & cultum curantes illum in Domum Dei intrudere audebunt, aut ab ea ejici non ferent, meritas pro modo culpæ, & perſonæ ab eis exigemus pœnas. Quod numquam eventurum confidimus, ſi nobiles viri, & mulieres religioſæ hac in re obedientiæ exemplum, ut par eſt, cæteris præbeant.

Prope Eccleſias, aliave ſacra Loca ſtrepitus, clamores, ludi, choreæ, cantus, ſonitus, & cujuſvis generis ſpectacula, ſtabula item, aut tabernæ nullo modo habeantur, neve quidquam venale exponatur. Profanæ in earum valvis non affigantur ſchedulæ. Nemo etiam præ Templi foribus ſe ſiſtere audeat, vel ad impediendum ingredi volentes, vel ad fœminas prætereuntes aſpiciendas, ſalutandas, ſeu etiam irridendas (2).

Eccleſiarum itaque ſive Sæcularium, ſive Regularium Rectores, Æditui, aliique Cuſtodes ſummo ſtudio nitantur, ut quæ hactenus pro reverentia Domui Dei debita ſalubriter conſtituimus, executioni fideliter demandentur. Templa interdum, eorumque ambitum circumeant; profanatores, quicumque ſint, nomine etiam noſtro, coarguant; ac inobedientes nobis renuncient, ut ad eccleſiaſticarum ſanctionum normam, ac præſertim Conſtitutionis S. Pii V. (3), meritis

(1) *Cerem. Epiſc. lib. 1. c.12. in fine, Syn. de Aſte, & Baſil. ll. citt. Acta Eccleſiæ Mediol. pag.30. col.2. §.* Bruta *Syn. duximan. Spalat. pag.27. n.25. Fulginaten. loc.cit. n. 4., aliæque.*

(2) *Vide citt. ſub n.22.*

(3) *Conſtit.5. cit.*

ritis pœnis in eos procedamus. Dato autem veſpertino ſalutationis Angelicæ ſigno hora 24., Eccleſiæ fores protinus claudi faciant: ſacræque quælibet functiones ultra eam horam nullatenus protrahantur, ſub gravibus arbitrio noſtro, etiam ſpiritualibus, ferendis pœnis (1).

Si forte (quod avertat Deus) per crimina in jure expreſſa violetur Eccleſia, illius Rector quamcitiſſime rem ad nos, vel Vicarium noſtrum generalem deferat (2), ut de reconciliationis remedio juxta ſacros Canones opportune provideamus. Interim vero, donec reconcilietur Eccleſia, nemo audeat in ea Miſſas, aut alia divina officia celebrare (3).

Immunitatis privilegium, quo fruuntur Eccleſiæ, aliaque loca immunia ad reorum confugium, inviolatum cuſtodiri volumus, ad tramites tamen ſacrorum Canonum, & Pontificiarum Conſtitutionum (4). Quapropter Eccleſiarum, ſeu immunium locorum Præſides confugium ejuſmodi non impediant, neque aditum claudant, ne pateat acceſſus; ſed neque facinoroſos, contumaces, aut exules alliciant, advocent, vel occultent (5). Et quia ſacro aſylo, Eccleſiæque benignitate Rei abuti non debent, Præſidibus præfatis præcipimus, ut ſi is, qui in locum ſacrum ſe recepit, nova facinora perpetret, turbas excitet, divina officia perturbet; ſeu quid aliud indecens in Eccleſia agat, confeſtim certiores nos reddant, ut id conſilii, quod res poſtulabit, capiamus. Iiſdem quoque vetamus, ne merces prohibitas, aut ſuſpectas in locis immunibus recipiant, neve invehi, aut abſcondi permittant; ſecus gravioribus pœnis arbitratu noſtro infligendis fient obnoxii (6).

 ARTI-

(1) *Vide citat. Conſtit. V. S. Pii V.*

(2) *Syn. de Comit. tit. 21. c. 8.*

(3) *Capit.* Si Eccleſia *de Conſecr. Eccleſ. Rubr. Miſſal. de defectibus tit. 10. &c.*

(4) *Capit.* Inter alia *de Immunit. Greg. XIV. Conſtit.* Cum alias. *Bened. XIII. Conſtit.* Ex quo *Clem. XII. Conſtit.* In ſupremo. *Bened. XIV. Conſtit.* Officii.

(5) *Syn. de Comit. tit. 26. c. 7. Civit. Caſtelli 1766. act. 1. cap. 7. n. 17.*

(6) *Syn. Tuſcul. 1763. p. 1. c. 14. art. 4. n. 10. Civit. Caſtelli cit. n. 19., aliæque.*

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Oratoriis.

ORatoriorum quædam publica ſunt, quædam privata; Publica dicuntur, ad quæ confluentibus acceſſus e publica patet via. Iſtorum fores, præcipue ſi campeſtria ſint, ſeris optime munitæ, ne aperiantur, niſi tempore Sacrificii (ſi ibi illud celebrare permiſſum ſit), aut cum Sacerdos una cum Populo preces ad Deum fundit (1). In reliquis eædem ſerventur leges, quæ ſupra pro Eccleſiis conſtitutæ ſunt. Privata dicuntur, quæ januam non habent publicæ viæ cohærentem. Si hæc Oratoria in ædibus ſacris, religioſis, aut piis conſtituta ſint, & ad divinum tantum cultum dedicata, prævia noſtra deſignatione, viſitatione, ac licentia in ſcriptis concedenda, Miſſæ Sacrificium celebrari in iis poterit (2).

At ſi hujuſmodi Oratoria in laicorum domibus, privatiſque ædibus ſita fuerint, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, ſacrum in illis peragere nefas eſt. Porro eos, qui hoc Oratorii domeſtici indulto fruuntur, quemadmodum & Sacerdotes, qui inibi celebraverint, ſerio monemus, ut quæ de Eccleſiarum, & Altarium nitore, atque ornatu, ac de ſacræ ſupellectilis munditie conſtituta a nobis fuerunt Articulo præcedenti, eadem exacte ſervari curent æqua proportione & in domeſticis Oratoriis. Ea deinde, quæ in Pontificiæ conceſſionis Brevi, atque in Decreto, quod in ejus executionem a Curia noſtra exaratur, præſcripta ſunt, ſumma religione adimpleant. Juvat nihilominus præcipua hic referre, quæ in hanc rem habentur in Epiſtola encyclica Benedicti XIV.

(1) *Syn. de Comit. tit.21. c.6.*

(2) *Conc. Trid. ſeſſ.22. in Decr. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſæ S.C.C. apud Fagnanum in cap.* In his *de privileg. n. 23. Gattico de Orator. domeſt. c.16. n.13. & ſeqq.*

cti XIV. ad Epiſcopos Poloniæ (1). Ac primo Oratorium parietibus, per quos ab omnibus aliis domeſticis uſibus ſegregetur, extructum ſit. II. Idem ab Epiſcopo prius, vel ab alio, cui ipſe vices ſuas delegaverit, viſitetur. III. Celebrandi in eo licentia ab Epiſcopo concedatur, quæ ſecundum rationabile illius arbitrium perduret. IV. Non plures uno die, ſed unica tantum Miſſa debitis horis celebretur; eaque a Sacerdote, ſi ſæcularis ſit, ab Epiſcopo approbato, ſi Regularis, qui licentiam habeat a ſuo Regulari Superiore. V. Ne Miſſa celebrari poſſit diebus ſolemnibus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis D.N.J.C., & aliis ſolemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, & Aſcenſionis Domini, Annunciationis, & Aſſumptionis B.M.V., omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Titularis Eccleſiæ loci. VI. Ne celebretur, niſi præſente aliquo ex Indultariis, qui nempe in Brevis fronte, ſeu inſcriptione nominati ſunt, aut aliqua certe ex iis perſonis, quibus in corpore Brevis conceditur, ut in earum præſentia Miſſa celebrari poſſit. VII. Eæ dumtaxat perſonæ Miſſæ intereſſentes, dum Indultariis, ut ſupra, præſentibus in Oratorio celebratur, Eccleſiaſtico præcepto ſatisfaciant, quæ in Brevi exprimuntur. VIII. Pœnitentiæ Sacramentum ibidem miniſtrari nequeat extra caſus a jure permiſſos, neque ſacra Euchariſtia, niſi Epiſcopi licentia accedat.

Hæc ſtatuta ſunt, ſalvo illorum privilegio, quibus per extraordinarium Breve, aut per Apoſtolicum Reſcriptum Curiæ noſtræ exhibendum, conceditur, ut vel ſecundam Miſſam celebrari facere poſſint, vel ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto ſerius eo temporis limite celebretur, qui in Rubricis præfixus eſt, vel etiam in diebus exceptis, & alia hujuſ-

(1) *Edit. 2. Junii 1751.*

Digitized by Google

hujuſmodi. Cum autem alicui, valetudinis cauſa, Miſſam in Oratorio audire, diebus etiam exceptis, permittitur, tunc die Natali Chriſti Domini tres ibi Miſſæ a Sacerdote poterunt celebrari (1).

TITULUS II.

De Sepulturis,

ubi etiam

De Funeribus.

ARTICULUS I.

De Sepulturis.

QUamvis juxta recentiorem Eccleſiæ diſciplinam Chriſtianorum cadavera, qui Baptiſmate ſanctificati in Dei gratia deceſſiſſe creduntur, non in cœmeteriis modo, ſed intra Templorum ambitum humari poſſint; in Eccleſiis tamen noſtræ juriſdictioni ſubjectis nova conſtrui vetamus ſepulcra ſine noſtra in ſcriptis licentia (2). In Monialium vero Eccleſiis ſine peculiari ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium facultate, nulla pro ſæcularibus perſonis, cujuſcumque ſint dignitatis, aut ſexus, ſepulcra ſiant (3).

Sepulcra alte infra terram ſint effoſſa, muro circumquaque, ac ſuperne fornicato opere munita. Supra terram Capſæ, & Depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria nequaquam ſtatuantur juxta S. Pii V. Conſtitutionem (4). Sepulcrorum oſtium ab Altarium ſuppedaneis per tres circiter cubitos diſtet: ſepulcrumque ipſum immediate non adhæreat Altaris gra-

(1) *Bened. XIV. Encycl. cit.*

(2) *Syn. de Comit. tit. 23. c. 6.*

(3) *S. C. Epiſc. ſæpius. Vide Ferraris V. Sepultura n. 137. Syn. Fulgin. 1722. c. 23. n. 5. Taurul. 1763. p. 3. c. 14. n. 8. &c.*

(4) *Conſtit. 5.* Cum primum *§. 6. Syn. de Comit. loc. cit.*

Digitized by Google

gradibus; ſecus amotis cadaveribus, & oſſibus injecta terra repleatur (1). Multo autem minus ſub Altari, aut ejus gradibus, ſeu ſuppedaneis, cadaver ullum tumuletur; aliter, nonniſi alio translatis cadaveribus, Sacrum facere in eo Altari licebit (2). Sepulcri os lapideo obſtruatur operimento, quod Eccleſiæ ſolo ita adæquetur, ut incedentium pedibus nullo ſit offendiculo: apte autem cohæreat ori, & calce circum obducatur, ne malus odor in Eccleſiam erumpat. In hujuſmodi operimentis nulla ſacra incidatur effigies, ne pedibus conculcetur; nulla etiam in eiſdem, aut in alio quocumque Eccleſiæ loco epitaphia, inſcriptiones, aliave litterarum monumenta apponantur, quæ non fuerint a nobis probata (3).

Nemo pavimentum rumpere, atque effodere audeat in Patronatis licet Eccleſiis, ſeu Cappellis, ut inibi mortui cujuſpiam cadaver ſepeliatur, niſi peculiaris ad id acceſſerit noſtra in ſcriptis facultas (4).

Tria ſaltem in qualibet Parochiali Eccleſia adſint ſepulcra, in quorum primo decentiori in loco ſito ſoli Sacerdotes, & Clerici, in altero parvuli tantum baptizati, qui ante rationis uſum obierunt, in tertio laici adulti promiſcue tumulentur (5). Hortamur vero, ut & quartum laudabilius adſit, in quo ſeorſum a viris fœminæ ſepeliantur. Præter hæc communia ſepulcra, peculiaria etiam pro uſu certarum familiarum, ſeu perſonarum privativo jure conſtructa eſſe nihil vetat: ad id tamen jus acquirendum, legitima Eccleſiaſtici Superioris facultas intercedat neceſſe eſt (6).

Præter ſepulcra, cœmeterium etiam rite benedictum in Parochialibus ſaltem Eccleſiis deeſſe non debet, intra quod con-

(1) *De Comit. loc. cit.*

(2) *Rit. Rom. tit. 6. de Exequiis c. 1. S. Cong. Epiſc. apud Gavantum p. 1. in Rubr. Miſſal. tit. 20. lit. O. S. Rit. C. apud Meratum in Indice Decret. tom. 1. n. 712. Syn. de Comit. loc. cit.*

(3) *Syn. Fulgin. 1722. Civitatis Caſtellane 1756. Faſcul. 1763. Civit. Caſtelli 1765. aliæque paſſim hoc Titulo.*

(4) *Vide Syn. Civit. Caſtellanæ 1756. tit. 3. c. 3. n. 6. Tuſ. ib. loc. cit. n. 8., & ibi allegat.*

(5) *Rit. Rom. loc. cit. c. 1. & 6. Syn. de Comit. loc. cit. c. 3.*

(6) *Syn. Tuſcul. cit. n. 9., & ibi allegat.*

Digitized by Google

conſumptorum cadaverum oſſa, cum neceſſitas poſtulat, e ſepulcris eruta, eoque translata aſſerventur. Muro undique circumclaudatur: oſtium firmis valvis, clavique, quam Parochus retinebit, munitum ſit. Supra oſtium Crux conſpiciatur; itemque lignea alia Crux in medio cœmeterii. Arbores, frutices, vepres, ſi quæ in eo ſint, ſuccidantur; nec quidquam ibi fieri ſinatur, quod loci ſanctitati haud conveniat (1). Quod ſi locus non ſuppetat pro cœmeterii conſtructione, ſepulcrum ſaltem ſatis amplum non deſit, quod cœmeterii vices gerat.

Quamvis cuique liberum ſit, in quacumque malit Eccleſia, quæ jus tumulandi habeat, ſibi ſepulturam eligere; hanc tamen electionem, ſi ex proprio defuncti ſcripto non conſtet, probatam volumus per duos ſaltem idoneos teſtes. Solius etiam Parochi, aut Confeſſarii licet Regularis, teſtimonium hac in re admittemus, dummodo non feratur in propriæ Eccleſiæ favorem (2). Caveant tamen omnes ex Clero tum ſæculari, tum Regulari, ne quempiam ad vovendum, jurandum, vel promittendum quoquo modo inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligat, vel jam electam ulterius non immutet; ſecus in excommunicationem latæ ſententiæ Summo Pontifici reſervatam, aliaſque pœnas per Canones (3) ſtatutas ſe noverint incurſuros. Ægrotum igitur generatim dumtaxat interrogent, in qua velit Eccleſia tumulari, ejuſque electioni ſtatim acquieſcant (4).

Juxta noſtræ hujus Diœceſis conſuetudinem facultas ſit Patri (5), & cum Pater non adeſt, Matri (6) pro impuberibus filiis ſepulturam eligendi, dummodo electio non fiat poſt eorum obitum.

Si

(1) *Syn. Fulgin. aliæque ſupracit. paſſim hoc Tit.*

(2) *S. C. C. 13. Febr. 1656., & habet. impreſſ. in App. Synod. Civit. Caſtellanæ 1756. num. 42. Syn. de Comit. loc. cit. c. 7.*

(3) *Capit.* Animarum *de Sepult. in 6. Clementina* Cupientes *de pœnis.*

(4) *Syn. de Comit. loc. cit.*

(5) *Capit.* Licet *de Sepult. in 6.*

(6) *Vide Ferraris V.* Sepultura *n. 104. & 105.*

Si quis non electa ſepultura deceſſerit, in majorum ſuorum gentilitio ſepulcro tumulandus erit (1). Uxor tamen in viri ſui, & ſi pluribus nupſerit, in ultimi ſepulcro erit condenda (2).

Quod ſi quis neque ſepulturam elegerit, neque majorum ſepulcrum habeat, tumulandus erit (exceptis caſibus in jure expreſſis) in ſua Parochiali Eccleſia. Quare ii etiam, qui pio alicui Sodalitio ſunt adſcripti, in ſua Parœcia humari debent; niſi aliter decernentia Confraternitatis ſtatuta ſint ab Apoſtolica Sede confirmata, aut niſi præceſſerit expreſſa, & ſemper revocabilis ſepulturæ electio (3).

Atque ad occurrendum hac in re quæſtionibus, quæ inter Parochos excitari poſſent, circa jus tumulandi eorum cadavera, qui neque electum, neque gentilitium ſepulcrum habentes, extra locum proprii domicilii decedunt, hæc, quæ ſequuntur, in noſtra Diœceſi perpetuo ſervanda decernimus.

Primo. Quoad peregrinos, & advenas iterum probamus, ac confirmamus concordata inter Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Capitulum, & Parochos hujus Civitatis auctoritate noſtra inita, quorum exemplar in Appendice habetur ſub num. XVII., quæque perpetuo quoad omnia in ipſis contenta ſervari mandamus. Secundo. Si quis in Civitate, ſeu in Parochiis Urbi proximis, nempe *Petræ Crucis*, *S. Mariæ Gratiarum*, *ac Montis Angeli* domicilium habens, ſive illud paternum, ſive maternum, aut fraternum ſit, extra Parœciam ſui domicilii obierit, non tamen extra Civitatis, & prædictarum Parochiarum fines, in Parœcia ſui domicilii tumulabitur (4). Tertio. Civitatis incola extra prædictos fines decedens, ſepelie-

(1) *Capit.* 1. *de Sepult. Capit.* Is, qui *eod. in* 6. *in App. ſub num.* 42. *Bened. XIV. Inſtit.* 105. *n.* 124. *Baſſi de Sodalit. quæſt.* 5. *n.* 5.

(2) *Can.* Ebron *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. *S. C. C.* 13. *Febr.* 1666. *ſupracitat.*

(3) *S. C. C. ſæpius. Vide Syn. Fulgin. cit.* 1722. *c.* 23. *n.* 8. *Syn. Civit. Caſtellanæ* 1756.

(4) *Vide Capit.* Is qui *de Sepult. in* 6. *Bened. XIV. Inſtit.* 105. *n.* 42. *& ſeqq.*

pelietur in Parochia, in qua obierit (1). Quarto. Qui in antedictis tribus Parœciis Urbi proximis domicilium, ut ſupra, habens, extra earum omnium fines deceſſerit, ſi quidem Parochia domicilii pluſquam tribus milliariis diſtet, in Parœcia obitus tumulabitur, ſin minus in ea domicilii; idemque ſervabitur quoad incolas cæterorum locorum Diœceſis extra propriam Parochiam decedentes (2). Quinto. Jus tumulandi, quod juxta præſcriptas regulas habet Parœcia *domicilii*, competere volumus etiam Parochiæ *quaſi domicilii*; ita tamen, ut ſi ambæ concurrant, jus illud unice ad primam ſpectet. Quare qui in aliqua exempli gratia Anconitanæ Urbis Parœcia, ſtudiorum in Seminario noſtro, vel extra, educationis in Monaſteriis, ſeu Conſervatoriis, officii, famulatus, aut ſimilium cauſa, habitans deceſſerit, in Parochia ſuæ habitationis tumulabitur, ſi nullum aliud habeat intra fines ſuperius ſtatutos *verum domicilium*; ſecus ſepeliendus erit in Eccleſia Parochiali ſui *veri domicilii* (3). Sexto. Juxta Romani Cleri (4) ſtatutum declaramus, Infantes retinere domicilium in Parochia Parentum, quamvis extra eam alantur: Patre vero orbatos, quouſque apud Matrem aluntur, vel ab ea alendi alii dantur, domicilium habere in Parochia Matris, licet in poteſtate Tutorum, non Matris exiſtant. Quod ſi utroque Parente careant, de Parochia eſſe Tutorum decernimus.

Caveant Parochi, aliique Eccleſiarum Rectores, etiam Regulares, ne eccleſiaſticam dent ſepulturam ulli eorum, quibus juxta Rituale Romanum (5) deneganda eſt. Inter eos recenſentur Infantes quoque abſque Baptiſmo mortui. Quare ſub pœna excommunicationis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis, in cœmeterio ne ſepeliantur omnino, ſed in loco non ſacro haud procul ab Eccleſia ad id deſtinato. Quod ſi in

(1) *Ibidem.*
(2) *Ibidem.*
(3) *Vide Bened. XIV. Inſtit. 33. & 38.*
(4) *In Addition. §. 7. & 8. Bened. XIV. Inſtit. 105. n. 56.*
(5) *Loc. cit. c. 2.*

in defunctæ Matris utero obierint, nec ex eo extracti fuerint, tamquam viſcerum ejus pars una cum Matre erunt ſepeliendi (1). Eccleſiaſtica neque privandi erunt ſepultura, ſi de eorum Baptiſmi valore prudenter dubitabitur (2). Cæterum in hiſce dubiis, ſeu cum agitur de ſepultura deneganda Fidelibus Catholicis, nihil temere, nobis inconſultis, ſtatuatur.

ARTICULUS II.

De Funeribus.

REI affinitas poſtulat, ut ſub hoc Titulo de Funeribus etiam agamus.

Sacras porro *cœremonias* (3), *ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis ſancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum exequiis uti ſolet, tamquam vera Religionis myſteria, chriſtianæque pietatis ſigna, & fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia Parochi ſummo ſtudio ſervare debent, atque uſu retinere. His itaque præſtandis, qua par eſt, modeſtia, ac devotione ita ſe habebunt, ut ad defunctorum ſalutem, ſimulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere ſunt, non ad quæſtum ejuſmodi ritus ſancte inſtituti eſſe videantur.*

Caveant igitur Parochi, aliique Sacerdotes, & Eccleſiarum Præfecti (4), *ne ſepulturæ vel exequiarum, ſeu anniverſarii mortuorum officii cauſa quidquam paciſcantur, aut tamquam pretium exigant: ſed iis eleemoſynis contenti ſint, quæ aut probata conſuetudine dari ſolent, aut Ordinarius conſtituerit.* Quare ſervetur omnino taxa funeraria, quam Deceſſores noſtri conſtituerunt, quæque a nobis additamentis quibuſdam, ac declarationibus aucta in Appendice exhibetur (5). Nullo autem

(1) *Syn. Fulgin. Civit. Caſtellanæ, aliaque paſſim ut ſupra hoc tit.*
(2) *Rit. Rom. tit. 2. de Baptiſmo c. 3. n. 16.*
(3) *Rit. Rom. tit. 6. de Exequiis c. 1.*
(4) *Ibidem.*
(5) *Sub num. XVIII.*

ſub prætextu denegentur, aut plus æquo retardentur defunctorum exequiæ, ſeu ſepultura; aut pignora, vel fidejuſſiones, antequam humetur cadaver, pro funeris emolumentis exigantur: ſed ſi quis Hæres ita illiberalis fuerit, ut ſumptus ad id neceſſarios facere recuſet, nec Parochus ſtatim ad nos recurſum habere queat, exequiæ eo decentiori modo, quo poſſunt, celebrentur, noſtraque erit poſtea tam irreligioſum hominem opportunis juris remediis coercere (1).

Ab exteris non plus exigatur funeris nomine, quam ab incolis exigi permittitur (2): *Pauperes vero* (3), *quibus mortuis nihil, aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint, gratis omnino ſepeliantur, ac debita lumina ſuis impenſis, ſi opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, ſi fuerit, juxta loci conſuetudinem*. Porro in hac noſtra Urbe pauperes tumulandi, debitaque lumina ſuppeditandi perantiquo jure a Gregorio XIII. (4) confirmato præ cæteris Confraternitatibus potiuntur alternis menſibus Archiconfraternitas SS. Sacramenti, & Societas Miſericordiæ, & Mortis, quæ nuperrime ordinaria noſtra auctoritate ſub quibuſdam legibus, & conditionibus unita fuit cum Archiconfraternitate S. Hieronymi, ut conſtat ex Decreto hujuſmodi unionis a nobis edito die ſexta proxime elapſi Julii.

Confeſtim ſequuta Chriſtifidelis cujuſpiam morte, Parochus cum ejus propinquis de modo, & pompa funeris conveniat; ut quos funeri adeſſe voluerint, moneri a Funeratore, vulgo *Maſſarolo*, tempeſtive poſſint. Statuat etiam cadaveris efferendi horam ita apte, ut divina ob id officia in Eccleſia, in quam inferri debet, non interturbentur (5). Interim defuncti

(1) *Syn. de Comit. tit. 23. c. 4. Buſſi p. 3. c. 2. num. 11*

(2) *Syn. de Comit. loc. cit.*

(3) *Rit. Rom. loc. cit.*

(4) *Breve Gregorii XIII. 13. Aug. 1584. cujus exemplar habet. in Archiv. archiconfr. SS.mi Sacramenti.*

(5) *Acta Eccleſiæ Mediol. pag. 556. col. 1.*

functi corpus ab ejuſdem ſexus perſonis curetur, & veſtibus decenter, omiſſa qualibet vana pompa, pro ſui conditione induatur (1). Pauperibus autem, qui gratis tumulantur, quibuſque decentia indumenta non ſuppetunt, ſaccum nigri, ſeu alterius convenientis coloris ſuppeditari volumus ab iis, quibus incumbit eos tumulare. At Eccleſiaſticos aliis, quam quæ in Rituali præſcribuntur (2), ſuoque congruunt Ordini, indui veſtibus, aut Calicem inter Sacerdotum manus apponi, vetamus (3).

Qui violenta morte occubuerunt, eorum corpora non prius efferantur, quam Parocho conſtiterit, a noſtræ, vel a laicalis Curiæ Miniſtris inſpecta de more fuiſſe. In Eccleſia enim, aliove loco ſacro inſpectio hujuſmodi fieri omnino non debet. Quod ſi iidem Curiæ Miniſtri plus æquo cunctarentur, efferatur ad Eccleſiam cadaver, juſtiſque perſolutis tumuletur (4).

Poſtquam curatum, decenter indutum, ac, ſi res ferat, inſpectum fuerit Cadaver, diutius domi non detineatur, ſed ad Eccleſiam, in qua ſepeliendum eſt, quantocius aſportetur. Quod ſi rerum circumſtantiæ id non ſinant, ad Parochialem, ſeu aliam viciniorem Eccleſiam, privatim (præſente tamen Parocho) per modum depoſiti transferri illud præſtabit, ut ab ea deinde funebris proceſſio juxta ritum incipiat (5). Interim vero tum domi, tum in prædicta Eccleſia, & quamdiu corpus inſepultum remanet, numquam ſine debitis relinquatur luminibus, ac cuſtodibus; qui tamen ſub gravibus arbitrio noſtro irrogandis pœnis caveant a confabulationibus, ludis, comeſſationibus, aliiſque actibus, quos

(1) *Syn. Fulgin. 1722. c. 23. n. 5. Civit. Caſtelli 1766. act. 3. c. 14. n. 1., aliæque.*

(2) *Loc. cit. Vide Bened. XIV. Inſtit. 16. ſub fin.*

(3) *Vide Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 38. num. 10. Syn. Fulgin. loc. cit. n. 15.*

(4) *Syn. Civit. Caſtellan. 1756. n. 18. Tuſcul. 1763. n. 23. Civit. Caſtelli 1766. num. 20. loc. cit., & ibi allegat.*

(5) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 3. Buſſi loc. cit.*

Digitized by Google

quos & Eccleſiæ ſanctitas, & funeris mœſtitia averſatur (1).

Non efferantur cadavera ante ſolis ortum: atque ad tumulantem Eccleſiam ante ejus occaſum ſint jam aſportata (2). Quod ſi ſecus aliquando ob juſtam cauſam agendum eſſe videatur, noſtra, vel Vicarii noſtri generalis licentia exquirenda erit.

Hora conſtituta, omnes ad funus vocati, veſtibus ſibi competentibus induti ad Parochialem defuncti Eccleſiam conveniant; neque ulli liceat in via, ſeu prope defuncti domum, ſeu alibi expectare ſub pœna inferius ſtatuenda (3). At cum Cathedralis Eccleſiæ Capitulum funeri intereſt, ſervari mandamus concordata, quæ ſuperius memorata ſunt. Inde ad defuncti domum, ſeu ad Eccleſiam, ubi forte cadaver depoſitum fuit, omnes ſe conferant; ac ſuper ipſum a Parocho recitatis precibus in Rituali præſcriptis, prælata Cruce (in qua linteum, aut quid ſimile deferri (4) interdicimus) efferatur ad Eccleſiam, in qua humari debet.

Sine Parocho, ad cujus ditionem pertinet defunctus, nefas eſt cadaver efferre, niſi forte idem Parochus accitus venire recuſaverit, nec alium Sacerdotem in ſui locum ſubſtituere velle declaraverit (5). Ad Parochum quoque ſpectat viam deſignare, per quam cum elato cadavere incedendum erit uſque ad tumulantem Eccleſiam, quamvis ea Regularium ſit (6). Via tamen, quantum fieri decenter poteſt, ſeligatur brevior (7).

In procedendo Confraternitatum Sodales, eorumque Cappellani, Clerus quoque tum Regularis, tum ſæcularis iis erunt induti veſtibus, eumque ſervabunt præcedentiæ ordi-

(1) *Syn. Fulgin., Tuſcul. aliæque ſupracit. loc. cit.*

(2) *Vide Synn. de Comit. & Baſſi ll. citt., & de Aſte dec. 18.*

(3) *Syn. de Comit. c. 5. de Aſte loc. cit. Bened. XIV. Inſtit. 105. n. 25. & Inſtit. 70. n. 5.*

(4) *Vide Syn. Fanen. 1777. pag. 53. & 58.*

(5) *Syn. de Comit. c. 5. & 7. Bened. XIV. l. cit.*

(6) *Bened. XIV. Inſtit. 70. n. 7.*

(7) *Syn. de Comit. c. 5. Bened. XIV. loc. cit.*

dinem, prout ſupra a nobis Parte II. Tit. XII. *de Proceſſionibus* conſtitutum fuit. Ultimo loco ante feretrum ibit Parochus (1), & in hac noſtra Urbe ad ejus ſiniſtram incedet Cappellanus Hoſpitalis ſub titulo B. M. V. ab Angelo Annunciatæ, qui juxta vetuſtiſſimam conſuetudinem ex perantiqua taxa funeraria in omnibus fere hujus Diœceſis Synodis impreſſa (2) comprobatam aſſociare debet una cum proprio Parocho omnes hujus Civitatis defunctos uſque ad Eccleſiam, ubi humandi ſunt. At quando Cathedralis noſtræ Capitulum funebri pompæ intereſt, Parochus, & Cappellanus præfati non immediate ante feretrum, ſed in conſueto loco cum Cathedralis Clero incedent, ita tamen, ut ſi adſint alii Parochi, digniorem locum præ cæteris Collegis ſuis in illo actu habeat defuncti Parochus, licet Regularis (3). Feretrum, ſi Laici cadaver contineat, quolibet generis, aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne geſtent, ſed laici (4). Circa feretrum hinc inde accenſi deferantur cerei, illudque ſequantur cæteri funus comitantes (5).

Si quis extra propriam Parochiam obierit, uterque Parochus funebri Proceſſioni interſit (6), ita tamen, ut Parochus illius Parœciæ, in qua obitus contigerit, cadaver continuo aſſociet uſque ad Eccleſiam Urbanam, in qua tumulari debet; Parochus vero domicilii, ſeu habitationis defuncti, ſi cadaver a Suburbiis in Urbem inferendum ſit, aut contra, comitem ſe adjungat tantum in porta Civitatis; quin Parochus, in cujus Parochia ſita eſt Porta, huic rei ullo modo ſe immiſceat (7). Extra Urbem vero, ſi cadaver ab una Parœcia in aliam transferendum ſit, Parochus domicilii funebri pompæ ſe adjungat in finibus ſuæ Parochiæ. Porro intra

pro-

(1) *Rit. Rom. loc. cit.*

(2) *Syn. Galli 1627. tit. 24. & IV. 1654. c. 22., de Comit. loc. cit., de Aste, & Maſſei decr. 18. Manuſ. in Append. pag. 57.*

(3) *Taxa Funer. cit.*

(4) *Rit. Rom. loc. cit.*

(5) *Ibidem c. 3.*

(6) *Taxa funer. cit.*

(7) *Bened. XIV. Inſtit. 105. n. 55.*

Digitized by Google

propriæ Parœciæ limites Parochus quilibet dexterum ſemper latus occupet, atque Urbanus, dum intra Urbem verſatur, digniorem locum habeat præ Suburbano (1).

Omnes ad funus invitati uſque ad Eccleſiam tumulantem proceſſionaliter incedant. Qui ſecus egerit, aut qui ad Parochialem Eccleſiam non convenerit, ſed vel in defuncti domo, vel in via comitem ſe Proceſſioni adjecerit, conſuetam ceram non lucretur, nec defuncti hæredes eam teneantur illi præſtare. Quam pœnam ſubibunt ii etiam ex Clero ſæculari, qui aut ſuperpelliceo caruerint, aut talari veſte, niſi longioris extra Urbem itineris aſperitas hanc ferri non ſineret (2). Parochus autem, & Cappellanus *SS. Annunciationis*, qui in præmiſſis deliquerint, congruis arbitrio noſtro pœnis mulctabuntur. Præterea, ubi in Diœceſis Oppidis, ſeu locis, aliquot ex Confratribus ſingulis quibuslibet menſibus deputantur, qui ex ſuorum ſtatutorum lege mortuorum cadavera ſociare, & ſepelire debent, præter ceræ amiſſionem, qui moroſi, ac negligentes fuerint, mulctam etiam irremiſſibiliter ſubibunt in præfatis ſtatutis expreſſam, quæ in commodum ſupplentium cedet (3).

Parentibus, cognatis, ſeu affinibus defuncti quibuſcumque, cum ineptis clamoribus, & ejulatibus, eorum more, qui ſpem non habent (4), funus ſociare prohibemus ſub pœna a Deceſſoribus (5) ſtatuta ſcutorum trium Parochiali Eccleſiæ, ſeu alteri pio Loco applicanda.

Eccleſiarum tumulantium Præfecti, quamvis Regulares permittere non graventur Parochis, attenta præſertim huiuſce Diœceſis conſuetudine (6), eas ingredi cum ſtola, & cruce erecta per modum *meri tranſitus*, & non in alicujus juriſ-

(1) *Ibidem num. 54.*
(2) *Vide Syn. de Comit. loc. cit. c. 5.*
(3) *Syn. Buſſi p. 3. c. 7. n. 3.*
(4) *1. ad Theſſal. c. 4.*
(5) *Syn. Maffæi ad decr. 8.*
(6) *Vide Ferraris V.* Parochus *art. 3. n. 66. & ſ. 95.*

riſdictionis ſignum ; ſicut & in Eccleſiam noſtram Cathedralem hoc modo introire eis conceditur in concordatis auctoritate noſtra firmatis (1).

Ne unquam contingat in hac Diœceſi noſtra, ut ſacræ cæremoniæ, ac preces, quas in filiorum ſuorum exequiis præſcripſit pia Mater Eccleſia, aut impie omittantur, aut irreligioſe, ſeu minus decenter agantur ; interdicimus Primo, ne adultorum, aut baptizatorum infantium licet abortivorum (2) cadavera clam ſine luminibus, & ſine ulla funebri pompa ad Eccleſiam tumulanda deferantur (3). Secus Funerator, qui id attentaverit, officio ſtatim privabitur, & tam ipſe, quam connivens Parochus, necnon defunctorum propinqui graves per nos pœnas ſubibunt (4). Quod ſi clanculariæ hujuſmodi delationis cauſa aliqua ſubſit, ad nos, aut Vicarium noſtrum deferatur, ut quod opportunum fuerit, conſulamus (5). Secundo ; cum corpus ad Eccleſiam delatum fuerit, ſub eiſdem pœnis præſcriptæ Exequiarum preces, & cæremoniæ ſive pro adultis, ſive pro parvulis præſertim pauperibus numquam omittantur quolibet ſub prætextu. Quod ſi aliquando in pauperum funere deſint adſtantes miniſtri, qui canenti Parocho adjutores ſint, recitentur ſaltem alta, & intelligibili voce a Parocho ipſo preces omnes a Rituali ſtatutæ : quod præcipue ſervari volumus in hac noſtra Urbe, cum tumulandi ſunt pauperes in iis Eccleſiis, in quibus prælaudata Societas Mortis erecta habet ſepulcra ; niſi Eccleſiarum earumdem Præfecti hoc pietatis officium præſtare ipſi malint. Miramur vero, ſi a Parocho tempeſtive præmoniti nec quæ neceſſaria ſunt ad aſpergendum, & thurificandum cadaver ſuppeditare velint : cui ſane incommodo,

F f qua-

(1) *In Append. ſub num. XVII. §. 10.*

(2) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 5. Buſſ. p. 2. c. 2. num. 7.*

(3) *Syn. Buſſ. p. 3. c. 2. n. 18. Bened. XIV. Inſtit. 36. 4 n. 20.*

(4) *Ibidem.*

(5) *Bened. XIV. loc. cit. n. 25.*

Digitized by Google

quatenus eveniat, Paſtoralis noſtra ſollicitudo medebitur. Tertio: *Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa, præſente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur* (1). Saltem id pro viribus curent Parochi, ut in cujuſque Fidelis obitu Miſſæ Sacrificium quamprimum pro ejus anima offeratur. Utque pro egenis, qui gratuito ſepeliuntur, unius ſaltem Sacri applicatio nunquam omittatur, quoties ex eorum bonis ſtipendium pro ea Miſſa elici nequeat, neque a pio aliquo Benefactore conferatur, deſumi illud mandamus e capſulis illarum Eccleſiarum, ſeu Confraternitatum, quæ ad excipiendas pro defunctis eleemoſynas de noſtro, ſeu Prædeceſſorum noſtrorum permiſſu ſunt inſtitutæ; ita tamen, ut Miſſa in Eccleſia ipſa, ubi capſulæ habentur, prævio Parochi monitu, celebretur. Similem capſulam erigi volumus in Noſocomio tum virorum, tum mulierum, qua egenorum animæ, qui ibi decedunt, conſuli eodem modo poſſit (2). Hortamur etiam Sodalitates illas, quæ pro quolibet Sodali defuncto conſueverunt certum Miſſarum numerum celebrari facere, ut id quantocius fieri curent, cum agitur de pauperibus Confratribus, nempe vel ipſa die obitus, vel ſequenti.

Ut excitentur Fideles ad orandum pro defunctis, conſueto æris campani ſonitu de ſecuta cujuslibet morte per Eccleſiam Parochialem, ac per eam, in qua cadaver tumulandum eſt, moneantur. Quia tamen ſonum hunc decet eſſe moderatum, cum Deceſſoribus noſtris (3) interdicimus, ne ſemihoram, nobis inconſultis, excedat, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis defunctus fuerit, pro quo editur. In obitu autem parvulorum, qui innocentiæ ſtola induti Agnum ſequuntur ſine macula, feſtivus omnino, non lugubris edendus eſt

(1) *Rit. Rom. loc. cit. c. 1.*
(2) *Vide Bened. XIV. Inſtit. cit. n. 16.*
(3) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 2.*

eſt (1), ſublato, ubilibet vigeat, contrario quocumque uſu: ſicut etiam in eorum cadaveribus ſociandis Crux ſine haſta deferri, ac lætitiæ cantica, peculiareſque in funere preces recitari, ritusque ſervari debent (2).

Abſque noſtra licentia defunctum quempiam publice in Eccleſia laudari, ſeu funebrem de eo orationem haberi vetamus (3). Defuncti vero ſtemmata, ſeu inſignia poſt menſem a funere abſoluto ab Eccleſiæ parietibus amoveantur (4).

Nullum corpus ſepulturæ mandetur, niſi poſt lapſum horarum ſaltem ab obitu duodecim: quoad eos vero, qui repentino morbo obierunt, niſi poſt lapſum horarum viginti quatuor (5). Cadavera quæcumque perpetuæ tradita ſepulturæ abſque noſtra licentia nemo audeat exhumare inſpectionis per Curiam faciendæ, obſervationis anatomicæ, aut alio quolibet ſub prætextu (6).

Conſtitutionis ſan.mem. Benedicti XIII. (7) exactam obſervantiam cum Prædeceſſoribus noſtris (8) mandamus, ut nempe Parochis defunctorum, qui in quacumque etiam Regularium Eccleſia tumulabuntur, *perſolvatur, & cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, nec non omnium intorticiorum, & candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur, exceptis candelis, quas Sacerdotes etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus aſſociantes manualiter per viam deferent*; exceptis quoque *legatis Miſſarum, & Anniverſariorum,*

(1) *Rit. Rom. loc. cit. c. 6. & 7. de Comit. loc. cit.*
(2) *Rit. Rom. ibidem, de Comit. c. 3.*
(3) *Syn. de Comit. c. 5.*
(4) *Syn. Fulgin. 1722. c. 23. n. 3. & Acta Mediol. ibidem allegat.*
(5) *Syn. de Comit. c. 2. loc. cit. Acta Mediol. pag. 309. col. 1. §.* Delatum.
(6) *Syn. Fulgin. loc. cit. n. 9. ibique allegat. Bened. XIV. Inſtit. 64. n. 10.*
(7) *Incip.* Romanus Pontifex, *ut in Append. Conc. Rom. ſub num. 6. Vide reſol. S. C. C. in Pisauren. 15. Maii 1728.*
(8) *Taxa Funer. cit. in Addit. Card. Maffei num. 2.*

hiſque ſimilibus piis relictis ad favorem Eccleſiæ tumulantis a defuncto diſpoſitis. Quod ſi funus non fieret in die tumulationis, ſed ad diverſam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus aſſignetur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quæ ipſamet peracti funeris die in Eccleſia, ubi defunctus humatus fuit, circa Cœnotaphium, ſeu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejuſdem Eccleſiæ accenſa fuerint: Declarantes, quod ſi intorticia, & candelæ, ut aliquando fieri ſolet, circa cadaver, aut tumulum extincta exponantur, de iis quoque Quarta Parocho tradatur.

Cum iiſdem etiam Deceſſoribus noſtris (1) edicimus, ut cerei omnes, qui circa cadaver arſerint tum domi, tum in Eccleſia, ubi forte ad tempus depoſitum fuit, integre Parocho aſſignentur: utque juxta antiquiſſimam hujuſce Urbis conſuetudinem alia quarta pars intorticiorum, ſeu cereorum, quibus cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem ſociatum fuit, perſolvatur ſupradicto Hoſpitali *SSmæ Annunciationis*; niſi cum Eccleſia tumulans fuerit Cathedralis noſtra, quo caſu ea quarta pars Epiſcopali menſæ debetur.

Parochus denique in defunctorum libro diligenter deſcribat cujuslibet defuncti nomen, & cognomen, cæteraque juxta formulam, quæ in Rituali Romano habetur. Idipſum quoque præſtet Cappellanus ſæpedicti Hoſpitalis *SS. Annunciationis* quoad omnes Civitatis hujus noſtræ defunctos; diem, menſem, & annum litteris, non autem numericis notis, ut ſuperius (2) conſtitutum eſt, exarantes.

(1) *Taxa citata.* (2) *P.I. Tit.IV.*

TITU-

T I T U L U S III.

De Seminario.

Quum adoleſcentium ætas (1), *niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, & niſi a teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfecte, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina eccleſiaſtica perſeveret*; proinde idcirco a ſacroſancta Tridentina Synodo ſtatutum fuit, ut in omnibus Cathedralibus, & majoribus Eccleſiis puerorum Collegium erigeretur, in quo boni, ſtrenuique Operarii ad curationem animarum, quas ſuo ſanguine Chriſtus redemit, inſtituerentur (2). Collegium ejuſmodi, ſeu Seminarium jamdiu in hac noſtra Urbe erectum, ac Deceſſorum noſtrorum cura poſtmodum in ampliorem formam redactum nuper nos ad commodiorem, ac ſalubriorem locum tranſtulimus, impetratis ad hunc finem ab Apoſtolica Sede Ædibus, ac Templo ſanctiſſimi Nominis Jeſu.

Quoniam vero ex provido in Seminarium admittendorum delectu Seminarii ipſius ordo, ac fructus præcipue attendi debet, maximam cum S. Carolo (3), ac Prædeceſſoribus noſtris (4) curam in primis adhiberi volumus, ut idonei adoleſcentes in illud recipiantur. Quales enim ii fuerint, qui admittentur, tales erunt prorſus Seminarii fructus (5).

Quicumque igitur vel inter Alumnos, vel inter Convictores adſcribi cupit, ſupplicem antea ad nos libellum porrigat, in quo ipſius nomen, & cognomen, ætas, patria exponantur. Non admittentur autem inter Alumnos, niſi qui a Tri-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Ref. c. 18.*
(2) *Acta Eccleſ. Mediol. pag. 935. §.* Sunt.
(3) *Acta Eccleſiæ Mediol. pag. 955. §.* Maxima.
(4) *Syn. Buſſi p. 3. c. 3. n. 2. Mancinſ. p. 3. c. 4. num. 5.*
(5) *Acta Mediol. loc. cit.*

a Tridentino (1) requiſita habuerint, nempe *qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere, & ſcribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros*. Utque certiores reddamur, an ii, qui in Seminarium admitti poſtulant, hiſce revera dotibus ſint inſtructi, ac præſertim an certam ſpem præbeant, ſe Eccleſiæ perpetuo, atque utiliter inſervituros, præter conſuetas teſtimoniales litteras, ſecretam etiam a Parochis, & Ludimagiſtris relationem exquiremus, quemadmodum de promovendis ad Ordines ſupra (2) a nobis conſtitutum fuit. Indoles deinde, ac ingenium uniuſcujuſque, inſtituto examine, explorabitur, ne in malæ indolis, aut rudioris Minervæ pueris inſtituendis opera & impenſa depereat (3).

Pauperum filios præcipue eligi vult Tridentina Synodus (4); nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur. Quare nos id conſtituimus, ut ditiores Alumni in ſuæ ſubſtentationis ſymbolam triginta Romana ſcutata; pauperes vero tenuiorem aliquam ſummam a nobis arbitrandam pro cujuſque facultate, quotannis Seminario perſolvant. Aliquot præterea pueri pro Seminarii viribus gratis omnino alantur: ii tamen egregiæ indolis ſint, ac præſtantis ingenii; volumuſque ad hunc finem, ut ad examen coram nobis, aliiſque a nobis deputatis habendum interdum invitentur ex tota Diœceſi pauperes adoleſcentes, quotquot periculum ſubire velint præſtantioris ingenii, atque indolis (5). Speramus hoc pacto, numquam in hac Diœceſi defuturos, qui in Seminario ad pietatem, & ſtudia informati Epiſcopo in vinea Domini excolenda, animarumque procuranda ſalute idonei ſint coadjutores.

At

(1) *Loc. cit.*
(2) *P. II. Tit. VII.*
(3) *Vide Buſſi, & Mancin. ll. citt.*
(4) *Loc. cit.*
(5) *Vide Syn. Tuſcul. 1763. p. 1. c. 23. art. 5. num. 2.*

At ne fruſtretur ſpes noſtra, neve redditus ad Eccleſiæ plantas adhuc tenellas alendas inſtituti ad laicorum commodum detorqueantur, ab iis, qui in Seminarium vel gratis, vel cum tenui admodum præſtatione admittentur, idoneam cautionem pro libito noſtro, ſpectatis rerum circumſtantiis, exigemus de ſumptibus pro perceptis alimentis Seminario eidem reſtituendis, ſi quando ad ſæcularia vota tranſierint (1).

Hæc omnia de Alumnis noſtræ hujus Diœceſeos ſtatuta eſſe volumus. Ab exteris autem, ſi interdum juſtis de cauſis in Seminario noſtro recipientur, triginta ſex Romana ſcutata ſine ulla ſpe diminutionis ſingulis annis contribuenda eſſe decernimus. Eamdem ſummam perſolvi mandamus a Convictoribus Diœceſanis; ab alienis vero quadraginta.

In Seminarium admiſſi, Alumni quidem Tonſura ſtatim, atque habitu clericali (2), talari nempe violacei coloris; Convictores vero breviori veſte, pallioque nigri coloris publice utantur. Sed videant, ut exteriori veſtimento interior virtutum habitus reſpondeat. Nos profecto Prædeceſſorum exempla ſectati (3) nihil, Deo adjuvante, omiſſuri ſumus, quod eorum progreſſui in pietate, ac litteris prodeſſe arbitrabimur. Ipſi quoque eam vitæ perfectionem viciſſim adipiſci conentur, quæ in iis, qui populorum Doctores futuri ſunt, requiritur.

Et quum duo potiſſimum in Sacerdote, & animarum Paſtore deſiderentur, probitas videlicet vitæ, ac integritas doctrinæ, Seminarii Rectorem, Præfectos quoque in Domino monemus, atque obteſtamur, ut quæ ad earum utramque comparandam Alumnis præſcripta ſunt in Regulis auctoritate noſtra exaratis, eorum obſervantiæ diu noctuque invigilent: men-

(1) *S. C. C. in Tyburtin. 11. Mart. 1752. Baſſi loc. cit. n.3.*

(2) *Conc. Trid. loc. cit.*

(3) *Vide Manuſc. loc. cit. n.2.*

mente repetentes (ut ab illuſtri Deceſſore noſtro (1) monitum fuit), quam grave onus ſuis humeris incumbat, quum ex recta eorum, qui in Seminario vivunt, diſciplina totius Diœceſeos reformatio, ac Dei optimi maximi cultus pendeat; inſtitutionis autem ejus ſpes in eorum induſtria, ac vigilantia maxime ſita ſit. Præfecti præterea, ut cum S.Carolo proſequitur laudatus Prædeceſſor (2), *ſine fraude defectus Clericorum Rectori ſignificent, ac ſi quid de his præterea Rector quæſierit, fideliter aperiant, ut quam facillime occurratur offenſionibus, Clericique in diſciplina, moribus, & ſtudiis dirigantur .... & ne quemquam privato complectantur ſtudio, neve in alicujus ſe inſinuent familiaritatem, ut & omnes Clerici eos, ut decet, vereantur, & ipſi majori cum ſinceritate, ac libertate officii ſui partes exequantur*.

Præſertim vero, quod pertinet ad vitæ probitatem, invigilent Rector, ac Præfecti, ut quotidie Alumni ſpiritualium rerum meditationi vacent, Sacrificio Miſſæ religioſe interſint, B. Virginis Officium non præcipiti lingua, ſed diſtincte, aperte, ac devote recitent, & pii alicujus Libri, de Clericorum officiis, atque obligationibus præcipue agentis lectionem in communi percipiant. Pias præterea hortationes in idem argumentum ſæpe audiant. Fidei rudimentis certa per ſingulas hebdomadas die imbuantur, cæteraque ſervent, quæ de Sacramentorum frequentia, aliiſque piis óperibus pro Clero univerſo a nobis ſuperius (3) fuerunt ſalubriter conſtituta. Et ne quid omittamus eorum, quæ ad ſpiritualem Alumnorum profectum conferre poſſunt, volumus, ut præter conſueta ſpiritualia exercitia, quibus vacat per triduum univerſa ſtudioſa Juventus tempore Quadrageſimæ, Alumni ſaltem Cameræ majoris iiſdem exercitiis excolantur quotannis menſe No-

(1) *Mancinſ. loc. cit. n.7.*

(2) *Ibidem n.8. ex Act. Mediolan. pag.962.*

(3) *Tit.I. primæ Part. Vide Buſſi loc. citat. num.14. & 15.*

§.Sine fraude.

Novembris per integram hebdomadam ſimul cum cæteris Eccleſiaſticis viris, qui ea peragunt in pia Domo ad hoc deputata, ad quam ex interioribus Seminarii ædibus modo promptus patet acceſſus. Sic fiet, ut in hujuſmodi ſacro receſſu non tantum communes chriſtiani hominis, ſed etiam peculiares Clericorum, ac Sacerdotum obligationes, & munia probe ediſcant, ſpiritumque eccleſiaſticum, Deo juvante, concipiant.

Alumni omnes Cathedralis noſtræ primum, deinde Seminarii ipſius Eccleſiæ ſervitio cenſeantur addicti. Quare Dominicis, feſtiſque diebus ad Cathedrale Templum conveniant, tum ut ſingulis horis canonicis in Choro interſint, tum ut ſollemni Sacro, cæteriſque eccleſiaſticis functionibus aſſiſtant, inſerviantque. Volumus autem, ut non ſolum qui in ſacris Ordinibus ſunt conſtituti, aut eccleſiaſticum Beneficium poſſident, ſed etiam qui vigeſimum ætatis annum attigerunt, Breviarium ſibi comparent, & alta voce pſallant inſimul cum Canonicis.

Abſtineant tunc temporis ab omni inter ſeſe, ſeu cum aliis collocutione; modeſtiam, ac devotionem præſeferant; Canonicos, ut par eſt, revereantur; Chori Præfecto, ac cæremoniarum Magiſtro exacte obtemperent; aliaque obſervent, quæ fuſius in Seminarii regulis habentur (1). Eccleſiæ vero Seminarii ſub titulo *SS. Nominis Jeſu* illud ſervitium præſtent, quod Rector conſtituerit pro Eccleſiæ ipſius, ſacrarumque functionum, quæ ibi celebrantur, decore.

Quod attinet ad ſtudia, ac doctrinam, ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi (2), ac Prædeceſſorum noſtrorum (3) decretis inhærentes præcipimus, ut qui in Seminario noſtro educantur Alumni, non modo Grammatices, Rethorices,

 Phi-

(1) *Vide Buſſi loc. cit. n.13. Mancinf. n.4.*
(2) *Loc. cit.*
(3) *Syn. Buſſi n.10. Mancinf. n.3.*

Philoſophiæ, Pontificii Juris, Theologiæ dogmaticæ, & moralis, Gregoriani cantus, aliarumque bonarum artium diſciplina, ut hactenus laudabiliter ſervatum eſt, imbuantur, ſed ritus quoque, ac cæremonias eccleſiaſticas in poſterum ediſcant, ne ex earum ignorantia, & neglectu ſacris functionibus minus compoſite, atque inordinate illos miniſtrare contingat.

Nos interim de ſingulorum in ſtudiis profectu a Seminarii Rectore, necnon a Ludimagiſtris certiores identidem fieri curabimus, annoque exeunte, exactum deſuper examen coram nobis ſubeundum inſtituemus, quo præmia iis, qui ſtrenuam litteris navarunt operam, meritas vero ignavis, ac remiſſis pœnas poſſimus decernere (1). Quos vero neque ſpes præmii alliciet, neque pœnarum ſeveritas coercebit, aut qui adeo hebetis ingenii deprehenſi fuerint, ut inutiles plane Eccleſiæ Miniſtri timeantur futuri, ii e Seminario omnino ejicientur, ſpeque omni ad Ordines ſuſcipiendos carebunt: quam pœnam potiori jure ſubibunt, qui in pravos mores degenerare, aut diſciplinam contemnere, aut Eccleſiaſticum ſtatum averſari comperti fuerint, ſi poſt alteram, & ternam admonitionem minime reſipiſcent (2). Reliquis Alumnis, nonniſi Presbyteratus Ordine ſuſcepto, integreque abſoluto ſtudiorum curriculo, facultas a nobis fiet a Seminario abeundi.

Hiſce de interiori regimine rite conſtitutis, pauca quædam adjicimus, quæ exterius potius gubernium reſpicere videntur. Nemini ſuperiores Seminarii ædes ingredi liceat ad colloquendum cum Alumnis, ſeu Convictoribus ſine Rectoris licentia. Fœminæ autem nunquam ingredi præſumant ſub pœna ferendæ excommunicationis intra Clauſuram noviſſime a nobis conſtitutam; immo poſt Solis occaſum neque prope fores

(1) *Syn. Buſſi n.18.* (2) *Vid. Trid. loc. cit.*

Digitized by Google

fores immorari ſit eis permiſſum (1). Raro propriam domum adeundi Convictoribus iiſdem, ſeu Alumnis facultas concedatur (2): nunquam porro Bacchanalium tempore, ne commixti inter gentes diſcant opera eorum, & fiat ipſis in ſcandalum (3). Pernoctare vero extra Seminarii ſepta ſine peculiari noſtra, aut Vicarii noſtri generalis licentia nemini liceat (4).

Seminarii Œconomus quotannis reddituum rationem nobis referat, præſentibus ad formam Tridentini (5) quatuor Deputatis in hac noſtra Synodo pro re œconomica electis. Duo autem ſeniores, gravioreſque Canonici a nobis ſelecti, quorum opera, & conſilio in Seminarii regimine utemur (6), ſedulo invigilent, ut quæ ad optimam adoleſcentium inſtitutionem fuerunt a nobis conſtituta, perpetuo, inviolateque ſerventur.

TITULUS IV.

De Monaſteriis.

INter præcipuas Paſtoralis muneris noſtri partes illam non ultimam reputamus, ut ſepta, & clauſtra ſacrarum Virginum, quarum quo ſublimior gloria eſt, eo major & cura eſſe debet, vigili, ſollicitaque cuſtodia ſerventur, utque eæ, quæ ſeſe intra illa Chriſto dicaverunt, & a carnali concupiſcentia recedentes tam carne, quam mente ſe Deo voverunt, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinatum, nec ornari jam, aut placere cuiquam, niſi Domino ſuo ſtudeant, a quo & mercedem virginitatis expectant. Ad ſollicitudinem igitur magis cauti, quod plus de Diaboli infeſtatione

(1) *Vide Syn. Buſſi n.3. & 9. Mancinſ. n.6.*
(2) *Syn. Buſſi n.7.*
(3) *Pſalm.105. Buſſi n.5.*
(4) *Syn. Buſſi n.4.*
(5) *Loc. cit.*
(6) *Trid. loc. cit. S. C. C. ſæpius apud Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib.5. cap.11. num.5. & ſeqq.*

tione timeamus, hæc, quæ ſequuntur de hujuſmodi ſacrarum Virginum Gynæceis, proponimus decreta a Pontificiis Conſtitutionibus, & Prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis potiſſimum excerpta.

De Monaſteriorum Clauſura.

NEmo cujuſvis generis, conditionis, ſexus, ætatis Monaſterii cujuſcumque licet Regularibus ſubjecti (1) ſepta ingredi præſumat ſine noſtra, nonniſi in ſcriptis pro caſibus neceſſariis, ſervatiſque de jure ſervandis concedenda licentia ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac Summo Pontifici reſervatæ, aliiſque a jure ſtatutis, & arbitrio noſtro infligendis: quibus obnoxiæ erunt quoque Moniales ingreſſum hujuſmodi permittentes, aut a Monaſterii clauſtris extra caſus a jure permiſſos egredientes, & qui taliter egreſſas excipient (2): meminerintque præſertim Moniales, ſibi vetitum eſſe ſub pœnis violatæ clauſuræ Infantes cujuslibet ſexus, vel ætatis in Monaſterii ſepta introducere, vel admittere (3). Superiores autem Regulares intra ſepta Monaſterii *S. Mariæ novæ*, quod eis ſubeſt, non aliter ingredi audeant, quam ſervata adamuſſim Conſtitutione ſan. mem. Alexandri VII., quæ incipit *Felici* (4); ſecus a nobis tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis ad normam prædictæ Conſtitutionis erunt coercendi.

Qui licentiam noſtram obtinuerint ingrediendi Monaſterium aliquod, ſive ea ſit generalis (qualis tribui ſolet pro caſibus dumtaxat neceſſariis Medicis, Chirurgis, Operariis, aliiſque hujuſmodi, quolibetque ſemeſtri renovari) ſive

(1) *S. C. C. ſæpius apud Bened. XIV. de Syn. lib. 13. c. 12. n. 23.*

(2) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 5. S. Pius V. Conſtit.* Circa Paſtoralis, *& Conſtit.* Decori. *Greg. XIII. Conſtit.* Ubi gratiæ. *Paulus V. Conſtit.* Monialium. *Bened. XIV. Conſtitut.* Salutare &c. *Syn. de Comit. tit. 31. c. 4. & 7.*

(3) *S. C. Epiſc. ſæpius apud Pignatel. tom. 6. conſult. 85. n. 243. Syn. de Aſte Dec. 25. Maffei in Edicto pro Monial. ut in Appen. ejus Synod. pag. 154.*

(4) *Edit. 20. Octob. 1664.*

ſive peculiaris ea ſit, intra clauſuram excipiendi erunt, ſervatis hiſce legibus. Primo, ut certo campanulæ ſono eorum introitus ſignificetur, quo Moniales parumper ſecedere moneantur. Secundo, ut a duabus ſenioribus Monialibus ad id deputatis ad Monaſterii fores excipiantur, & recto tramite ad locum ducantur, ubi eorum opera adhibenda eſt; illarum nunquam deſtituantur præſentia, eodemque prorſus modo, opere expleto, reducantur. Tertio, ut qui ingreſſi fuerint, inutiles moras, ſeu confabulationes non miſceant, multoque minus per cellas, aut officinas Monaſterii diſcurrant. Quarto, ut ſecluſa urgentiſſima neceſſitate, nonniſi poſt Solis ortum ingredi permittantur, & ad ejus occaſum egredi omnino debeant (1).

Eaſdem leges ſervabunt quoque Confeſſarii, cum ægrotantibus Sacramenta miniſtraturi erunt: neque aliter præterea ingredientur, quam ſuperpelliceo, & ſtola induti; quem habitum continuo geſtabunt intra Monaſterii ſepta. Cum confeſſiones ægrotantium excipient, cellæ fores ita patebunt, ut Sanctimoniales illum videre, non autem audire poſſint (2). Quod ſi intra clauſtra diutius morari illos oporteat, ut in extremo vitæ periculo Moniali cuipiam aſſiſtant, debiti decoris, ac gravitatis, quam tum maxime ſervare debent, meminerint. Caveant tamen, ne obtentu aſpergendi aqua luſtrali cellas, aut officinas, aut celebrandi Defunctarum exequias, ſeu alio quocumque prætextu, præterquam ad Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis infirmis miniſtranda, aut ad opitulandum, ut ſupra, morientibus pedem inferant intra clauſuram (3).

Duæ

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. Buſſ p. 3. c. 4. n. 6.*

(2) *Litt. Encycl. S. C. Epiſc. de mandat. Innoc. XI. 21. Mart. 1682. Syn. de Comit. cap. 5. Buſſi n. 14. ll. citt.*

(3) *Alexander VII. Conſtit.* Felici 20. *Octobris 1664. S. C. Epiſc. ſæpius. Maſſas in Edict. citat.*

Duæ Clauſuræ portæ, exterior nempe, & interior ſero ad ſignum ſalutationis Angelicæ diligentiſſime obſerentur, nec niſi ad ortum ſolis aperiantur, & exterioris quidem claves maneant noctu penes Monaſterii Miniſtrum, interioris vero penes Abbatiſſam (1). Diurno tempore interior ſaltem janua clavi a Janitricibus cuſtodienda ſit obſerata, nec, niſi urgente neceſſitate, aperiatur. Fores autem, quæ lignis, aliiſque Monaſterio neceſſariis rebus invehendis ſunt deſtinatæ, nunquam omnino ad alium uſum referentur, uſuque expleto, protinus claudantur, nec inibi tunc aliæ Moniales præter eas, quibus ex officio id incumbit, intereſſe audeant ſub pœnis arbitrio noſtro (2).

Quia vero crebræ Sanctimonialium allocutiones cum exteris quodammodo adverſari videntur fini perfectæ clauſuræ, cujus præcipuus ſcopus eſt ſegregare Moniales ab hominum conſortio, ut liberius Deo vacent (3); idcirco nos, quibus ſacrarum Virginum cuſtodia a jure demandatur (4), Prædeceſſorum noſtrorum (5) decretis inhærentes cuilibet viro, cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtat (6), ſub pœnis pecuniariis, & corporalibus per nos arbitrandis, & in ſubſidium etiam excommunicationis inhibemus, ne ad quodlibet Monaſterium, quamvis Regularibus ſubditum ad colloquendum accedat cum Monialibus, ſeu aliis intra clauſuram degentibus, non impetrata a nobis, ſeu a Vicario noſtro facultate. Ab hac lege excipimus Cognatos, & Affines in primo, & ſecundo gradu, qui (dummodo Regulares non ſint) Moniales, & alias, ut ſupra, ſibi conjunctas alloqui poterunt, præterquam Adventus, & Quadrageſimæ temporibus, quibus Collocutoria clauſa eſſe volumus, nec niſi

(1) *Maſſei in Edicto cit.*

(2) *Syn. Buſſi loc. cit. n.9.*

(3) *Bened. XIV. de Syn. lib.9. c.15. n.7.*

(4) *Cap.* Periculoſo *de ſtatu Monach. in 6. Conc. Trid. loc. cit.*

(5) *Syn. de Comit. loc. cit. c.1. De Aſte decret. 25. Buſſi loc. cit. n.7. Maſſei in Edict. cit.*

(6) *Benedict. XIV. Conſtit.* Graviſſimo 31. *Octobr.* 1749.

niſi de ſcripta noſtra, aut Vicarii noſtri licentia ob urgentem dumtaxat cauſam concedenda referari (1). Superioriſſis tamen, Vicariis, cæteriſque Officialibus cum Syndicis, Miniſtris, aliiſque id genus de rebus ad proprium officium pertinentibus agere quocumque tempore permittimus (2).

Meminerint Regulares omnes cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, ne Equitibus quidem Hieroſolymitanis exceptis (3), ſibi omnium ſeveriſſime, ac ſub graviſſimis pœnis per Apoſtolicas ſanctiones, ac ſacrarum Urbis Congregationum decreta (4) vetitum eſſe, cum Monialibus, licet Superioriſſis (5), aliiſque quibuſcumque in Monaſteriis degentibus, quamvis ejuſdem Ordinis, ac ſibi ſubjectis colloqui ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia. Ab hac lege excipiuntur dumtaxat quoad Monaſterium ſibi ſubjectum Superior, cui Monaſterii ejuſdem cura incumbit, Viſitatores, & Confeſſarius tum ordinarius, tum extraordinarius, cum ad tempus deputabitur. Cæterorum nullus (præter enunciatas pœnas) a mortali excuſabitur culpa, licet per quodcumque modicum temporis ſpatium, & ob quamcumque honeſtam, & rationabilem cauſam, ac de rebus divinis, & ſpiritualibus etiam poſt habitam ad illas concionem, aut Miſſam in earum Eccleſia celebratam aliquam ex prædictis alloquatur ſine noſtra, ut prædiximus, licentia (6). Hanc autem nonniſi in ſcriptis concedere parati ſumus, & quater in anno extra Adventum, & Quadrageſimam, ac dies feſtos, & jejuniorum, Feriaſque ſextas, & Sabbata pro Monialibus tantum, aliiſve in Monaſterio degentibus, Regulari conjunctis in primo, vel

(1) *Vide Syn. de Aſte, Buſſi, & Maſſai ll. citt.*

(2) *Syn. Firmana 1773. lib. 5. c. 4. n. 4.*

(3) *S. C. Epiſc. juſſu Urbani VIII. 12. Kal. Dec. 1623. apud Giraldi Expoſit. Jur. Pontific. p. 1. ſect. 317. & Ferraris V.* Moniales *Art. 4. n. 27.*

(4) *Sixtus V. Urbanus VIII. Gregor. XV. Clem. XII. aliique, S. C. C. & Epiſc. ſæpius. Vide Ferraris loc. cit. a n. 12.*

(5) *S. C. C. apud Giraldi loc. cit.*

(6) *Vide Decreta citt. apud Auctor. citt.*

Digitized by Google

vel ſecundo conſanguinitatis gradu juxta decretum Urbani VIII. (1).

Ad hæc nulli viro liceat abſque peculiari ſcripta facultate ad fores Monaſterii alloqui, ut ſupra, vel uſquam alibi, quam in Collocutoriis, Cratibus, ſeu Rotis (2). A Cratibus autem, vel Rotis, quæ Eccleſiæ reſpondent, cuilibet prorſus vetitum ſit loqui, præterquam ad breve tempus Cappellanis, Clericis, aliiſve Miniſtris de rebus tantum ad Eccleſiæ ſervitium pertinentibus (3).

Ad immanem eorum temeritatem coercendam, qui innocentes Chriſti virgines peſtifero afflatu inficere forſan non verentur, excommunicationis ſententiam hic commemoramus, Epiſcopo in hac Diœceſi jampridem reſervatam, quam ipſo facto incurrunt, qui de rebus obſcenis, ſive amatoriis cum Sanctimonialibus, ſeu aliis in Monaſteriis degentibus aut coram ipſis, ſeu præſentes per verba, vel nutus, ſeu abſentes per litteras agunt, quique ejuſmodi epiſtolas ſcienter deferunt, aut ad id conſilium, vel auxilium præſtant. Eamdem ſententiam ſubeunt quoque, qui perſonata, aut mentita facie accedunt ad Monaſterii Portas, Collocutoria, vel Rotas (4). Si quid ejuſmodi evenerit, quod nunquam futurum ſperamus, Monaſterii Præfecta rem totam ad nos deferat.

Collocutorii Portæ interior, & exterior eodem modo referentur, claudantur, cuſtodiantur, ac de clauſuræ foribus dictum eſt. Interioris autem claves diurno etiam tempore apud Præfectam aſſerventur, a qua ſingulæ, quotquot ad crates etiam ad colloquendum cum conſanguineis deſcendere cupiunt, veniam petere omnino debent (5), claveſque impetrare.

Procul

(1) *Decretum S.C. Epiſc. juſſu Urbani VIII. citatum.*

(2) *Syn. Buſſi l. c. cit. n. 8. Maſſei in Edict. cit. Mancinſ. p. 3. c. 5. n. 2.*

(3) *Syn. Buſſi n. 12.*

(4) *Syn. Buſſi n. 13. Tabella Caſ. reſer. ut in Synodis hujus Diœceſis.*

(5) *Syn. Buſſi n. 7.*

Procul abſint a Monaſteriorum ambitu ludi, clamores, ſpectacula, ſonitus, cantus, aliave hujuſmodi. Vinariæ item tabernæ prope ne aperiantur ſub pecuniariis, aliiſque arbitrariis pœnis (1). Ædificia Monaſteriis proxima neque ita attollantur, ut ex illis intra clauſuram proſpectus pateat, neque adeo contigua conſtruantur, ut inde colloquentes Moniales audiri poſſint (2).

De Monaſteriorum diſciplina.

Moniales omnes id potiſſimum curent, ut quæ Deo in ſollemni profeſſione voverunt, fideliter reddant, ſuique Inſtituti regulas obſervent diligentiſſime. Peculiaribus etiam monitis a nobis, aut Deceſſoribus noſtris ad ſingula Monaſteria tranſmiſſis, ut par eſt, obtemperent; orationi ſedulo incumbant; a Choro citra urgentem neceſſitatem, & ſine Præfectæ venia nunquam abſint; ſanctiſſimæ Euchariſtiæ pabulo perſæpe, præſcriptis potiſſimum a Regula diebus, reficiantur; interior denique, & exterior earum cultus, & converſatio talis ſit, ut deceat Chriſti ſponſas, quæ flos Eccleſiaſtici germinis merito appellantur.

Id ut facilius aſſequantur, juxta ſaluberrimam hucuſque ſervatam praxim ſpiritualibus exercitiis eas quotannis quadrageſimali tempore vacare volumus, ut ſpiritu mentis ſuæ renovatæ in via Domini currant alacriores (3).

Quum vero, ut monet Romanum Concilium (4), in id præſertim incumbere debeat Epiſcopus, ut e Monialium Monaſteriis, immo ab ipſarum cordibus proprietas omnis exulet, & illa, quam maxime fieri poteſt, in eis ſtabiliatur, ſerveturque rerum omnium communio, quæ nihil habet, & cui

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 8.*

(2) *S. C. Epiſc. ſæpius Syn. Tuſcul. 1763. p. 1. c. 25. n. 12. aliaque.*

(3) *Encycl. S. C. Epiſc. de mandato Innoc. XI. 9. Octob. 1682. Syn. de Alte decr. 25. Baſſi n. 4.*

(4) *Conc. Rom. tit. 21. c. 3.*

nihil deeſt ; vehementiſſime a nobis optaretur , ut in quodlibet hujus noſtræ Urbis Aſceterium exacta inveheretur vitæ communis diſciplina , qua paupertatis votum cuſtoditur religioſius . At quia non quæcumque optantur , illico obtinentur , hæc ſaltem edicimus in unoquoque illorum ſtrictiſſime obſervanda .

Eadem ſit Sanctimonialibus omnibus (ægrotantibus exceptis) menſa , victus , & veſtis præcipue uniformis , quæ intrinſecus quoque ſericum excludat , & modeſtiam undequaque redoleat (1). Nihil habeant , quod ſæcularem ſapiat vanitatem , aut faſtum , ſed univerſa earum ſupellex religioſam ſimplicitatem præſeferat (2) .

Moniales ſingulæ in communem arcam Monaſterii pecuniam inferant omnem , quam vel ex annuis præſtationibus , quas *livellum* vocant , vel ſuarum manuum laboribus, vel aliunde lucratæ fuerint , deque univerſa peculii ſumma Superiorisſam certiorem faciant . Sine præobtento ejus conſenſu pecuniis eiſdem uti ne audeant , & tunc quidem in cauſas tantummodo honeſtas , & neceſſarias ab eadem approbandas . Meminerint quoque , nullum ſibi eſſe hujuſmodi peculii dominium, ſed merum uſum , huncque omnino ſubjectum Superioriſſæ arbitrio , ac voluntati ; ideoque eas ſemper paratas eſſe oportere , nullis objectis impedimentis , ſed æquo potius, libentique animo aſſentiri , ut Præpoſita in Monaſterii , ſeu cæterarum Monialium ſublevandis indigentiis , ſi res ita poſtulaverit , pecunia ab ipſis depoſita utatur (3).

Quoad munerum largitiones rite obſervari ab eis decernimus Conſtitutiones Clementis VIII., & Urbani VIII. ſub pœnis per eas latis (4). Immo nec in caſibus permiſſis munera, ſeu

(1) *Conc. Rom. loc. cit.*
(2) *Vide Syn. Buſſi loc. cit. n. 2.*
(3) *Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. lib. 13. c. 12. num. 21.*
(4) *Clem. VIII. Conſtit.* Religioſæ. *Urbanus VIII. Conſtit.* Nuper *Conc. Rom. tit. 21. c. 3.*

Digitized by Google

ſeu eleemoſynas elargiri queant Moniales ſine Præfectæ licentia, quæ nunquam ab ea concedatur ultra valorem trium aureorum, nobis inconſultis.

Summorum præterea Pontificum Clementis XI. (1), Benedicti XIV. (2), & Clementis XIII. (3) de nobis optime meriti, nec non Prædeceſſorum noſtrorum (4) mandatis inhærentes ſub formali præcepto ſanctæ obedientiæ, & privationis officii, vociſque activæ, ac paſſivæ pœna ipſo facto incurrenda cujuslibet Monaſterii Superioriſſis, Vicariis, Camerariis, Sacrarii Præfectis, aliiſve Officialibus inhibemus, ne occaſione Feſtivitatum, aut ſuorum Officiorum ullas faciant expenſas, neve munera modici licet valoris ſive Monialibus, aliiſque in Monaſterio degentibus, ſive Superioribus quamvis Regularibus, Confeſſariis, Deputatis, aliiſque Adminiſtris, immo neque Eccleſiæ, aut Sacrario ullo modo largiantur; ſed quævis expenſa in prædictis circumſtantiis deſumatur ex redditibus Monaſterii. Quocirca tam Superioriſſis, quam Syndicis, cæteriſque Deputatis cujuslibet Monaſterii præcipimus, ut attento eorumdem ſtatu determinatam aliquam ſummam a nobis diſcutiendam, & approbandam pro ſupradictis expenſis præfiniant. Quod ſi alicujus Monaſterii redditus huic oneri ferendo impares eſſent, ex communis arca depoſiti, conſultis prius Monialium religioſis indigentiis, neceſſariam pecuniam deſumi mandabimus (5). Quum autem prælaudatus Pontifex Clemens XIII. inter alia vetuerit, ne Sanctimoniales occaſione Feſtorum, quæ in earum Eccleſiis ſollemnius aguntur, cujuslibet modi ſorbitiunculas exteris præbeant, quidquam ea de cauſa etiam a Mo-

 naſte-

(1) *In Encycl. 28. Jul. 1708. ut in App. Syn. Maſſ. ei pag. 149.*

(2) *In Encycl. 26. Jan. 1742. ut in App. Syn. Mancinſ. pag. 70.*

(3) *In Chyrographo ad Urbis Viceſger. 30. Jun. 1759. & in Encycl. deinde tranſmiſ. ad Epiſc.*

(4) *Syn. Maſſ. ei ad decr. 25. Mancinſ. loc. cit.*

(5) *Encycl. 1742. cit.*

naſterio impendi interdicimus, ſed ejus legis accuratam jubemus obſervantiam.

Quolibet triennio Superioriſſæ, aliarumque majorum Officialium electio fiat coram nobis, aut Vicario noſtro generali etiam in Monaſterio *S. Mariæ Novæ* Regularibus ſubdito (1). Itaque per menſem, antequam Præpoſita ſuum expleat officium, nos de proxima electione certiores faciat. De idonea autem Præfecta eligenda Moniales ſint potiſſimum ſollicitæ. Habeat hæc omnia ad hujuſmodi munus obeundum a Tridentino Concilio (2) requiſita: at ſine ſacræ Congregationis facultate eligi iterum nequit, quæ hoc munus geſſit, niſi per triennium ab eo vacaverit (3). Cætera munia juxta cujuſque Monaſterii Conſtitutiones Superioriſſa diſtribuat, & Officialium notulam pro ejus approbatione ad nos tranſmittat (4).

Nullæ a Monialibus induſtriæ adhibeantur, ut aliquod ſibi captent officium, ſed collatum modeſte acceptent, ac fideliter exercere ſtudeant. Superioriſſa præſertim tum regularem diſciplinam foveat, tum rem familiarem Monaſterii procuret accuratiſſime. Dati, & accepti libros habeat, ut nobis adminiſtrationis rationem reddere poſſit. Sine Syndicorum aſſiſtentia, & conſenſu contractus non ineat, neque majoris momenti faciat expenſas: Miniſtros etiam, ſeu alios ad Monaſterii ſervitium non aſſumat. Syndici autem in gravioribus negociis nihil aggrediantur, nobis inconſultis. Idonei ad hoc officium provectæ ætatis, probatæque vitæ eligantur, inter quos Cathedralis noſtræ Canonicum a nobis unicuique Monaſterio ad hoc deputandum ſemper adeſſe volumus (5).

Si

(1) *Greg. XV. Conſt.* Inſcrutabili 5. *Feb.* 1622.
(2) *Seſſ.* 25. *c.* 7. *de Regular.*
(3) *Greg. XIII. Conſt.* 20. Expoſcit.
(4) *Syn. Fulgin.* 1722. *c.* 14. *n.* 35.
(5) *Vide Syn. Baſſi loc. cit. num.* 22.

Si qua puella Religionis habitum velit aſſumere, nos primum deſiderii ſui faciat conſcios, ut ejus voluntas a nobis, ſeu a Vicario noſtro exploretur (1). Si nihil obſtet, Monialibus facultatem in ſcriptis tribuemus cogendi Capitulum, in quo de illius acceptatione deliberetur. Acceptata puella per decem dies ſpiritualibus exercitiis ſedulo vacabit (2): iiſque expletis, ſi in ſuſcepto propoſito perſeveret, de ejus inter Moniales receptione Decretum a nobis fiet. Facultatem vero cogendi Capitulum non impertiemur, niſi antea in noſtro Pietatis Monte dos in numerata pecunia integre, & cum effectu deponatur (3), & idonea præſtetur cautio de alimentis Novitiatus tempore Monaſterio perſolvendis, ſuper quibus authenticum a Cancellario noſtro conficiatur Inſtrumentum in ipſo Capitulo a Monialibus legendum (4).

Antequam Novitia ad Profeſſionem admittatur, ſpiritualibus iterum per decem dies exercitiis vacare (5), ejuſque voluntas, ut ſupra, explorari debebit (6). Si in voluntate profitendi perſtet, Superioriſſa, obtenta a nobis ſcripta facultate, Capitulum iterum convocabit, habitoque Capituli conſenſu, Decretum a nobis conſcribetur de admittenda ad Profeſſionem Novitia: atque emiſſæ deinde ab ea profeſſionis teſtimonium Præfecta illico ad Curiam noſtram tranſmittet.

Tam in religioſi habitus ſuſceptione, quam in profeſſione emittenda omnem mundanam pompam, omnem profanum luxum procul abeſſe mandamus: inutiles, ac voluptuoſos ſumptus, quos cum magno familiarum impendio aliquando fieri contingit, ſevere interdicimus, illoſque dumtaxat per-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c. 17.*
(2) *Encycl. de Mand. Innoc. XI. 9. Oct. 1632. Syn. Buſſi loc. cit. n. 4.*
(3) *Clem. XIII. in Chyrogr. ad Urbis Vicesg. 13. Feb. 1759. & in Encycl. deinde tranſmiſſ. ad Epiſc.*
(4) *Ibidem.*
(5) *Encycl. de mand. Innoc. XI. & Syn. Buſſi cit.*
(6) *Trid. loc. cit.*

permittimus, qui ex conſuetudine a nobis probata ab omnibus indiſcriminatim fieri conſueverunt (1).

Puellæ educandæ, ſive Famulæ in quodcumque Monaſterium licet Regularibus ſubjectum qualibet ex cauſa non recipiantur ſine legitima, authenticaque Apoſtolicæ Sedis licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda, & prævio examine ſuper moribus, fama, habilitate, & neceſſitate ipſarum Educandarum, vel Famularum per nos tantummodo habendo ſub canonicis cenſuris, ac pœnis contra violatores Clauſuræ conſtitutis (2). Porro perantiqua hujus noſtræ Epiſcopalis Curiæ praxis id fert, ut non modo licentia noſtra exquirenda ſit ad receptionem Puellarum hujuſmodi, ſeu Famularum in Monaſteria, ſed etiam ad convocationem Capituli pro earumdem acceptatione a Monialibus peragenda: Quumque adverſus hanc praxim paucis ab hinc annis reclamaſſent ad ſacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium Sanctimoniales Monaſterii *S. Mariæ Novæ* prætextu exemptionis a noſtra ordinaria juriſdictione, ſacra eadem Congregatio die 22. Januarii 1768. reſcripſit, ſervandam eſſe hujuſmodi praxim; neque adhuc acquieſcentibus Monialibus, propoſita iterum cauſa ſub die ſecunda Decembris ejuſdem anni, prodiit reſponſum: *In deciſis ſub die 22. Januarii*.

Puellæ educationis gratia in Monaſteria receptæ uniformibus utantur veſtibus, prout alias ediximus, cæteraque omnia ſervent, quæ in ſacræ Congregationis litteris præſcribuntur (3). In rudimentis Fidei per Magiſtram, aliamve ad hoc deputatam bis in hebdomada inſtituantur, & ad pietatem, modeſtiam, cæteraſque virtutes ſollicite informentur.

(1) *Vide Extrav. 1. de Simon. Conſtitut. Alex. VII.* Pro commiſſo. *Edict. Urbis ſub Clem. XI. 2. Martii* 1702. *Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. lib. 11. c. 6. n. 6. 7.*

(2) *Bened. XIV. Conſtit.* Per binas 24. *Jan.* 1747.

(3) *Syn. de Alte decr. 25. Buſſi loc. cit. num. 3. Mancinſ. loc. cit.*

tur. Famulæ item, & Converſæ feſtis ſaltem diebus eodem doctrinæ chriſtianæ pabulo ne fraudentur in Monaſteriis, quod tam facile in ſæculo invenirent (1).

Si quæpiam ex Educandis, ſeu Famulabus Sponſalia contrahere decreverit, a Monaſterio licet exempto, antequam celebrentur, omnino abeat; interim vero, donec domum a ſuis reducatur, cum futuro Sponſo, ſeu aliis ejus nomine confabulari ne audeat, neque id a Superioriſſis, ſeu Magiſtris ullo modo permittatur ſub pœna privationis Officii (2).

De Confeſſariis Monaſteriis deputatis.

NUlli Sacerdoti ſæculari, aut Regulari, quamvis ad Confeſſiones audiendas in hac Diœceſi approbato liceat Monialium etiam ſui Ordinis confeſſiones excipere ſine ſpeciali noſtra approbatione; Neque deputatus, & approbatus pro uno Monaſterio cenſeatur approbatus pro aliis, ſed toties a nobis erit approbandus, quoties caſus deputationis contigerit (3).

Monialium Confeſſarii, præſertim Ordinarii munus ſuum aſſidua cura, ſingulari prudentia, nec minori patientia, & charitate exerceant. Confeſſiones non audiant, niſi in ſede ad id deputata (4). Omnes vero Sanctimoniales libenti animo æque excipiant, & ad religioſam perfectionem promovere ſtudeant. Invigilent, ut divina Officia ea, qua decet, gravitate, & majeſtate a Monialibus in Choro agantur. Inanium librorum lectionem eis interdicant: immo nomine etiam noſtro jubeant, ut unaquæque indicem promat librorum, quos habet, ut a nobis, ſeu a Deputatis noſtris recognoſcatur, atque approbetur; nec novos ſibi comparet, aut penes.

(1) *Syn. Buſſi n.17.*
(2) *S. C. Epiſc. ſæpius apud Benedict. XIV. Inſtit.33. n.15. Syn. Buſſi loc.cit. n.18.*
(3) *Clem. X. Conſtit.* Superna §.4. *Synod. de Comit. tit.31. c.5.*
(4) *Syn. Buſſi loc.cit. n.15.*

penes ſe retineat, aut legat, qui recogniti eodem modo; & approbati non fuerint (1). Extra occaſionem Sollemnitatum nullum Sacerdotem, præſertim Regularem, ad celebrandum admittant ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia (2). Feneſtellam, per quam ſacra Euchariſtia Monialibus porrigitur, non permittant omnino ad alium uſum aperiri (3). Præter aſſignata ſibi emolumenta nulla a Monialibus, niſi conſueta, & a nobis permiſſa recipiant munera. Denique temporalibus Monaſterii negociis non ſe immiſceant; ſed ſi quid circa ea, aut aliud quodcumque in Monaſterio inconveniens extra confeſſionem reſcierint, curæ ſit eorum omnia nobis indicare.

Extraordinarium Confeſſarium bis, aut ter in anno ad normam Tridentini (4), ut a nobis hactenus factum eſt, pro quolibet Monaſterio nobis ſubjecto deputare non omittemus. Meminerint quoque Superiores Regulares Monaſterii *S. Mariæ Novæ*, quod ſi ipſi prædictum Extraordinarium pro Monialibus ſibi ſubditis toties deputare neglexerint, vel ex proprio ſemper Ordine deputaverint, nec ſaltem ſemel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut ſæcularem, aut alterius Ordinis Regularem, facultas nobis ſit hujuſmodi deputationem faciendi (5).

Quo tempore extraordinarius Confeſſor toti Communitati deputatus miniſterio ſuo fungitur, Ordinarius nullum ipſi impedimentum afferre audeat, multoque minus præſumat alicujus Monialis, ſive alterius cujuſcumque perſonæ intra ſepta Monaſterii commorantis ſacramentalem confeſſionem audire (6). Omnes vero, quotquot in Monaſterio degunt quo-

(1) *Acta Eccleſ. Mediol. pag.* 47. §. diebus feſtis.

(2) *Syn. de Comit. tit.* 13. *c.* 3. *Maſſai in Edict. pro Monial. cit.*

(3) *Syn. Buſſi loc. cit. n.* 41. *& ibi allegat.*

(4) *Seſſ.* 25. *de Regular. c.* 10.

(5) *Benedict. XIV. Conſtitut.* Paſtoralis curæ 5. *Aug.* 1748.

(6) *Ibidem.*

quocumque titulo, extraordinario Confeſſario ſe ſiſtere teneantur ad ſalutaria ſaltem monita ab eo accipienda (1).

Demum quibuſcumque Confeſſariis ordinariis, aut extraordinariis, ſæcularibus, aut Regularibus, qui vel alicui Communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ in Monaſterio degenti conceſſi, ac deputati fuerint, diſtricte inhibemus ſub pœnis adverſus accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares ſtatutis, ne, poſtquam ſuum officium impleverint, ad idem Monaſterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum continuare, & fovere etiam ſub ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis obtentu, & colore abſque nova licentia audeant, aut præſumant (2).

TITULUS V.

De Conſervatoriis.

PIorum quorumdam hominum charitate factum eſt, ut Puerorum, ac præſertim Puellarum Hoſpitia, ſeu, ut vocant, Conſervatoria fere ubique erigerentur, in quibus virtus vel ætatis imbecillitate, aut ſexus infirmitate, vel ſæculi pravitate periclitans firmaretur ſalutaribus legibus, atque inſtitutis.

Tria porro in hac noſtra Urbe erecta inveniuntur Puellarum Conſervatoria. Primum ſub titulo *S. Laurentii*, in quo Orphanæ præcipue Puellæ enutriuntur, atque educantur. Ad harum curam, & inſtitutionem deputatæ ſunt quædam religioſæ Virgines, quæ licet clauſuræ legibus non ſint obſtrictæ, nec ſollemnia Religionis vota nuncupent, ſimplex tamen caſtitatis votum emittunt, Religioſum aſſumunt ha-

 bitum,

(1) *Ibidem.*
(2) *Ibidem. Vide etiam Edict. Urb. relat. a Ferraris verb.* Moniales *art. 5. num. 37.*

bitum , & collegialiter in eodem Conſervatorio ad inſtar Monialium vivunt.

Quum hocce Orphanotrophium fere in omnibus regatur ad inſtar Monaſteriorum, quæ nobis pleno jure ſubjiciuntur, præſertim quoad Chorum, Regularum obſervantiam, Sacramentorum frequentiam, Fidei rudimenta puellis explicanda, ſpiritualia exercitia peragenda, deputationem Confeſſarii tam ordinarii, quam extraordinarii, aliaque hujuſmodi: omnia, quæ in hac parte ſuperiore Titulo *de Monaſteriis* a nobis ſancita ſunt, obſervari mandamus, proportione ſervata & in Conſervatorio S. Laurentii (1).

Quamvis autem a juriſdictione Parochi non ſit omnino exemptum, ut exempta ſunt Monaſteria, ſervari tamen volumus antiquam conſuetudinem, per quam Parocho S. Petri, ſub cujus ditione exiſtit, extremæ Unctionis Sacramentum dumtaxat miniſtrare licet mulieribus ibi degentibus, earumque cadavera efferre. Similiter quamvis rigoroſæ clauſuræ lex in eo non vigeat, quemadmodum in Monaſteriis, Prædeceſſorum tamen noſtrorum (2) veſtigia ſequentes ſub pœna excommunicationis, carceris, aliiſque gravioribus arbitrio noſtro ferendis ſevere inhibemus, ne vir ullus audeat in idem Conſervatorium ingredi abſque noſtra, vel Vicarii noſtri ſcripta licentia. Quoad fœminas vero facultatem facimus Canonico a nobis ad idem Conſervatorium deputato ingreſſum aliquando pro ſua prudentia eiſdem permittendi, & viciſſim egreſſum alicui ex iis, quæ in Conſervatorio degunt. Sine noſtra item, aut Vicarii, ſive ejuſdem Deputati noſtri licentia nulli viro colloqui liceat cum fœminis ibi degentibus, ſibi in aliquo conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu non conjunctis: idemque Deputatus invigilet, ut Collocuto-

(1) *Syn. Buſſi p. 3. c. 5. n. 1. 4. 5. 6.* (2) *Syn. Buſſi loc. cit. n. 2.*

cutoria, Crates, & Portæ eodem ferme pacto cuſtodiantur, ac in Monaſteriis.

Alterum Conſervatorium priori proximum pro pauperibus puellis, quarum honeſtas periclitatur, initia ſua debet pietati, ac zelo Laurentii Nappi Patritii Anconitani, & Canonici Cathedralis Eccleſiæ, cujus potiſſimum impenſis erectum fuit a cl. me. Card. Bartholomæo Maſſæo Prædeceſſore noſtro. Cura deinde, ac munificentia Nicolai Mancinforte Prædeceſſoris pariter noſtri firmius conſtitutum fuit, opeque alterius occulti Benefactoris Eccleſiæ, & piæ domus pro ſpiritualibus exercitiis a mulieribus peragendis acceſſione locupletatum. Ad hujus Conſervatorii regimen, quod nobis pariter immediate ſubeſt, unus, aut plures Deputati a nobis conſtituuntur.

Tertium pro Puellis expoſitis, ſive ſpuriis Conſervatorium adnexum eſt Hoſpitali *SSmæ Annunciationis*, cujus cura, & adminiſtratio pertinet ad Archiconfraternitatem *S. Hieronymi*. Adeſt & pro maſculis Orphanotrophium in ædibus Sodalitatis *S. Mariæ de Conſolatione*, ad quam ſimiliter ſpectat ejus cura, & adminiſtratio.

Habet unumquodque ex his Conſervatoriis proprias leges a nobis, ſeu a Deceſſoribus noſtris probatas, quibus regatur. Harum obſervantiam urgeant, qui illorum regimini deputantur; curentque potiſſimum, ut Puellæ, vel Pueri in timore Domini educentur, Chriſtianæ Religionis myſteria, ac præcepta ediſcant, Sacramenta frequentent, ſpiritualibus aliquando exercitiis excolantur, ac in muliebribus opificiis Puellæ, Pueri vero in litteris, ac bonis artibus rite inſtituantur.

TITULUS VI.

De Confraternitatibus Laicorum .

AD Eccleſiæ ornatum, quæ varietate jucundatur, illorum etiam hominum cœtus pertinent , qui etſi eccleſiaſticæ militiæ adſcripti non ſunt, & in ſæculo verſantur addicti plerumque conjugio ; chriſtiano, ac religioſo vivendi inſtituto in aliqua pia Sodalitate ſe manciparunt , in eaque ad ſuam , & aliorum utilitatem pluribus pietatis , religionis, & charitatis operibus ſedulo incumbunt . Quapropter ut Fideles in hujuſmodi pia , recteque inſtituta vivendi ratione magis , magiſque firmentur, atque ab omni inordinatione, ac perturbatione ſerventur immunes, viſum eſt nobis in hoc Titulo de Sodalitatum ſtatu tam ſpirituali, quam temporali, necnon de earum Officialibus, & Cappellanis nonnulla præſcribere.

Primum autem cautum volumus , ne novæ Confraternitates, ſeu Congregationes in Eccleſiis licet Regularibus in poſterum erigantur, aut jam erectæ Archiconfraternitati alicui aggregentur ſine noſtro conſenſu , & approbatione ad formam Conſtitutionis ſanct. mem. Clementis Papæ VIII., quæ incipit: *Quæcumque* (1) .

Antequam vero in Sodalitia legitime erecta quis admittatur, aut ſemel ejectus iterum recipiatur, delecti ad id munus Sodales de illius vita, moribus, ac fama diligenter inquirant , reque in præcedentibus congreſſibus diſcuſſa , ac probata, admiſſio fiat gratis per ſecreta ſuffragia in generali Fratrum Congregatione . Recipiendi autem non ſunt ſub pœna nullitatis publici peccatores, aut quavis infamiæ nota fœdati, qui Fidei rudimenta ignorant , qui probitatis, & hone-

(1) *Edit. 7.Dec.1604. Syn. de Comit. tit. 22. cap.6.*

honeſtatis laude non commendantur, qui denique Confraternitatis, quamvis in modica ſumma, ſunt debitores, aut litem, & cauſam cum illa habent, niſi prius cauſæ ceſſerint, aut debitum ſolverint (1).

Pluribus Societatibus, quæ ſacco utantur, adſcribi nemo poſſit. Quod ſi quis ab una ad aliam ſe transferre velit, non recipiatur abſque legitima cauſa a nobis, vel a Vicario noſtro approbanda (2).

Quum Laicorum Confraternitates, velut corpora membris compacta, ſuis legibus vivere, nutriri, & conſervari debeant, adeoque propria habere ſtatuta ab Ordinario loci examinata, & approbata (3); Nos id curavimus pro noſtro Paſtorali munere, ut pro unaquaque hujus Diœceſis Confraternitate ſtatuta hujuſmodi, ubi non adeſſent, ex integro efformarentur, aut antiquata renovarentur, atque a nobis probarentur. Præſcriptis igitur in quolibet Sodalitio legibus Sodales fideliter obtemperent: inobedientes pœna in ſtatutis impoſita coerceantur: contumaces vero, ſi opus fuerit, a Societate expellantur (4). Et ne quis ſtatutorum ignorantiam obtendere valeat, mandamus, ea in commune legi per intervalla ſemel ſaltem in anno (5).

Confraternitatum Officiales quotannis ſaltem eligantur, atque in eodem officio ultra annum perdurare, aut in eo confirmari nequeant ſine noſtra licentia (6). Confratres vero monemus, ut in electionibus hujuſmodi Dei honorem, & Sodalitatis utilitatem unice ſpectantes magis idoneis, ac laude honeſtæ vitæ probatis munera, atque officia partiantur (7). Sequuta electione, ſchedulam ad nos tranſmittant ele-

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 2.*
(2) *Syn. de Aſte decr. 17*
(3) *Clem. VIII. Conſtit.* Quæcumque *7. Dec. 1604. Syn. de Comit. loc. cit. c. 1.*
(4) *Syn. de Comit. loc. cit. de Aſte loc. cit.*
(5) *Vide de Aſte ibidem.*
(6) *Syn. Buſſi p. 2. c. 7. n. 6. S. C. C. in una Civit. Pleb. 22. Mart. 1760. ad 5.*
(7) *Syn. Mancinſ. p. 3. c. 5. n. 3.*

electorum (1), qui ſi idonei reperti non fuerint, per nos removendi erunt (2).

Quumque in ejuſmodi Officialium electione, aliiſque Sodalium Congregationibus, ut omnia debito ordine procedant, fas ſit Epiſcopo intervenire per ſe, aut per ſuum Deputatum, prout ſæpe declaravit ſacra Concilii Congregatio (3); ſub pœnis arbitrio noſtro ferendis recipi in illis, & admitti mandamus perſonas Eccleſiaſticas a nobis cuilibet Sodalitio deputatas, eaſque de proxime habendo Sodalium congreſſu prævie certiorari (4).

Quod pertinet ad temporalium bonorum adminiſtrationem, præter ea, quæ ſupra Titulo *de Bonis Eccleſiaſticis* ſancita ſunt, volumus, ut Præſides, ſeu, ut vocant, *Gubernatores* Sodalitatis pecunias, ac redditus non adminiſtrent per ſe ipſos, ſed hoc munus committatur Officialibus ad id deputatis (5). Hi autem integra fama, ac fide commendentur, de bonis recte adminiſtrandis fidejuſſionem præſtent (6); teneanturque ſingulis annis, ſi in Civitate fuerint, coram nobis, ſeu Vicario noſtro generali, aut aliis a nobis deputatis, ſin vero per Diœceſim, coram Parochis, ſeu aliis, ut ſupra, deputatis rationes recenter electis Officialibus reddere, & liberationem obtinere (7). Quod ſi debitores Confraternitatis reperti fuerint, infra menſem omnino debitum perſolvant; alias teneri eos volumus ad duplum, & inhabiles in poſterum ad quælibet Confraternitatis munia abſque noſtra facultate exercenda reputari (8).

Ad hæc cuilibet Sodalitio inhibemus, venditionis, emptionis, ſeu locationis bonorum contractus inire cum ullo ex

(1) *Syn. de Comit. tit.22. c.3.*

(2) *S. C. C. in Aſculana 24. Mart. 1725. ad 4. Bened. XIV. Inſt. 105. n.99.*

(3) *In Aſcul. cit. ad 2. & in Civit. Pleb. cit. ad 3. Bened. XIV. Inſt. 105. n.99. Syn. Fulgin. 1722. c.25. n. 12. & ibi allegat.*

(4) *S. C. C. in Civit. Pleb. cit.*

(5) *Syn. de Comit. c.4. de Aſle decr. 17.*

(6) *Syn. de Comit. ibidem.*

(7) *De Comit. & Aſle d. cit. Conc. Trident. ſeſſ.22. de Ref. c.9. Conc. Rom. tit. 23. c.2.*

(8) *De Comit. ibidem. Act. Eccleſ. Mediol. pag 41. col.2. §.* Qui pecuniam.

ex Confratribus, ſeu Confratrum conſanguineis, vel affinibus uſque ad tertium gradum ſine præcedente noſtra licentia (1).

Occaſione feſtivitatum, ſive etiam acceſſus ad almam Domum Lauretanam convivia fieri ſumptibus Sodalitii diſtricte vetamus; volumuſque Sacerdotibus Sacrum agentibus, aliiſque Miniſtris ſtipem dumtaxat tradi pecuniariam (2).

In qualibet Confraternitate ſerventur libri introitus, & exitus bene compacti, riteque diſpoſiti (3): liber item, in quo nomina, & cognomina Confratrum recenſeantur: alter, ubi deſcribantur decreta in Congregationibus edita: Inventarium denique omnium bonorum, cæteraque monumenta, quæ in cujuslibet Loci pii Archivio ſuperius ſervanda præſcripſimus (4).

Potiſſimum vero ſolliciti ſint, qui Sodalitio alicui nomen dederunt, in iis religionis, & charitatis officiis exercendis, ad quæ Sodalitium quodlibet inſtitutum eſt, quæque in peculiaribus ipſius ſtatutis præſcribuntur. Ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta diebus in iiſdem deſignatis accedere non omittant (5). Publicis ſupplicationibus, aliiſque ſacris functionibus proprio induti ſacco, qui ſordidus, aut lacerus non ſit, qua par eſt, ſedulitate interſint. Nemo hujuſmodi amictus ſacco arma deferre, huc illuc per plateas, & vicos diſcurrere, multoque minus ludere, aut tabernas adire audeat ſub gravibus per nos infligendis pœnis (6). Tam in ſupradictis ſacris functionibus, quam in Sodalium con-

(1) *Syn. Baſſi p.3. c.7. n.5. Syn. Auxim. Bichii tit.26. Vide Conſtit. Alex. VII.* In ſuprema *21. April. 1657. Baſſi de Sodalit. in Miſcell. n.16. 17.*

(2) *De Comit. tit.22. c.7. Bened. XIV. Inſt.54. n.16. & Inſtit.72. n.28.*

(3) *Syn. Mancinf. p.3. c.5. n.3.*

(4) *P.II. tit. XIV.*

(5) *Syn. Baſſi p.3. c.7. n.7.*

(6) *Acta Eccleſ. Mediol. pag.289. col.2. Syn. Fulgin. 1722. c.25. num. 7. aliaque recens. paſſim hoc tit.*

congreſſibus ſi qui ſint Sacerdotes inter Confratres adſcripti, cæteros loco, & honore poſt Officiales majores præcedant (1).

Ut recenſita, aliaque pia munera religioſe obeantur, quælibet Societas ſuum habeat Cappellanum, Sacerdotem ſæcularem, ſeu Regularem per nos approbandum, qui in ſpiritualibus exercitiis Confratribus præeat, quique piis colloquiis, & adhortationibus idoneus ſit eos ad religionis, & charitatis officia excitare (2). Hujuſmodi autem Cappellani intra proprios fines ſe contineant: in Eccleſiis, ſeu Oratoriis Confraternitatum Miſſas, aliaſque Eccleſiaſticas functiones ita diſponant, ut divina Officia, Conciones, Cathecheſes, Proceſſiones, aliaque hujuſmodi in Parochialibus nequaquam impediantur, aut perturbentur, neque populus a publicis Parœciæ functionibus ullo pacto abducatur. Parochorum juri, præſertim quoad funera (3), ne minimum quid detrahant, nec quidquam ſibi, pluſquam par eſt, vindicare audeant. Exactam proinde urgemus obſervantiam Decretorum generalium *Urbis*, & *Orbis* (4), quæ a ſacra Rituum Congregatione edita ſunt ad finem imponendum controverſiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates, earumque Cappellanos oriebantur; eaque Decreta vim legis inconcuſſam habere perpetuo volumus in hac noſtra Diœceſi.

TITULUS VII.

De Hoſpitalibus.

INter inſignia pietatis opera priſca Fidelium charitate inſtituta hoſpitales Domus ad eorum levamen, & adjumentum, qui egeſtate, vel ægritudine laborant, aut in Peregri-

(1) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 9.*

(2) *Syn. Fulgin. loc. cit. n. 4. aliæque, ut ſupra.*

(3) *Syn. de Comit. tit. 23. c. 6.*

(4) 10. *Dec. 1703. approb. a Clem. XI. Vide Bened. XIV. Inſt. 105. a num. 93.*

regrinorum commodum, & ſubſtentationem deputatæ numerantur. Hoſpitia ejuſmodi a ſacris Canonibus toties, tamque enixe Paſtorum ſollicitudini commendata ut probe, ſicut decet, gubernentur, hæc de illis ſervanda decernimus.

In hoſpitalibus tam pauperum ægrotantium, quam Peregrinorum domibus toti ſint ii, ad quos illarum cura pertinet in cubilium, linteaminum, ac totius ſupellectilis munditie procuranda, ut pauperes minus, quam fieri poteſt, egeſtatis, ſeu morbi incommoda ſentiant, atque pii fideles, qui eoſdem inviſere ſolent, nunquam ab hoc pietatis officio fœtoris, vel ſordium nauſea retrahantur. Multo autem diligentius ſtudeant, ut ægroti, ſeu peregrini ea, qua decet, modeſtia, ac probitate in hoſpitali domo verſentur. Nonniſi maxima urgente neceſſitate, permittatur, ut fœminæ viris, viri fœminis famulatum præſtent. Pueri quoque, ſeu adoleſcentes in eodem lecto cum provectioribus cubare ne ſinantur, niſi filios, fratres, ſeu nepotes eſſe conſtiterit. Ubi autem utriuſque ſexus homines in eadem domo recipiantur, ut contingit in aliquibus Diœceſis locis, fœminæ cum viris nunquam omnino habitent in eodem cubiculo, etiamſi matrimonio ſeſe conjunctos affirment. Noctu in quolibet cubili lucerna ardeat. Mane, & veſpere conjunctim omnes recitent pias aliquas preces, actuſque Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis. Quod ſi quis aliter, quam loci religio poſtulat, in eo verſari compertus fuerit, protinus expellatur (1).

Nemo ultra præſcriptum tempus in hoſpitali domo retineatur ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia. Ab Hoſpitibus tam in acceſſu, quam in receſſu ne quidquam vel minimum exigant, aut petant Hoſpitalis Adminiſtri: ſecus ab officio dimittentur (2).

(1) *Acta Eccleſ. Mediol. pag. 289. ſeq.* §. Charitatis. *Syn. Fulgin. 1722. Civit. Caſtellanæ 1756. Tuſcul. 1763. Civit. Caſtelli 1766. Firman. 1773. aliæque recent. paſſim hoc tit.*

(2) *Ibidem.*

Speciatim vero quod pertinet ad Noſocomia, cum primum ægroti in illis excipiuntur, adnotentur in peculiari libro eorum nomen, patria, ætas, res, quæ ad eos pertinent, ac dies, qua recepti ſunt. Benigne deinde, amanterque tractentur, & quidquid ad eorum medelam, ac juvamen conferre poteſt, ſummo pietatis ſtudio præſtetur ab Hoſpitalariis, aliiſque Miniſtris. Potior autem ſit cura, ac ſollicitudo in medendis animæ morbis. Quare curetur quamprimum, ut Pœnitentiæ Sacramento conſcientiam ſuam expient infirmi, ac, ingraveſcente morbo, ſanctiſſima etiam Euchariſtia, ac extrema Unctione roborentur. Noſocomii Cappellanus diligentiam ſuam deſiderari ea in re minime patiatur, ſed ægrotos ſæpe viſitet, eorumque extremo agoni aſſiſtere non negligat. Quod ſi quis ſine ultimis pietatis officiis, præſertim vero ſine Sacramentis ob illius ſocordiam deceſſerit, graviores arbitrio noſtro pœnas Cappellanus ipſe ſubibit (1).

In Xenodochiis, ubi peregrini hoſpitio recipiuntur, nullo modo admittantur facinoroſi homines, arma deferentes, Circulatores, Aleatores, Ebrioſi, aliique hujus furfuris. Noctu domus porta claudatur, neque mane referetur, antequam inſpectum fuerit, an aliquid eorum deſit, quæ vel ad Xenodochium, vel ad Hoſpites pertinent (2).

Non deeſt quoque in hac noſtra Urbe Hoſpitium ad recipiendos infantes expoſitos, ſive ſpurios conſtitutum. Et quoniam illius adminiſtratio Archiconfraternitati *S. Hieronymi* commiſſa eſt, a qua ſelecti ad id muneris Confratres deputantur, eos enixe monemus, ut quæ in ipſius Archiconfraternitatis Conſtitutionibus (3) a Nicolao Mancinforte Prædeceſſore noſtro, ac deinde etiam a ſanctæ memoriæ Clemente PP. XIII. probatis, & confirmatis circa hujuſmodi Depu-

(1) *Ibidem.* (2) *Ibidem.* (3) *Edit. Romæ Typ. Generoſi Salomoni 1764.*

Deputatorum officium ſalubriter præſcribuntur, integre, ſolerterque exequi ſtudeant, ut ſuſcepto muneri optime, ut par eſt, reſpondere valeant. Cappellanus vero Hoſpitalis hujuſmodi præſto ſit ad expoſitos Infantes baptizandos, ea accurate obſervans, quæ in hac ipſa Synodo ſub Titulo *de Baptiſmo* ſunt conſtituta. In memoriam quoque hic revocamus, alimentorum taxam, quæ a Patribus naturalibus debentur filiis ſpuriis, & illegitimis in prædicto Hoſpitio expoſitis, Apoſtolica s. m. Benedicti XIV. (1) auctoritate redactam fuiſſe ad ſummam ſcutorum decem unica tantum vice ipſi Hoſpitali ſolvendam in propriæ obligationis adimplementum.

Denique Hoſpitalium quorumcumque Adminiſtratores, Deputati, ſeu quocumque illi nomine cenſeantur, potiſſimas ſui muneris partes eſſe intelligant (2), Hoſpitalia ipſa ſæpius inviſere, ac recognoſcere, an omnia ex ordine fiant; an inferiores Miniſtri munera ſua rite obeant; an neceſſaria ſervetur munditiei; an infirmis, aliiſve pauperibus debita cura, & aſſiſtentia adhibeatur. Præcipue autem ſolliciti ſint, ne infirmis deſint ſpiritualia ſubſidia ad juvandas eorum animas. Quocirca ſi ob magnum ægrotantium numerum Noſocomii Cappellanum cunctis ſufficere non poſſe cognoverint, pios alios Sacerdotes advocent ſæculares, ſeu Regulares, qui Cappellano ſe adjutores præbeant, habito etiam, ſi oportuerit, ad nos recurſu. Porro Sacerdotes omnes, qui in Noſocomiis operam ſuam navant, in Domino hortamur, ut ægrotos paterna charitate adeant, alloquantur, ſolentur. Ignaros Fidei rudimentis imbuant, ſingulos ad eliciendos Theologicarum virtutum, ac Contritionis actus excitent, ac deinde eorum Confeſſiones benigne excipiant; neque etiam,

(1) *Per Reſcript. 26. Apr. 1753. Vide Syn. Biancinſ. p. 3. c. 3. n. 5.*

(2) *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 15. de Ref. & ſeſſ. 25. c. 8. de Ref. Syn. Mantinſ. p. 3. c. 7. n. 3. & cit. ſupra ſub num. 1.*

ſi res exigat, infirmis, qui in vitæ diſcrimine poſiti ſunt, opitulari recuſent.

Adminiſtratores quoque prædicti, aliive Deputati bonorum, ac redditωum Hoſpitalis ſedulam habeant curam juxta ea, quæ ſuperius a nobis Titulo *de Bonis Eccleſiaſticis* ſancita ſunt: & ſingulis annis, prout ibidem ſtatuitur, nobis, ſeu Deputatis noſtris geſtæ adminiſtrationis rationem reddere teneantur.

TITULUS VIII.

De Montibus Pietatis.

MOntes Pietatis, in quibus pecunia, aut frumentum mutuo datur ad ſublevandas Pauperum, ac miſerabilium Perſonarum indigentias, inter loca pia Tridentina Synodus (1) enumeravit, & Epiſcoporum ſubjecit viſitationi. Quoniam vero, S. Carolo (2) monente, in id curam omnem, & operam ſuam conferre debent Epiſcopi, ut Montes hujuſmodi a conſpicuæ integritatis, & ſolertiæ viris ſtudioſe, & fideliter adminiſtrentur: non mirum eſſe debet, ſi Prædeceſſores noſtri tum majorem pecuniarium Montem jamdiu in hac noſtra Urbe erectum, tum minores quoſdam frumentarios paſſim per Diœceſis Loca conſtitutos pro temporum varietate opportunis legibus muniverunt, ex quarum obſervantia fieret, ut illorum adminiſtratio fini apprime reſponderet, ob quem Montes ipſi inſtituti, atque ab Eccleſia probati eſſe noſcuntur.

Porro, quæ a præfatis Deceſſoribus noſtris pro bono regimine pecuniarii Montis hujus Civitatis ſapienter conſtitutæ fuerunt leges, & capitula, Nos quum ſacra viſitatione Civitatem ipſam luſtraremus, colligi curavimus, nonnulliſque

(1) *Seſſ.22. de Ref. c.8.* (2) *Acta Eccleſ.Mediol. pag.43. col.1.* §.Epiſcopi

liſque additis, quæ nobis ad rem conferre videbantur, in unum volumen redacta publici juris fecimus (1). Collectionem hanc una cum aliis Decretis, quæ ſubinde pro opportunitate a nobis in eamdem rem manarunt, Synodali hac lege iterum probamus, & confirmamus, ſingulaque in eis contenta ab omnibus, ad quos ſpectat, perpetuo ſervanda eſſe decernimus.

Quod vero pertinet ad frumentarios Montes in plerifque Diœceſis Locis per pias Sodalitates erectos, præter ea, quæ ſingillatim pro recta cujuslibet ipſorum adminiſtratione vel a prædictis Deceſſoribus noſtris, vel a nobis ipſis, occaſione præſertim ſacræ Viſitationis, præſcripta ſunt, exacte obſervari mandamus generales quaſdam leges a Cardinali Johanne Nicolao de Comitibus in eum finem ad calcem ſuæ Synodi (2) editas, & Appendici etiam noſtræ (3) inſertas.

Officiales porro hujuſmodi Montium ſingulis annis rationem reddere eodem modo teneantur, prout ſuperius ſub Titulo de *Confraternitatibus* ſtatutum fuit. Eos autem, qui a nobis ad hujuſmodi rationes exigendas deputantur, graviter monemus, ne liberationem prædictis Montium Officialibus ullatenus concedant, niſi leges pro recta eorumdem adminiſtratione, ut ſupra, conſtitutas accurate ſervaverint. Itaque ſi quid eos deliquiſſe in hac re animadvertant, ratiocinium ſuſpendant, remque totam nobis deferant.

(1) *Typ. Ancon.* 1768. (2) *Pag.* 136. (3) *Sub num. XIX.*

PARS

Digitized by Google



P A R S I V.

De Delictis, & Pœnis.

T I T U L U S I.

De Infidelium, præcipue Hebræorum, necnon Hæreticorum conſortio.

GRaviorum quorumdam criminum tractationem, de quibus alibi opportunior non ſe nobis obtulit agendi locus, ad poſtremam hanc Partem retulimus, ea, quantum cum Domino poſſumus, a noſtra hac Diœceſi perpetuo eliminare cupientes, ut illam omnibus inquinamentis mundatam, ac purgatam Deo per omnia placentem exhibere poſſimus. Et quia in fauciata per peccatum natura plus proclivitatis ad vitia ingerere conſuevit malorum converſatio, quam conſpicua bonorum exempla ad virtutem, nobis ſedulo curandum eſſe non ignoramus, ut fidelis Populus a conſortio, & familiaritate eorum, qui foris ſunt, quique oderunt Dominum Jeſum, ſollicite caveat; præſertim quum in Civitate ſimus, in qua perfidæ Judæorum Genti impune verſari concedi-

Digitized by Google

ceditur, atque in commodum commercii Schiſmaticorum quoque, Hæreticorum, Turcarum, aliorumque Infidelium incolatus toleratur. Ne igitur eorum aſſidua conſuetudine Fidelium mores corrumpantur, aut Fides ipſa periclitetur, nonnulla circa Infideles hujuſmodi, eorumque conſortium a ſacris Canonibus, ſeu a Prædeceſſoribus noſtris conſtituta ſub primo hoc Titulo decrevimus enuncianda.

Catholicis itaque præcipimus, ut in nimiam illorum familiaritatem, nullo quæſito colore, ſe dent. Comeſſationes nominatim, compotationes, ac comenſalitatem, ludos item, ac choreas cum iiſdem interdicimus (1): illos quoque domi ſuæ, ut in ea, licet ad tempus, inhabitent, recipere; mulieribus fidelibus in illorum domibus famulatum præſtare, aut domos ab eis inhabitatas frequentare, diſtricte prohibemus ſub pœnis juxta ſacros Canones, arbitriumque noſtrum infligendis (2).

Parochis autem injungimus eorum conſcientiam deſuper onerantes, ut in hujuſmodi Infidelium, ſeu Hæreticorum, aut Schiſmaticorum mores diligenter inquirant, ne aliquid contra Catholicam Religionem moliri, ſeu prava dogmata diſſeminare audeant, ſanctiſque, ac catholicis inſtitutis aut illudere, aut injuriam irrogare. Quod ſi horum quidquam deprehenderint, ſeu illorum famulos Catholicos diebus ab Eccleſia vetitis carnes comedere, Miſſæ feſtis de præcepto diebus non intereſſe, ſive alias non catholice vivere: nobis, aut Vicario noſtro id confeſtim deferant, ut agro Dominico nobis commiſſo conſulere poſſimus, ne frumentum ejus electum ſuffocetur a zizaniis (3).

Fide-

(1) *Paulus IV. Conſt. 3. Pius V. Conſt. 6. Clemens VIII. Conſt. 19. Edict. S. Inquiſit. de Hebr. Syn. de Comit. tit. 14. cap. 1. & 3. Buſſi p. 4. c. 3. n. 5. & 10. Maſſai ad Decr. 12. Mancinf. p. 1. c. 5. n. 6. 7. Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 6. c. 4. & 5.*

(2) *Syn. Maſſai, & Mancinf. ll. citt.*

(3) *Ibidem.*

Fideles præterea ſæpe moneant de gravi, qua tenentur, obligatione nobis, aut ſacræ Inquiſitioni denunciandi hujuſce furfuris homines perverſa dogmata diſſeminantes, aut Religioni illudentes, cæteroſque Hæreticos non toleratos, aut de Fide, & Religione ſuſpectos, cunctos denique, qui in Edicto ejuſdem ſacræ Inquiſitionis bis in anno a Parochis evulgando enumerantur ſub pœnis in Edicto ipſo conſtitutis (1).

Interdictum tamen ſibi noverint Laici ſub interminatione anathematis cum Hæreticis, vel Infidelibus publice, aut privatim de Religione diſputare (2). Idipſum ſine noſtra licentia inhibemus Clericis, qui non ſint ſpectatæ vitæ, ac doctrinæ (3).

Quod ſpeciatim pertinet ad Hebræos, eorumque conſortium, præter ea, quæ habentur in peculiari Edicto Summorum Pontificum Clementis XII., Benedicti XIV., necnon SS. D. N. PII Papæ VI. (4) auctoritate edito, hæc, quæ ſequuntur, a Prædeceſſoribus noſtris potiſſimum ſtatuta commemoramus.

Quamvis cavendum omnino ſit Chriſtianis omnibus, ne Judæos quoſcumque dicto, vel facto lædant, aut exaſperent (5), immo potius exemplo Chriſti Domini pro ipſis orare præſtet, ut convertantur, & vivant; nimiam tamen cum illis familiaritatem, conſuetudinemque ſpeciatim ſibi noverint Chriſtifideles interdictam (6). Præter ea igitur, quæ de Infidelium in univerſum conſortio mox enunciavimus, nemo ad Hebræorum Feſta, Cæremonias, Funera accedat, vel eorum

(1) *Edict. Sacr. Inquiſ. de denunc. Heret. &c.*

(2) *Cap.* Quicumque §. Inhibemus *de Haret. in 6.*

(3) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 1. Buſſi p. 1. c. 1. num. 3. Maſſai, & Alamanſ. ll. citt.*

(4) *Vide Edict. S. Inquiſ. de Hebr. SS. D. N. juſſu edit. ſub die 5. April. 1775.*

(5) *Syn. Buſſi p. 4. c. 3. n. 10.*

(6) *Vide citt. ſupra num. 1.*

eorum azyma accipiat, aut comedat (1), ſive intra eorum ſepta pernoctet (2), vel aliquod ſervitii genus eiſdem præſtet in ipſorum domibus, aut ſeptis etiam aquam, aut ligna deferendo, ſive accendendo ignem, & ſimilia præſertim die Sabbati, aliiſque eorum feſtis (3) ſub pœnis tam in Chriſtianos delinquentes, tam in Judæos, qui eos vocaverint, aut admiſerint, in præfato Edicto ſtatutis, aliiſque pro modo culpæ a nobis ſtatuendis. Illud dumtaxat cum Deceſſoribus noſtris (4) toleramus, ut Hebræi aquam a Chriſtianis eam vendere ſolitis emere valeant, atque mulierum fidelium opera uti in purgandis pannis, dummodo ipſi ad earumdem domos eos deferant, indeque lotos ad propria ipſimet reportent ſepta (5).

Sub iiſdem pœnis vetamus, ne Chriſtianæ mulieres Obſtetricum munere fungantur apud puerperas Hebræas (6), neve earum infantibus lac præbeant (7), multoque minus infantes ſuos Hebræis, aliiſve Infidelibus, ſive Hæreticis Nutricibus lactandos, aut nutriendos tradant (8), ne Fideles ad ſuam ſive tuendam, ſive recuperandam valetudinem Judæi Medici opera utantur (9), ne abſque noſtra ſcripta licentia linguas, artes, ſcientias Hebræos præſertim intra eorum ſepta edoceant (10), neve viciſſim Hebraicam linguam, aliaſve artes ab iiſdem addiſcant, aut libros, ſive ſcripta recipiant (11).

L l Ve-

(1) *Syn. de Aſte Decr. 12. Edict. de Hebr. cit. Syn. Piſaur. 1742. ſeſſ. 1. tit. 4. Urbin. 1753. ſect. 1. tit. 3.*

(2) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 1. Mancinſ. loc. cit. num. 6.*

(3) *Edict. de Hebr. cit. Syn. de Comit. loc. cit. c. 3. Buſſi loc. cit. n. 6. Mancinſ. loc. cit.*

(4) *Syn. de Comit. c. 2. Buſſi loc. cit.*

(5) *Ibidem. Syn. Piſauren. cit.*

(6) *Edict. de Hebr. cit. Syn. IV. Galli c. 3. Syn. Urbin. loc. cit.*

(7) *Edict. de Hebr. cit. Syn. de Comit. c. 3. Buſſi loc. cit. Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 6. c. 4. num. 2.*

(8) *Rit. Rom. tit. 2. de Baptiſm. c. 2. Syn. de Comit. & Buſſi ll. citt.*

(9) *Syn. de Comit. c. 2. Buſſi loc. cit. Mancinſ. p. 3. c. 6. n. 4.*
Vide Bened. XIV. loc. cit.
Syn. Piſauren. loc. cit.
Buſſi, Piſauren. ll. citt.

(10) *Mancinſ. loc. cit. n. 3.*

(11) *Syn. de Comit. c. 3.*

Digitized by Google

Vereantur quoque Fideles, Dominorum, ſeu alio quovis honoris, atque amplitudinis titulo eos honeſtare, quos Deus perpetuæ Chriſtianorum ſervituti addixit. Notarii præſertim, aliæve publicæ Perſonæ, quæ id attentaverint, meritas dabunt pœnas (1).

Si quem vero Chriſtianorum tam immani facinore deturpari contingat, ut cum Hebræis cujuſcumque ſexus non vereatur impudice verſari, ſciat qui talia egerit, ſe præter graviſſimas corporales pœnas a nobis infligendas in caſum quoque hac in Diœceſi jampridem Epiſcopo reſervatum (2) incidere, quamvis habita non fuerit copula conſumata, ſed turpes dumtaxat actus, atque impudici. Quæ reſervatio extenditur quoque ad hujuſmodi actus perpetratos cum cæteris Infidelibus Baptiſmo carentibus.

Hactenus conſtitutæ leges reſpiciunt præcipue Chriſtifideles cum Hebræis verſantes. Nunc de Judæis ipſis nonnulla ſuperſunt adjicienda.

Caveant in primis Judæi omnes, non modo ne ad ſuſpectarum fœminarum domos accedant, neve eas in propriis domibus, ſeu officinis recipiant (3), ſed nec alias licet honeſtas Chriſtianorum ædes frequentius adire, aut diutius ibi morari præſumant ne ſub prætextu quidem inviſendi, ſive urgendi opus, quo ibidem ipſorum impenſis ſerica filentur, vel quomodolibet hoc artificium curatur. Inobedientes pœna amiſſionis ſerici, carceris, & etiam, ſi opus fuerit, fuſtigationis, & exilii ad Deceſſorum noſtrorum ſanctiones (4) plectentur.

Si præter ſcrutariam artem, quæ vulgo dicitur *ſtracciaria*, ſeu *cenciaria*, cuique ſoli juxta Apoſtolicas Conſtitutiones (5) incumbere poſſunt, aliquam aliam ex ſpeciali ſanctæ

(1) *Paul. IV. Conſt. 3. Pius V. Conſt. 6. Syn. de Comit. c. 2. Buſſi num. 11. Urbin. loc. cit.*
(2) *Tabella Caſ. reſervat. in Syn. hujus Diœc.*
(3) *Syn. de Comit. c. 2.*
(4) *Syn. Buſſi n. 4. Maſſei ad Decr. 12.*
(5) *Conſtit. Pauli IV. & S. Pii V. citt.*

Digitized by Google

ctæ Sedis indulto exerceant, nullo tamen modo eam exercere audeant in domibus Chriſtianorum, nec extra ſepta ſolitæ eorum manſionis ſine noſtro ſcripto permiſſu ſub pœna exilii, aliiſque arbitrandis (1). Multo autem minus abſque eadem in ſcriptis licentia accedere præſumant ad Monialium Monaſteria, ſeu ad Puellarum Conſervatoria etiam ſub prætextu quidquam vendendi, ſeu emendi; ſecus enunciatas pœnas, aliaſque in ſupra commemorato Edicto ſtatutas ſubibunt (2).

Sub eiſdem pœnis mandamus, ne ullus eorum morari audeat extra ipſorum ſepta a prima noctis hora uſque ad illuceſcentem diem per quodcumque licet breve temporis ſpatium ſine præfata licentia noſtra in ſcriptis obtenta. Atque in id præcipue invigilabunt Janitores, qui ſi quempiam Hebræum egredi, aut ſive Judæum, ſive Chriſtianum intra ſepta ingredi per id tempus permiſerint, ſevere a nobis punientur (3). Hujuſmodi vero Janitorum munus nullo modo fœminis, ſed viris tantum a nobis approbandis committi volumus (4). Eamdem licentiam reportare teneantur Hebræi, quoties extra hanc Urbem in aliquo Diœceſis loco illos pernoctare oportuerit (5).

Sæpe dictas pœnas incurrent quoque Judæi, ſi Dominicis, aliiſve de præcepto Eccleſiæ feſtivis diebus ſervilibus operibus aut extra ſepta eorum manſionis, aut licet intra ipſa, publice tamen, apertiſque januis vacaverint, aut vacari fecerint (6).

Cum pulſantur campanæ in ſignum Salutationis Angelicæ, Judæi in viis, ſeu locis publicis verſantes e conſpectu Fidelium modeſte, & citra contemptum ſeſe abdant (7);

L l 2 eoque

(1) *Syn. Buſſi n.3.*
(2) *Edict. S. Inquiſ. de Hebr. cit. Syn. de Comit. c.2.*
(3) *Edict. de Hebr. cit. Syn. de Comit. c. 2. Buſſi n.7. 8.*
(4) *Syn. Buſſi n.8.*
(5) *Ibidem, & in Edict. cit.*
(6) *Paulus IV. Conſtit.3. Edict. de Hebr. cit. Syn. de Comit. c.2. Buſſi n.9.*
(7) *Syn. de Comit. loc. cit. Piſaur. loc. cit.*

eoque magis, cum publicæ ſupplicationes aguntur præſertim cum ſanctiſſima Euchariſtia (1); quo tempore januæ illæ eorum habitationis, vulgo *del Ghetto*, occluſæ maneant, ante quas, vel haud procul ſupplicantium agmen pertranſit. Die autem feſto SS. Corporis Chriſti, dum ſollemnis agitur Proceſſio, atque in ultimo triduo majoris hebdomadæ toto tempore, quo æs campanum ſilet, portæ omnes ſint omnino clauſæ, liceatque nemini per eas egredi, aut introire eodem prorſus pacto, ſub iiſdemque pœnis, ac de nocturno tempore paulo ſupra fuit per nos ſancitum (2).

Qui blaſphema, ſeu contumelioſa verba, aut ſigna ediderint in Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Deiparam Virginem, aut Sanctos, aut alia contra Chriſtianam Religionem attentaverint, quæ in Conſtitutionibus ſanctæ mem. Gregorii XIII. (3), & Clementis VIII. (4) ſingillatim recenſentur, pœnas luent in prædictis Conſtitutionibus enunciatas (5).

Falſam illam doctrinam, qua ſunt imbuti Judæi, ſibi nimirum licere fœnerari Chriſtianis, ſeu potius pravæ illius opinionis uſum, qui in detrimentum cedit, & oppreſſionem pauperum Chriſtianorum, pro viribus impedire cupientes ſevere inhibemus, ne Hebræi contractum quemcumque uſuram redolentem, atque a legibus ſive communibus, ſive municipalibus vetitum cum Chriſtianis inire audeant ſive per publicas tabulas, aut etiam oretenus; neve ex ſola ratione mutui quidquam ab eiſdem extorqueant ſub pœna nullitatis contractus, reſtitutionis uſurarum, & pecuniariæ mulctæ a nobis taxandæ, piiſque uſibus applicandæ (6).

Nul-

(1) *Galli Syn. IV. c.3. Syn. Piſaur. loc. cit.*
(2) *Vide Ibidem.*
(3) *Conſtit.* 70. Antiqua Judæorum.
(4) *Conſtit.* 20. Cum Hebræorum.
(5) *Vide de Comit. c.2.*
(6) *Cap.* Quanto amplius de Uſuris. *Syn. Piſaur.*, *& Urbin. ll. citt. Bened. XIV. de Syn. lib.* 10. *c.* 4. *n.* 12. 13.

Nullum præterea emptionis, venditionis, oppignorationis, aut alium quemcumque, quamvis aliunde licitum contractum celebrare præſumant ſuper rebus ſacris, aut ad divinum cultum ſpectantibus, prout latius habetur in ſæpe laudato Romano Edicto (1).

Demum, quod in omnibus hujus noſtræ Diœceſis Synodis (2) cautum legimus, Judæi omnes utriuſque ſexus, pueri etiam, & puellæ, ut ab aliis ſecernantur, conſuetum ſignum per Apoſtolicas Conſtitutiones, atque Edicta (3) præſcriptum ſub pœnis ibidem inflictis deferre omnino teneantur; quas pœnas pro pueris, & puellis Parentes, aliique, qui eorum curam habent, ſubibunt.

TITULUS II.

De pravorum librorum lectione, ſive editione.

QUum ex pravorum librorum lectione non minus, immo frequentius, faciliuſque, quam ex ipſo Infidelium, perditorumque hominum conſortio impietatis, ſive improbitatis hauriri ſoleat venenum, præſertim hiſce noſtris temporibus, in quibus impiiſſimi homines abominabiles facti in ſtudiis ſuis, ingenti librorum vi in vulgus ſparſa, ſanctiſſima morum præcepta pervertere, divina quæque irridere, Fidei myſteria labefactare, & Religionem ipſam non modo a Deo revelatam, ſed a natura cuique inditam e fundamentis evertere irrito licet conatu nituntur; omni ſtudio contendendum nobis eſt (ut monitis quoque SS. DD. Noſtri feliciter Regnantis (4) obtemperemus), ne hujuſmodi venenatorum

(1) *Edict. de Hebr. cit. n.25. Syn. Civit. Caſtelli* 1766. *act.*1. *c.*3. *n.*9.

(2) *Sinodi Synod.*1627. *tit.*3. & *Syn.IV.* 1654. *c.*3. *Syn. de comit. c.* 2. *de iſte decr.*12. *Buſſi n.*2. *Alam. inſ. n.*6. *ll. ſupra citt.*

(3) *Paulus IV. Conſt.*3. *confirm. a S. Pio V. Conſt.*6. *Edict. Rom. de Hebr. cit. n.* 20.

(4) *In Epiſt. Encycl. ad omn. Epiſc. dat.* 25. *Dec.*1775.

Digitized by Google

rum librorum peſtis creditas a Chriſto nobis oves ullo modo inficiat.

Quamobrem diſtricte mandamus, ne cujuſcumque generis libros Bibliopolæ venales unquam habeant, quin antea omnium Indicem diligentiſſime confectum nobis, ſeu Deputatis noſtris præbuerint approbandum, ac ſubſcribendum. Index hujuſmodi ita ſubſcriptus in cujuslibet Bibliopolæ Officina continuo aſſervetur, libroſque in eo minime deſcriptos retinere, vendere, aut quacumque ratione alicui tradere nefas ſit ſub pœna amiſſionis librorum, aliiſque etiam gravioribus pro modo culpæ irrogandis (1).

Qui librum (quo nomine etiam folium quodcumque impreſſum comprehendimus) in hanc Urbem, ſeu Diœceſim noſtram introduxerit, teneatur confeſtim nobis, ſeu Deputatis noſtris id renunciare: quod ſi in locum publicum mercibus invehendis conſtitutum liber allatus fuerit, Miniſtris ejus loci id onus incumbat (2). Nemo vero audeat libros ita invectos legere, alienare, commodare, ſeu alia ratione cuipiam tradere, niſi ipſis, ſeu illorum Indice prius oſtenſis, habitaque, ut ſupra, approbatione, & facultate, aut niſi notorie conſtet, librum aliquem jam eſſe omnibus permiſſum (3). Idipſum ſervandum erit ab hæredibus, & executoribus ultimarum voluntatum circa libros a defunctis relictos, priuſquam eis utantur, aut in alias perſonas quacumque ratione illos transferant (4). Si quis in præmiſſis deliquerit, eamdem pœnam ſubibit in Bibliopolas paulo ante conſtitutam.

Qui a nobis in hac Urbe ad librorum reviſionem deputantur, necnon per Diœceſim Vicarii Foranei, ac Parochi Bibliopolas, qui per Urbem, Vicos, & Oppida venales ex-

po-

(1) *Regul. X. Ind. libror. prohib. Syn. Galli 1627. tit. 5.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Ibidem.*

(4) *Ibidem.*

ponunt libros, circumferuntve, interdum ex improviſo adeant, ac ſi damnatum aliquem inter eos deprehenderint, præſertim in præfato Indice legitime ſubſcripto non adnotatum, Bibliopolas ſtatim nobis denuncient, & interim libros omnes ſequeſtri nomine jubeant retineri, donec a nobis, quid agendum ſit, decernatur (1). Animarum quoque Curatores ſive Urbani, ſive Rurales ſedulo perquirant, an aliquis in eorum Parœcia ſine debita licentia proſcriptos libros retineat, aut legat; & ſi quem forte comperiant, illum prius paterne moneant, ut libros hujuſmodi ad nos, ſeu ad ſacræ Inquiſitionis Tribunal deferat, ſin minus delinquentem ſevere puniendum nobis denuncient (2). Habeant idcirco Parochi librorum prohibitorum Indicem (3) Benedicti XIV. juſſu recognitum, atque editum, in quo proſcripta opera per Alphabeti ordinem diſtributa facilius, quam antea inveniuntur, nonnullæque traduntur regulæ, ex quibus libri omnes damnatæ lectionis haud difficulter dignoſci poſſunt, licet in Indice nominatim non expreſſi.

In impreſſione librorum in hac noſtra Urbe, ſeu in manuſcriptis evulgandis ſervari volumus adamuſſim, quæ in prædictis Indicis Regulis, atque in Inſtructione Clementis VIII., auctoritate eiſdem adjecta, habentur quoad eorum examen, & approbationem. Sine hujuſmodi examine, & approbatione Comœdias non ſolum typis edi, ſed & repræſentari diſtricte vetamus, ſive ſacrum, ſive profanum ſit earum argumentum (4): ſecus tam Actores, quam Curatores, vulgo *Impreſarj*, carcere, & pecuniariis pœnis arbitrio noſtro plectentur: eamdemque pœnam ſubibunt Actores, ſi quid in repræſentatione addiderint, quod probatum non ſit, aut ſi nutu, geſtu, & mimica arte quidquam præſetulerint inhone-

(1) *Ibid. Syn. Firman. 1773. lib. 1. c. 6. n. 5.*

(2) *Regula X. Ind. cit. Syn. Tuſcul. 1763. p. 1. c. 1. art. 3. n. 5. Firman. loc. cit.*

(3) *Syn. Tuſcul. & Firman. ll. citt.*

(4) *Syn. de Comit. tit. 1. c. 6. Syn. Senogall. 1737.*

neſtum (1). Eadem ſanctione ligari volumus Circulatores quoque, Hiſtriones, alioſque, qui cantiones, ac ſonos per vias edunt, ſi quicquam egerint præter approbationem, & facultatem Vicarii noſtri generalis in Civitate, Foraneorum per Diœceſim: quam facultatem nunquam fœminis concedi volumus, licet eſſent uxores Hiſtrionum hujuſmodi, ſeu Circulatorum (2). Demum diſputationes, ſeu ſermones, quamvis non ſacros publice haberi abſque prædicta approbatione, & licentia interdicimus (3). Qui vero in enunciatis eventibus licentiam, & approbationem conceſſuri erunt, eos ſerio monemus, ne quidquam agi ſinant tum in impreſſione, ſeu evulgatione librorum contra Indicis regulas, & Clementis VIII. inſtructionem, tum etiam in ſcenicis ſpectaculis, ſeu Circulatorum nugis, aut in diſputationibus, ac ſermonibus, quod Religionis ſanctitatem, vel morum honeſtatem, ac integritatem vel minimum offendat, ſuper quo eorum conſcientiam ſtricte gravamus.

TITULUS III.

De Blaſphemiis.

AD execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod ad hæreſim, quæ ſumma blaſphemia eſt, immo ad damnatorum, qui in Inferno commanducantes linguas ſuas præ dolore Deum cœli blaſphemant, vitium proxime accedit (4), penitus evellendum ab hac noſtra Diœceſi operam, ſtudiumque omne contulerunt Prædeceſſores noſtri; præſertim vero fel. mem. Nicolaus Mancinfortius (5), qui pro ardentiſſimo, quo flagrabat, zelo honoris nominis Dei præter alia in id argumenta

(1) *Syn. Viterb. 1762. tit. 1. c. 5. n. 12. Civit. Caſtelli 1765. act. 1. c. 13. n. 8.*

(2) *Syn. Bu[illegible] p. 1. c. 5. n. 6.*

(3) *Syn. de Comit. locatt. Senogall. cit. Civit. Caſtelli cit. act. 1. c. 3. n. 4.*

(4) *Vide Bened. XIV. Conſt.* Ad execrabile 6. *S pt. 1746.*

(5) *Vide Syn. Mancinf. p. 1. c. 5. n. 4. & 5.*

ta illud etiam adhibuit a Benedicto XIV. omnibus Pontificii Status Epiſcopis inſinuatum, ut nempe munus monendi, & corrigendi blaſphemos probis, electiſque viris committerent, qui aggregati, atque uniti ſub nonnullis regulis fuerunt Laicorum Fidelium Congregationi erectæ apud Preſbyteros Oratorii S. Philippi Nerii in hac noſtra Urbe.

Sodalitium hoc, ejuſque tam utile, ſanctumque inſtitutum, quod ſenſim ſine ſenſu ad interitum vergere nobiſcum dolebant pii omnes, ex integro pene excitavimus, & canonicæ erectionis titulo ejus firmitati conſuluimus, ut patet ex litteris hujuſmodi erectionis a nobis datis ſub die 24. Junii anno 1771.

Præterea ejuſdem religioſiſſimi Præſulis, ac Deceſſoris noſtri (1) exempla ſectati, lato ſub ea ipſa die publico Edicto, in quo Correctorum blaſphemiæ nomina recenſuimus, ſalutaria illius hanc in rem præſcripta innovavimus, & confirmavimus. Primo enim oves noſtras a tanto ſcelere ſtuduimus deterrere, intentata præſertim ultrice ira Dei, qui in illud ſeveriſſime olim (2) animadverti juſſit. Poſt enunciatum deinde Correctorum munus pœnam ſancivimus in eos, qui paterne ab illis correpti injurioſe reſponderint, ſeu contemptu, aut contumeliis erga eoſdem uſi fuerint, carceris nempe, & pecuniariam decem ſcutatorum aureorum in uſus pios erogandam, & ſi iterum id attentaverint, etiam exilii. Graviores decrevimus pœnas in eum, qui ſæpe, ut ſupra, admonitus, atque correptus in prava blaſphemandi conſuetudine contumax perſeverarit, publicas videlicet, quæ cæteris exemplo ſint, atque commenſuratas ſceleris enormitati ad normam ſacrorum Canonum, ac Pontificiarum Conſtitutionum (3). In quo quidem pœnarum genere repetendo aper-

(1) *Vide Syn. Manciuſ. loc.cit.*
(2) *Levit.24. 16.*
(3) *Vide Conſtit. S. Pii V. Cum primum, & Epiſt. Encycl. Congr. S. Off. ad Epiſc. Stat.Pontif. juſſu Bened.XIV.*

te denunciavimus, plurimum nos Correctorum eorumdem arbitrio, aut certe judicio delaturos.

Quoniam vero in cauponis, tabernisque vinariis frequentius, quam alibi, vitium hoc dominari ſolet, Cauponibus, Tabernariiſque hujuſmodi injunximus ſub pœna carceris, uniuſque aurei ſcutati piis uſibus ſimiliter applicandi, ut intra triduum nobis, aut Vicario noſtro generali in Urbe, extra eam vero Vicario foraneo, aut Parocho eos denuncient, qui in cauponis, & tabernis blaſphemias protulerint; cæteros Chriſtifideles ad idem faciendum hortantes, ubilibet blaſphemos audierint. Et ne horum omnium memoria unquam intereat, mandavimus, quater in anno a Parochis Edictum hujuſmodi noſtrum publicari, nempe Dominica qualibet, quæ jejunia quatuor Temporum proxime conſequitur. Eoſdem demum Parochos, necnon Concionatores, Confeſſarios, alioſque Eccleſiaſticos viros, Patres quoque familias, ac Magiſtros ſive litterarum, ſive artium rogavimus in Domino, & obſecravimus, ut admonitionibus crebris, hortationibus, atque objurgationibus contra ſcelus hoc collatis ſtudiis dimicent, illudque radicitus evellere conentur; immo Dei, Sanctorumque nomen colendum, laudandumque, quantum in ipſis eſt, curent ab omnibus.

Singula hæc igitur in hac Synodo rurſus probamus, & confirmamus, edicimuſque, locum habere etiam in perjuros, ac eos, qui temere paſſim, aut jocoſe, aut ex ira Dei, Sanctorumque nomine abutuntur.

Reliquum eſt dumtaxat, ut electos illos viros, qui Correctorum blaſphemiæ munere funguntur, per viſcera Jeſu Chriſti obteſtemur, quatenus tam ſancto operi alacriter, totiſque viribus incumbere ſtudeant, præſcriptaſque ſalutares regulas ſervent accurate, intelligentes, quam magnam a Deo laboris ſui, & curæ mercedem ſint relaturi. Præſertim vero illud

illud non omittant, ut interdum, feſtiſque potiſſimum diebus ſibi aſſignatam Parœciam bini primi Ordinis Correctores conjunctim circumeant, atque ad plateas, tabernas, aliaque loca, ubi frequentior eſt Populus, ſe conferant ad cohibendas vel ſola præſentia blaſphemantium linguas. Concionem quoque ter quolibet anno in tribus diverſis Eccleſiis præſcriptam omnino habendam curent, ut auditorum animis immaniſſimi hujus criminis horror ingeratur, omneſque ab eo perpetrando quammaxime deterreantur.

TITULUS IV.

De Superſtitionibus.

Religioni adverſantur non modo Infideles & Hæretici, aliique perditi homines, qui aut verbo, aut ſcripto, quod ſacratius in illa eſt, impie blaſphemant, ſed etiam qui cultum uni, ſummoque Deo debitum in tenebrarum Principem ejus decepti præſtigiis transferunt, aut vano, ac ſuperſtitioſo ritu pervertunt. Quapropter Parochos omnes jure merito admonet S. Carolus (1), ut diligenter huic rei invigilent, ac ſi quod ſuperſtitionum genus in ſuæ Parochiæ hominibus animadvertant, ad Epiſcopum deferant, ut ei malo occurrere poſſit. Confeſſarios quoque jubet, in eo genere ſe diligentes præſtare, atque inveſtigare, num pœnitentes aliquod remedium valetudini, aut vulneribus adhibeant, quod non a medica arte, & cognitione, ſed a ſuperſtitione proficiſcatur; tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid ejuſmodi ſuperſtitioſa opinione obſervent; & quos ea in re peccare noverint, graviter objurgare, & ab ejuſmodi vano ſenſu, atque errore deterrere, & avertere conari.

Mm 2 Nos

(1) *Act. Eccleſ. Mediol. pag.* 119. §. Quantum.

Digitized by Google

Nos idem cum Deceſſoribus noſtris (1) Parochis, Confeſſariiſque præſcribimus, maxime dum agitur de vulgaribus perſonis, & ruſticis, qui in eo ſolent peccare frequentius: edicimuſque rurſus, quod ab eiſdem provide conſtitutum fuit, ac potiſſimum in poſtrema Synodo (2), ut ſcilicet Parochi ſaltem bis in anno de ſuperſtitionibus quibuſcumque vitandis, præſertim ad tramites Conſtitutionis Sixti V. (3), ſermonem habeant ad Populum, & regulas quaſdam ad eas dignoſcendas tradant; *omnem ſcilicet uſum eſſe ſuperſtitioſum, qui ſine verbo Dei, & Eccleſiæ doctrina ſit, præſcriptis aliquibus ritibus, & obſervantiis, quarum rationabilis cauſa reddi non poteſt, & fiducia in eis collocatur certo expectandi aliquem eventum, qui ſine illis ritibus ex Sanctorum interceſſione non ſperaretur, aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, ac quadam levitate potius, quam pietate, & vera in Deum religione fieri videntur* (4).

Iiſdem Prædeceſſorum ſynodalibus decretis (5) inhærentes ſpeciatim cavemus, ne ullus infirmitatibus curandis, præſertim popularibus ſigna, verba, incantationes, menſurationes adhibeat, ne res perditas ſuperſtitioſe invenire curet, ne ſacræ Scripturæ verbis ſimiliter abutatur, ne maleficium maleficio pellat, ne ſomniorum vanitatem ſequatur, præſertim ut numeros exploret, eligatque ad luſum, qui vulgo dicitur *del Lotto*, ne denique magos, ſortilegos, incantatores, divinatores, alioſque nebulones, aut de damnatis, vaniſque hujuſmodi artibus exercendis ſuſpectos conſulat, ſeu illorum opera quomodolibet utatur ſub gravioribus pœnis cum a jure ſtatutis, tum arbitrio noſtro irrogandis.

Qui

(1) *Syn. de Comit. tit. 16. de Aſte decr. 13. Alanenſ. p. 1. c. 5. n. 1.*
(2) *Syn. Mancinſ. loc. cit. n. 2.*
(3) *Conſt.* Cœli, & Terræ Creator 5. *Jan.* 1585.
(4) *Syn. Mancinſ. loc. cit. ex Concil. Mechlinienſ. II.*
(5) *Syn. de Comit. loc. cit. c. 2. Mancinſ. n. 3.*

Qui autem eo improbitatis devenerit, ut Dæmonem adorare, vel expreſſe invocare ad auxilium ſibi ferendum non ſit veritus, aut Sacramentis, Sacramentalibus, aliiſve ſacris rebus, aut verbis abuſus fuerit ad ſuperſtitioſa, meminerit, ſe a nemine, præterquam a nobis abſolutionem hujus criminis juxta Prædeceſſorum noſtrorum ſanctiones (1) conſequi poſſe.

TITULUS V.

De Uſuris, & illicitis Contractibus.

USuræ vitium, quo nihil turpius, Chryſoſtomo teſte (2), nihil crudelius, quodque nullis hactenus divinarum, humanarumque legum repagulis coerceri ſatis potuit, quin perſæpe in pauperum perniciem, ac deſolationem erumpat, Paſtoralem noſtram ſollicitudinem ceſſare non patitur, quominus illud, quantum a Deo datum fuerit, reprimere satagamus. Neque vero aures præbendæ ſunt ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant, inanem de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri qualibet ratione tribuitur, fructus aliquis comparetur (3). Conſtat enim ex una parte, vitium hoc varias formas, atque ſpecies induere, ut Fideles Chriſti ſanguine reſtitutos in libertatem decipiat, atque in laqueum Diaboli, ejuſque ſervitutem rurſus impellat; ex altera vero apertiſſimum intercedere diſcrimen fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque Foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur (4).

Ut

(1) *Tabella Caſ. reſervat. ut in Synodis hujus Diœceſ.*

(2) *Homil. 5. in Matth. in fin.*

(3) *Bened. XIV. Conſtit.* Vix pervenit 1. *Novemb.* 1745.

(4) *Bened. XIV. Conſtit. cit.*

Ut autem certa ab omnibus teneatur de uſuris doctrina, atque haud difficile pateat, an fructus, qui ex pecunia alteri tradita percipitur, legitimus ſit, necne, ſanctæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV. (1), accitis in conſilium graviſſimis, peritiſſimiſque viris, ſententias quaſdam, quod Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plura ſacrarum Litterarum teſtimonia, Pontificum decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas ad eaſdem comprobandas pene conſpirare videantur, Apoſtolica auctoritate probavit, & confirmavit, omnibuſque Italiæ Epiſcopis per Encyclicas litteras innoteſcere voluit, eo etiam fine, ut nihil omnino in Synodis alienum ab iis ſententiis proferatur.

Optimum igitur factu judicamus, ſententias ipſas hic exſcribere, ut ob omnium oculos, præſertim vero Parochorum, Confeſſariorum, eorumque, qui verbum Dei miniſtrant, continuo verſentur. Sunt autem ſequentes.

I. *Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem lucrum aliquod ipſius ratione mutui ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.*

II. *Neque vero ad iſtam labem purgandam ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime ſit impen-*

(1) *Ibidem.*

penſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati, atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt, in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. *Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus recte collocari, & impendi ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negociationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.*

IV. *Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum abſit), at certe ad aliam verum injuſtitiam reſtituendi onus pariter afferentem ſpectare compertum eſt: ita ſi rite omnia peragantur, & ad juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus, & ratio ſuppetat humana commercia, & fructuoſam ipſam negociationem ad publicum commodum conſervandi, ac frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment; cum contra ex ipſo oraculo divino diſcamus, quod* juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit Populos peccatum.

V. *Sed*

V. *Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo divinis documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo ſimplici, ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente:* Volenti mutuari a te ne avertaris: *& quod ſimiliter multis in circumſtantiis præter unum mutuum alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo juſtus alius titulus, vere ne juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.*

Nemo itaque in hac noſtra Diœceſi quidquam his ſententiis contrarium docere, aut conſulere audeat, ne pœnis fiat obnoxius per ſacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint, ac violaverint (1).

Præterea ejuſdem Summi Pontificis monitis (2) obſequentes Fideles omnes nobis a Deo commiſſos, ac præſertim Mercatores, qui Urbem hanc noſtram negociationibus, commerciiſque florentem frequentes incolunt, ſerio monemus, ut cum pecuniam ſuam collocare volunt, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, conſilium expoſcant. Quo vero ab omni

(1) *Bened. XIV. Conſtit. cit.* (2) *Ibidem.*

omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtent, contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent: Hæc enim magnopere conferunt non modo ad animi ſollicitudinem, & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in Foro externo comprobandum, multiſque diſputationibus aditum intercludendum.

Illi autem, *qui viribus ſuis*, verba ſunt prælaudati Pontificis (1), *ac ſapientiæ ita confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam ſacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant. Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent tamquam illicitam, & cum uſura conjunctam: contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcumque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent.*

Quumque idem ſapientiſſimus Pontifex in aureo ſuo Opere *de Synodo Diœceſana* (2) de quibuſdam uſitatioribus contractibus egregie pro more diſſeruerit, oſtenderitque, an, & quando uſuræ labe, aut ſuſpicione infecti eſſe queant; ab ejus doctrina, tamquam probatiſſima ne recedant, qui de hujuſmodi contractuum honeſtate conſilium ferre debebunt. In eum finem quæ de contractu *Cambii* in hac Urbe frequentiſſimo ibidem (3) ille habet in vulgarem ſermonem translata, ad calcem Synodi (4) edi voluimus una cum percelebri Epiſtola Paſtorali Cardinalis de Aſte Prædeceſſoris no-

N n ſtri

(1) *Ibidem*.
(2) *Lib. 10. c. 5. & ſeqq.*
(3) *Cap. 5. cit. n. 7. ſeqq.*
(4) *In Append. n. XX.*

Digitized by Google

ſtri ſuper illicitis contractibus ab ipſo Benedicto XIV. eo loco cum laude commemorata; quæque nedum ab aliis Prædeceſſoribus noſtris (1), ſed ab alienis etiam Epiſcopis (2) digna exiſtimata fuit, quæ ſuis Synodalibus Conſtitutionibus insereretur.

Ab hujuſmodi quoque tutiſſimis viis non devient Mercatores, Proxenetæ, aliive quilibet, dum eorum nomine, aut opera contractus inſtituuntur, pecuniaque ad quæſtum collocatur, ut procul abſit ab eis uſura, & dolus. Notarios præſertim cum Prædeceſſoribus noſtris (3) graviſſime commonemus, ut eidem viæ inſiſtant, neque contractus ullos non modo aperte uſurarios, ac prohibitos, ſed etiam latente, ac palliata uſura, illicitiſve pactis vitiatos ullo modo conſcribant ſive per publica Inſtrumenta, ſive per privatas Apochas. Secus tam in ipſos, quam in Partes contrahentes, mediatores etiam, ac teſtes pœnis per ſacros Canones, & in Edicto almæ Urbis (4) conſtitutis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis diſtricte animadvertemus (5).

TITULUS VI.

De Caſibus reſervatis.

QUoniam, docente Tridentino (6), magnopere ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinet, atque ita ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur: veterem hunc, & laudabilem morem ſecuti Prædeceſſores noſtri crimina quædam, nonnullaſque cenſuras Synodali decreto (7) ita ſuo reſervarunt judi-

(1) *Syn. Maſſai pag.165. Mancinſ. pag.73. In Append.*

(2) *Syn. Urbini 1753. Foroſempron. 1777.*

(3) *Syn. de Aſte Decr. 31. Mancinſ. p. 3. c. 6. num. 7.*

(4) *Edict. gener. Urb. §. 30. & 31.*

(5) *Syn. de Aſte loc. cit.*

(6) *Seſſ. 14. c. 7. de Sacr. Pœnit.*

(7) *Vide præſertim Syn. Mancinſ. p. 2. c. 3. num. 6.*

judicio, ut nemini ex Sacerdotibus liceret ſine peculiari Epiſcopi, aut Vicarii generalis licentia ea peccata, ſeu cenſuras relaxare. Illorum veſtigia & nos ſequentes Catalogum hic damus caſuum ejuſmodi nobis reſervatorum, a quibus (excepto mortis articulo, & cum ægrotis ſanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum miniſtrandum eſt) nulli Confeſſario, Sæculari, aut Regulari, approbato, aut approbando abſolvendi ſit poteſtas ſine ſpeciali delegatione. In hoc autem Catalogo eos fere caſus comprehendimus, qui alias per eorumdem Deceſſorum noſtrorum Synodales leges, longoque jam uſu Epiſcopali Sedi erant reſervati, nonnulla ad eius faciliorem intellectum explicatius declarantes.

CASUS RESERVATI.

I. Adoratio, vel invocatio Dæmonis expreſſa: abuſus item ſacrarum rerum, aut verborum ad ſuperſtitioſa (1).

II. Inceſtus inter Cognatos ſpirituali cognatione, ac etiam carnali in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, ac in primo affinitatis dumtaxat.

III. Fornicatio, & quicumque actus impudicus cum Judæis, aliiſque Infidelibus Baptiſmo carentibus (2).

IV. Adulterium, cui præceſſerit adulteræ vel dotatio, vel dotis, aut collocationis in Matrimonium procuratio ab adultero eo fine facta, ut facilius poſſet eadem muliere carnaliter abuti: quoad maſculum tantum.

V. Sodomia tum activa, tum paſſiva ſive inter maſculum, & maſculum, ſive inter maſculum, & fœminam.

VI. Beſtialitas.

VII. Lenocinium Viri in Uxorem, & Parentum in Filias.

 VIII. De-

(1) *Vide ſupra Tit. IV. hujus Part.* (2) *Vide ſupra Tit. I. hujus Part.*

Digitized by Google

VIII. Detentio Infantium, qui annum non expleverint, ſecum in lecto ſine repagulo, vel alio inſtrumento tollente periculum ſuffocationis quoad Matres, aut Nutrices.

IX. Homicidium voluntarium.

X. Procuratio abortus fœtus tam animati, quam inanimati, etiam non ſecuto effectu: animati vero, effectu ſecuto, habet adnexam excommunicationem nobis reſervatam ex Conſtitutione Gregorii XIV.

EXCOMMUNICATIONES.

Ipſo facto incurrendæ, & reſervatæ.

I. Contra Miniſtros quoſcumque ſacri Montis Pietatis res oppignoratas quacumque ex cauſa, præterquam venditionis, aut reſtitutionis a Monte extrahentes, ſeu extrahi permittentes ſine noſtra licentia.

Meminerint etiam omnes ſupradicti Montis Officiales; ſe incidere in excommunicationem latæ ſententiæ, Summoque Pontifici reſervatam, ſi in alios, quam pauperum uſus juxta modum, & formam in erectione Montis præſcriptam pecunias Montis diſtrahant, ſeu de illis ſub quovis prætextu, vel quæſito colore, etiam cum obligatione intra quodcumque breve tempus reſtituendi diſponere præſumant (1).

8. Non ſi ſcordi di fare l'uffizio di Medico , inſegnando ai Penitenti i migliori rimedj per liberarſi dalle colpe , e per incamminarſi alla perfezione , additandoli i mezzi più pratici , mentre gli ha avanti di ſe in una buona diſpoſizione , ed il terreno è totalmente preparato per ben ricevere quella ſemente , che vorrà ſpargerſi .

9. Ne' caſi dubbj non riſolva da ſe medeſimo , nè ſi fidi del proprio giudizio , ma prenda tempo ad effetto di conſigliarſi , eſſendo talvolta pur troppo neceſſario ſtudio maggiore ne' caſi particolari anche a' Confeſſori dotti .

10. Uſi

Digitized by Google

10. Uſi ogni poſſibile induſtria per aſſicurarſi del dolore, e propoſito, perchè l'aſſoluzione non ſia indarno, e ſuggeriſca i motivi più gagliardi per eccitarlo, quando ne dubitaſſe, con fare poi, che il Penitente dica, che s'accuſa di tutti i peccati già eſpoſti, ad effetto che il dolore preceda la Confeſſione.

11. Incontrandoſi in anime ſcrupoloſe, le indirizzi per la via della ubbidienza, le conſoli con paterna carità, e ſi ſerva de' rimedj, che dai Dottori s' inſegnano per liberarle; Siccome, ove foſſero bene inclinate, le inſegni la via di meglio perfezionarſi. Univerſalmente poi avviſi a far l' eſame della coſcienza ogni ſera per facilitare le Confeſſioni, come pure l'uſo dell' orazione, e frequenza de' Sagramenti.

12. Non traſcuri ſpecialmente ad alcune ſorti di perſone chiedere, ſe ſono pagati gli Operaj, ſe ſi laſcia la ſoddisfazione de' proprj debiti, ſe i pubblici intereſſi ſi trattano con eſattezza in conformità de' giuramenti, ſe i Figliuoli ſi educano bene, e ſe ſi ha la dovuta cura alla Famiglia sì nello ſpirituale, come nel temporale.

13. Quando vi ſono Penitenti, che frequentano ſpeſſo, e maſſime più volte la ſettimana i Sagramenti, ſia cura del Confeſſore oſſervare il loro profitto nello ſpirito, lo ſtaccamento dalle vanità, e converſazioni inutili; potendoſi per altro non eſſere così facile nel concedere tali licenze ſenza queſto profitto, mentre non vedendoſi quell' attaccamento, ed amore al Signore, che ſi ſuole dal diviniſſimo Sagramento ricevere, quando ſi frequenta con divozione, vi è occaſione di temere, che da queſt'anime non ſi faccia colle dovute diſpoſizioni, e ciò maſſime nelle femmine, che ſogliono eſſere più facili in queſta frequenza.

14. Nell' impoſizione della penitenza ſi facciano le debite oſſervazioni a quelle, che devono eſſere medicinali, ed alle ſoddisfattorie, tenendo in queſte una regola di mezzo fra il rigore, e la dolcezza, e piuttoſto inclinando a queſta, quando il Penitente ſia ben diſpoſto, e contrito.

Dopo la Confeſſione.

1. SI potrebbe fare un poco di eſame diligente ſopra la maniera tenuta con proporre l'emenda di que' difetti, ne' quali ſi foſſe incorſo.

2. Si tenga una diligentiſſima cuſtodia del Sigillo Sagramentale, non parlando di coſa veruna appartenente alla Confeſſione nemmeno in generale, e de' ſucceſſi in Paeſi lontani, eſſendo coſa non mai ben fatta, e ſpeſſiſſime volte molto pericoloſa. Non chiedere, nè prendere dai Penitenti elemoſine di Meſſe, nè altro, come ſi è detto di ſopra.

3. E per fine ſi poſſono leggere gli avvertimenti di S. Carlo ai Confeſſori, già diſtribuiti per oſſervarli, e raccogliere lo ſpirito proprio ad un Miniſtro di sì gran Sagramento.

Num.XIII.

Num. XIII.

Catalogo delle Feſte de' SS. Protettori delle Terre, Caſtella, e altri Luoghi della Dioceſi d'Ancona, da oſſervarſi di Precetto ne' Luoghi medeſimi, benchè alcune di eſſe non ſiano comandate dalla Chieſa.

Camerano.	S. Gio: Battiſta.	24. Giugno.
Camerata.	S. Caterina Vergine, e Martire.	25. Novembre.
Caſtero.	S. Rocco Confeſſore.	16. Agoſto.
Caſtel d' Emilio.	Il Patrocinio di S. Giuſeppe.	Dom. III. dopo Paſqua.
Caſtel Ferretti.	S. Andrea Apoſtolo.	30. Novembre.
Caſtro.	La Viſitazione di Maria.	2. Luglio.
Falconara.	S. Gio: Battiſta.	24. Giugno.
Gallignano.	S. Bartolomeo Apoſtolo.	25. Agoſto.
Grancetta.	La Concezione di Maria.	8. Decembre.
Gugliano.	S. Anaſtaſio Martire.	22. Gennaro.
Mallignano.	S. Margherita Vergine, e Martire.	20. Luglio.
Monte Acuto.	SS. Filippo, e Giacomo Apoſtoli.	1. Maggio.
Monte Sicurò.	S. Pancrazio Martire.	12. Maggio.
Paterno.	L'Aſſunzione di Maria.	15. Agoſto.
Poggio.	S. Biagio Veſcovo, e Martire.	3. Febbraro.
Polverigi.	S. Antonino Martire.	2. Settembre.
Sappanico.	S. Ippolito Martire.	13. Agoſto.
Sirolo.	S. Niccolò Veſcovo.	6. Decembre.
Torrette.	S. Antonio Abate.	17. Gennaro.
Varano.	S. Gio: Battiſta.	24. Giugno.
Umana.	S. Gio: Battiſta.	24. Giugno.

Num. XIV.

Synopſis parvi Cæremonialis editi juſſu Benedicti XIII. pro functionibus perſolvendis Fer. V. VI., & Sabbato majoris Hebdomadæ in minoribus Eccleſiis Parochialibus.
Ex Merato Tom. I. Obſervat. in Gavant. P. 4. Tit. 8. ſeqq.

PRO FERIA V. MAJORIS HEBDOMADÆ.

HORA congrua Rector Eccleſiæ Miſſam celebraturus induit ſe paramentis Miſſalibus albi coloris; & interim primus Clericus accendit candelas in Altari majori, aptat Calicem in medio ejus, & retro illum Pyxidem cum Particulis. Deinde idem Celebrans, præcedente primo Clerico, & poſt eum ſe-

cundo cum tertio, manibus junctis procedit tecto capite ad Altare, ubi Miſſam de die celebrabit cum cantu, ſi fieri poteſt, ſine Miniſtris. In eadem Miſſa ultra Hoſtiam conſuetam conſecratur & alia, & Particulæ pro Communione Fidelium, & pro infirmis. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex Abaco ad Altare Calicem vacuum cum Palla, Patena, Velo albi coloris, & vitta ſerica. Idem Celebrans, ſumpto Sanguine, & cooperto Calice, ex quo eum ſumpſit, ponit alterum Calicem a primo Clerico delatum in medio Corporalis, & detegit; deinde genuflectit, & alteram Hoſtiam conſecratam in eo reponit, cooperit Palla, & Patena inverſa, velumque deſuper expandit: quo facto, facit Communionem Clericorum apud Altare juxta morem conſuetum cum debitis genuflexionibus, deinde virorum, & mulierum ad cancellos.

Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit Pyxidem, eamque reponit in Tabernaculo; poſtea proſequitur Miſſam cum iiſdem ritibus, & cæremoniis, ac ſi eſſet expoſitum ſanctiſſimum Sacramentum ad Altare. Sumpta ab eodem Celebrante ablutione digitorum, Calix Miſſæ defertur a primo Clerico ad credentiam. Interim accenduntur Candelæ in Sacello Sepulchri, diſponitur Baldachinum, ſeu Umbella, & diſtribuuntur cerei pro Sodalibus, ſi adſint, vel cultioribus de Populo.

Finita Miſſa, Sacerdos accedit ad medium Altaris, genuflectit, & per viam breviorem deſcendit ad planum Epiſtolæ, ibique per manus Clericorum deponit Planetam, & Manipulum, & accipit Pluviale albi coloris. Sic indutus per anteriorem viam redit ad medium Altaris, ubi flectit utrumque genu; deinde ſtans imponit thus in Thuribulum, miniſtrante aliquo Acolytho, ſine oſculis, & benedictione: tum iterum genuflexus Sacramentum incenſat triplici ductu, poſtea ſumit Velum humerale, adjuvante aliquo Acolytho, & ſurgens aſcendit ad ſuppedaneum Altaris, genuflectit, deinde ſurgit, & ad cautelam firmat velum Calicis ligula ſerica. Accipit deinde Calicem ſiniſtra per nodum, ſubmittens eam velo, & dexteram ponit ſupra Calicem, ſupra quam ſecundus Clericus extendit extremitates ambas Veli humeralis.

Si nulli ſint Cantores, ipſemet Celebrans, facie ad Populum converſa, incipit Hymnum *Pange lingua &c.*, poſtque ſtatim incipit Proceſſio, in qua proceditur ordine ſequenti.

Primo procedunt Sodales, ſi qui ſunt, vel pii viri cum luminibus. Secundo Crux proceſſionalis delata a tertio Clerico. Tertio primus Clericus cum Thuribulo fumigante. Quarto Celebrans ſub Baldachino, vel ſub Umbella, & a ſiniſtris ejus Clericus elevans ejus veſtis anterioris extremitates, dum deſcendit gradus, vel aſcendit, & recitans cum eodem Sacerdote *Pange lingua &c.*, illumque proſequendo.

Cum perventum fuerit ad Sacellum, omnes ſe diſponunt per duas partes, ita ut Celebrans, & Thuriferarius tranſire poſſint per medium illorum; deferens vero Crucem ſiſtet e regione Sacelli. Celebrans aſcendit ad Altare ejuſdem Sacelli, & deponit Calicem ſuper Corporale extenſum in ejus menſa, & deinde deſcendit primum gradum, ac genuflexus in ſuppedaneo deponit Velum humerale. Interim deferentes Baldachinum aſportant illud in locum congruum; tunc Celebrans ſurgens imponit incenſum in Thuribulum ſine benedictione, & ſine

oſculis

oſculis, & utroque genu procumbens, inclinato profunde capite antea, & poſt, Sacramentum incenſat triplici ductu, recitantibus interim Clericis ℣. *Tantum ergo Sacramentum &c.*

Facta incenſatione, ſurgit, & genuflexione iterum facta, poſtea Calicem in Capſula reponit, eamque claudit, deinque deſcendit ad ſecundum, vel infimum gradum, ubi parumper orat: deinde ſurgit, & facta iterum genuflexione ambobus genibus in plano, per breviorem viam recedit, præcedente Cruce, medius inter duos Clericos, & revertitur ad Altare majus; ibique facta genuflexione, aſcendit ad ſuppedaneum, indeque extrahit e Tabernaculo, & defert Pyxidem, in qua ſunt Particulæ, præcedentibus duobus Clericis cum candelis accenſis ad locum, ubi eſt Calix reconditus, vel ad alium locum paratum: quo facto pergit in Sacriſtiam, ubi deponit paramenta alba, ſed non Albam; poſtea accedit in Chorum, ubi incipit, & proſequitur Veſperas ſine cantu, quibus finitis, ſumit Stolam violaceam ſuper Albam pendentem ante pectus, & procedit ita indutus ad denudationem Altaris, adjuvante aliquo Miniſtro, ſeu pluribus, dicens Antiphonam: *Diviſerunt ſibi &c.* & Pſalmum: *Deus, Deus meus, reſpice in me &c.* quem interim Cantores proſequuntur, ſi qui forte adſint.

Denudatis etiam aliis Altaribus, ſi quæ ſunt, redit ante Altare majus, ubi poſt ultimum ℣. Pſalmi, & repetita Antiphona, genuflectit cum omnibus aliis, dum aliquis Clericus dat ſignum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Surgit deinde, & facta genuflexione Cruci cum ſuis Clericis, revertitur in Sacriſtiam, ubi paramenta deponit, & gratias Deo agit.

Curare debet Eccleſiæ Rector, ut aſſidue adſint, qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello Sepulchri, & decens numerus cereorum in eo colluceat.

PRO FERIA VI. IN PARASCEVE.

De principio Officii uſque ad denudationem Crucis.

HOra competenti datur ſignum cum crotalo; Clerici accipiunt Superpellicea in Sacriſtia; Celebrans vero induitur Planeta nigra, & procedit cum iiſdem, ſed ipſe tecto capite, illi vero detecto, ad Altare majus manibus junctis; quo cum pervenerit, ibi procumbit, & orat quaſi ultra ſpatium unius *Miſerere*: interim duo Acolythi, facta cum ipſo brevi oratione, ſurgunt, & facta genuflexione Cruci, ſumunt de credentia Mappam, illamque extendunt ſuper menſam Altaris; deinde unus ex illis ponet Miſſale apertum cum ſuo Cuſſino ſuper cornu Epiſtolæ. Celebrans ad monitionem alicujus Miniſtri ſurgit a procubitu, & amoto per aliquem Clericum Pulvino, aſcendit ad Altare, & oſculatur illud in medio. Accedens deinde ad cornu Epiſtolæ legit primam Lectionem cum Tractu, deinde dicit *Oremus*, & genuflexus cum omnibus ipſemet dicit: *Flectamus genua*, & unus ex Acolythis primo ſurgens dicit: *Levate*, & Celebrans ſubjungit Orationem: *Deus, a quo &c.* Deinde legit ſecundam Lectionem, & Tractum; ac ſucceſſive cantat Paſſionem integre, niſi forte aliquis Diaconus eam decantet, ſicut etiam poſtea cantat in eodem cornu Epiſtolæ monitiones manibus junctis, & Orationes manibus extenſis, ut in Miſſali: ante ſingulas Orationes, octava excepta, idem Celebrans genuflexus, prout faciunt & cæteri,

Digitized by Google

teri, dicit: *Flectamus genua*, & unus ex Acolythis, ut ſupra, dicit. *Levate*. Circa finem Orationum aliquis Acolythus Tapetem explicat, aptat deſuper Cuſſinum, & deinde Velum extendit, ubi eſt collocanda, & adoranda Crux.

De Crucis denudatione, & adoratione.

Dictis Orationibus omnibus, Celebrans in eodem cornu Epiſtolæ Planetam tantum deponit, deinde genuflectit in medio Altaris, & reverenter ipſemet Crucem, quæ eſt inter Candelabra, capit, & primus Clericus accipie Miſſale; poſtea Celebrans accedit ad angulum poſteriorem Epiſtolæ facie verſa ad Populum, & Clerico ſuſtentante Miſſale ante illum, incipit manu dextera detegere ſummitatem Crucis, & ambabus manibus aliquantulum Crucem elevans gravi voce dicit: *Ecce lignum Crucis*; & Clerici eadem voce proſequuntur: *In quo ſalus mundi pependit*, & genuflectentibus omnibus præter Celebrantem, iidem Clerici ſubjungunt: *Venite adoremus*: & ſimiliter omnes ſecunda, & tertia vice peragunt, ut in Miſſali.

Diſcooperta tota Cruce, & pronunciatis tertio prædictis verbis ab omnibus Clericis, unus ex illis ponit lancem a latere ſiniſtro Pulvinaris ad accipiendam oblationem, alter vero Clericus, qui habebat Miſſale, illud reponit ſuper Legile, vel ſuper Cuſſinum, & interim ab alio tertio diſcooperitur Crux proceſſionalis, & aliæ Cruces omnes per Eccleſiam; interim Celebrans deſcendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum, ubi genuflexus eam collocat ſuper velum Pulvino ſuperpoſitum; deinde ſurgit, & facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epiſtolæ, ibique deponit prius Manipulum, deinde calceamenta, Clericis adjuvantibus, & ita excalceatus procedit ad adorationem Crucis; qua tertio adorata, & oſculata, oblataque pecunia, ſurgit, & facta genuflexione, redit ad cornu Epiſtolæ, & ibi in plano Clerici deponunt & ipſi calceamenta ob ſpecialiſſimum cultum, quem hac die S. Eccleſia exhibet Cruci, & poſt Celebrantem ante omnes alios de Populo adorabunt Crucem eo modo, quo Celebrans, & reverſi ad ſua loca calceamenta reſument. Poſt Clericos adorabunt Sodales cum Saccis, ſi adſint, deinde viri, ultimo mulieres, omnes bini, devote, ac graviter. Interim primus Clericus aſſiſtat adorantibus, ſecundus, & tertius accedunt ad Celebrantem, & alta, & clara voce cum eo improperia recitant.

Circa finem adorationis primus Clericus accendit cereos Altaris, ſecundus vero ſucceſſive portat ad Altare Burſam cum Corporali incluſo, & ſuper eam Purificatorium extrahit, & explicat Corporale, & prope illud in parte Epiſtolæ extendit Purificatorium. Tertius vero Clericus transfert Miſſale cum legili, & cuſſino ad cornu Evangelii. Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus; Clerici vero amovebunt tapetem, pulvinar, velum, & lancem, & apponent ignem in Thuribulo, & Celebrans, collocata Cruce, deſcendet ad planum in cornu Epiſtolæ, ubi reſumet Planetam, & Manipulum, & poſtea aperto capite accedet ante Altare.

De

Digitized by Google

De Proceſſione ad Sacellum, & regreſſu ad Altare cum ſanctiſſimo Sacramento.

CElebrante ante Altare commorante, incipitur Proceſſio per breviorem viam ad Sacellum, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, hoc ordine. Præcedunt Sodales, ſi adſint, Confraternitatis, ſive pii viri; deinde Thuriferarius cum navicula, & thuribulo non fumigante; poſtea ſequitur Crux proceſſionalis denudata, & delata a tertio Clerico inter duo Candelabra, ſi adſint, qui ea deferre poſſint; denique Celebrans cum Planeta habens ante ipſum a ſiniſtris ſecundum Clericum. Interim accenduntur cerei dicti Sacelli ab aliquo Miniſtro. Cum pervenerit Celebrans ad dictum Sacellum, facta genuflexione in plano Cappellæ, ſurgit, & poſtea genuflectit in infimo gradu Altaris, ibique orat parumper cum omnibus, deinde ſurgit, aperit Capſulam, genuflectit, deſcendit ad infimum gradum Altaris, vel remanet genuflexus in ſuppedaneo, ut alii volunt, incenſat Sacramentum in Capſula; inde ſurgit, & facta genuflexione, extrahit e Capſula Calicem, quem ponit ſuper Altare; iterum genuflectit, claudit Capſulam, ſi in ea reperiatur Pyxis cum Particulis, alias relinquitur Capſula aperta; & præmiſſa alia genuflexione, deſcendit primum gradum, & genuflexus in ſuppedaneo accipit Velum humerale, & ſurgit, & facta genuflexione, ſtans accipit Calicem, quem ſecundus Clericus dicto Velo cooperit. Celebrans vertens renes Altari, & faciem ad Populum intonat voce alta Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt &c.*, quem cum ſecundo Clerico proſequitur &c. Revertitur Proceſſio ad Altare ordine ſequenti. Primo Sodales, ſeu pii viri cum cereis accenſis; poſt eos Crux proceſſionalis; deinde Thuriferarius continue thuribulum agitans; denique Celebrans ſub Baldachino, vel ſub Umbella habens ſecundum Clericum ante ſe a ſiniſtris.

Cum perventum fuerit ad Altare majus, Sodales, & pii viri remanent extra cancellos, ibique diſpoſiti cereos accenſos uſque ad Officii finem in manibus tenebunt. Crux proceſſionalis reponitur prope credentiam; Baldachinum vero, ſeu Umbella deponitur ante cancellos, & in loco proprio collocatur. Celebrans accedit ad Altare, & Calicem ponit ſuper Corporale, ſoluta vitta appoſita ad cautelam, & velum ejuſdem Calicis extendit, ut fit in initio Miſſæ; deinde genuflectit, ſurgit, Velum humerale deponit, & ſtans thus ſine oſculis, & benedictione in thuribulo ponit, deinde genuflexus ibi in ſuppedaneo, vel deſcendens ad infimnm gradum Sacramentum triplici ductu incenſat adhuc parvo velo tectum.

De reliquo Officio, & Ritu hujus Feriæ.

INcenſato ſanctiſſimo Sacramento, Celebrans ſurgens accedit ad Altare, & genuflectit, deinde amovet velum de Calice, poſtea Patenam, quam invertens ponit ſuper Corporale in medio, poſtmodum removet Pallam, & Calicem accipiens deponit ex eo Hoſtiam ſuper Patenam, cavens, ne illam digitis tangat, & ſi forte tetigerit, lavat digitos ibidem in vaſe ad hoc præparato, & aquam continente (quam poſtea ipſe Celebrans ſumet poſt ſuam Communionem), & digi-

digitos ſtatim extergit; tunc Celebrans reſpective proſequitur omnia, ut in Miſſali diſponitur.

Miniſtrabunt etiam, ſi fieri poteſt, aliqui Sodales alicujus Confraternitatis in ſuo habitu, ut omnia convenientiori modo fieri valeant. Expleto Officio, Celebrans Cotta, & Stola indutus reportabit ad locum paratum Hoſtias, ſeu Particulas contentas in Pyxide pro infirmis e loco, ubi prius erat Calix cum ſanctiſſima Hoſtia, & ſi aliter fieri non poſſit, relinquet ibidem.

Repoſita dicta Pyxide, antequam lampas continuo ardeat, omnes genufle-ctunt, & datur ſignum meridianum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Tandem extinguuntur cerei Altaris, & ab Acolythis omnia reportantur in ſuum locum.

PRO SABBATO SANCTO.

De principio Officii uſque ad Benedictionem Cerei.

Extra portam Clericus cum Cruce ſiſtit ſe in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi verſa ad Celebrantem. Celebrans ante menſam collocatam inter ipſum, & Crucem ibidem ſtans ex Miſſali poſito ſuper legile legens benedicit ignem tribus Orationibus, deinde unica Oratione grana incenſi, quæ dum benedicuntur, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, & ponit in Thuribulo.

Celebrans imponit cum benedictione, & oſculis incenſum in thuribulo, deinde aſpergit ignem, & grana, & eadem poſtea thurificat; idem Celebrans poſt redditum thuribulum Thuriferario deponit Pluviale, & Stolam coloris violacei, & accipit Manipulum, ſtolamque Diaconalem, & Dalmaticam albi coloris; interim ſecundus Clericus cum aliquo ligno ſulphurato accendit candelam de novo igne, & recondit in laterna, & alius Clericus accipit pateram cum granis incenſi. Celebrans iterum ponit incenſum in thuribulo cum benedictione, & oſculis, poſtea accipit arundinem, & proceditur ad benedictionem Cerei ordine ſequenti.

Primo, Clericus cum granis incenſi a dextris, & Thuriferarius a ſiniſtris: ſecundo, tertius Clericus cum Cruce: tertio, Celebrans cum arundine, & alius Clericus cum laterna a ſiniſtris ejus. Clerici cum granis, thuribulo, & Cruce ingrediuntur Eccleſiam, & ſiſtunt, quando Celebrans ingreſſus fuerit januam Eccleſiæ. Celebrans ingreſſus Eccleſiam inclinat arundinem, & accenſa ex candela laternæ, ſive ex ligno ſulphurato una ex tribus candelis arundinis per Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico Cruciferario, & ſic genuflexus clara voce dicit: *Lumen Chriſti*: tum ſurgentibus omnibus, Clerici, ſeu Sodales alicujus Confraternitatis, ſi adſint, reſpondent: *Deo gratias*: & alia vice facit in medio Eccleſiæ, ut in Miſſali, donec pervenerit ad Altare, ut ibi dicat tertia vice: *Lumen Chriſti*, ut ſupra.

De

De Benedictione Cerei.

HIS omnibus peractis, & data arundine alicui Acolytho, ſeu alicui Sodali, Celebrans genuflexus (accepto prius libro de manu alicujus Acolythi, ſeu Sodalis, ut ſupra) ante Altare in infimo gradu, prætermiſſo *Munda cor meum*, dicit tantum: *Jube, Domine, benedicere*, & ipſemet ſubdens dicit: *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis, ut digne, & competenter annunciem ſuum Paſchale præconium*. Deinde ſurgit, & facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile paratum in plano Evangelii hoc ordine. Primo Thuriferarius habens a dextris quartum Clericum cum granis incenſi; ſecundo tertius Clericus cum Cruce habens a ſiniſtris ſecundum Clericum cum arundine; tertio Celebrans cum Miſſali.

Cum pervenerint ad legile ſupradicti, apud illud ſe diſponunt in recta linea, & vertent faciem, ſicut Celebrans, juxta noſtram ſententiam, non ad partem Aquilonarem, ſed ad Meridionalem, & latera ſiniſtra ad Altare, ut facilius Populus audire poſſit præconium Paſchale.

Celebrans, poſito Miſſali ſuper legili, illud apertum incenſat, & poſtea clara, & hilari voce incipit præconium: *Exultet &c.* Ad verba: *curvat Imperia*, infigit grana incenſi, prout in Miſſali; & ad alia verba: *Rutilans ignis*, accendit Cereum ex una candelarum arundinis; ad verba: *Apis mater eduxit*, quieſcit, donec quartus Clericus ex Cereo per candelulam in virga lampadem, vel lampades accendat. Finito præconio, Celebrans claudit Miſſale, ſecundus Clericus firmat arundinem in ſua baſi, tertius deponit Crucem a latere Epiſtolæ, vel eam defert in Sacriſtiam: deinde præcedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a ſiniſtris, ac ſecundo, & tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur Celebrans in Sacriſtiam, ibique depoſitis Paramentis albis, accipit Manipulum, Stolam, & Planetam coloris violacei.

De Prophetiis.

CElebrans ita paratus, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare, & facta Cruci genuflexione, aſcendit, oſculaturque illud in medio, deinde accedens in cornu Epiſtolæ ſuper Miſſali ab aliquo Acolytho ibi aſportato alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, & Tractus genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua*, cui Clericus ſurgens reſpondet: *Levate*.

Si tamen erit numerus ſufficiens Acolythorum, in plano ante Altare cantare poterunt Prophetias, & tunc Celebrans eas ſubmiſſa voce legit; ita etiam, ſi erit Chorus, omnes Tractus cantabit, aliter leget idem Celebrans, ut diximus.

Completa ultima Oratione, Celebrans deſcendit in planum, & facta genuflexione Cruci, procedit ad Scabellum, ſive Credentiam, & ibi deponit Planetam, & Manipulum.

Si Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, Celebrans accipiet Pluviale violaceum; ſi autem Fontem non habet, accedit ſine Caſula ante Altare pro Litaniis, ut infra.

De

Digitized by Google

De Benedictione Fontis.

SI benedicendus ſit Fons Baptiſmalis, primus Clericus amovet cereum accenſum e candelabro, & accedit ante Altare. Tertius Clericus accipit Crucem, & ſimiliter venit ante Altare. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem ſedentem ſuper aliquo Scabello, qui ſurgens incipit alta voce Tractum: *Sicut Cervus &c.*, quem lente proſequitur cum ſuis Clericis.

Inchoato Tractu, dirigitur Proceſſio ad Fontem, factis debitis reverentiis Altari hoc ordine. Primo Clericus cum cereo; ſecundo Clericus cum Cruce; tertio Celebrans medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite Tractum. Cum ad Fontem pervenerit, peragit omnia, & deprimendo vocem, etiamſi non cantet, ut in Miſſali; & ipſemet aſperget Populum de aqua, quam benedixit, ſuo tempore: & baptizat in paramentis albis, ſi aliqui ſunt, quos catechizaverit ante Officium, & in Eccleſiam introduxerit.

De Litaniis, & Miſſa cum Veſperis.

COmpleta Fontis benedictione, incipit Litanias, & revertitur ad Altare, & depoſito Pluviali, procumbit ad Altare, ſi aliquis cantet, vel legat Litanias; ſi vero ipſemet recitat, tunc non proſtratus, ſed genuflexus manet, & eo caſu non dicit in fine: *Kyrie eleiſon*; ſed diſcedit ad veſtiendum ſe pro Miſſa celebranda in paramentis albis; & interim removetur pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod ſub ipſo poſitum fuit, & accenduntur candelæ. Ponitur etiam ab aliquo Acolytho Calix ſuper Altare, & præparatur Miſſale ſuper Cuſſino albo; deinde Celebrans indutus paramentis albis revertitur ad Altare (Clerico præcedente), ante cujus gradus facit confeſſionem de more cum Pſalmo: *Judica me, Deus &c.* Si adſint aliqui Clerici Cantores, ſive Laici, qui ſciant cantare, poterunt cantare *Kyrie eleiſon* (licet reliquum Officium ſine cantu celebratum fuerit); ſin autem non adſit Chorus, ipſe Celebrans, juxta morem facta confeſſione, aſcendit ad Altare, & in ejus medio poſt Orationem: *Aufer a nobis*, dicit immediate *Kyrie eleiſon*, ut alias, cum non legatur introitus. Si hæc Miſſa, ut dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiamſi celebretur ſine Miniſtris ſacris. Finita autem tali incenſatione, Celebrans dicit *Kyrie* in cornu Epiſtolæ, & deinde rediens ad medium Altaris cantat, vel dicit: *Gloria in excelſis*, & pulſantur Campanæ.

Poſt Epiſtolam Celebrans dicit ter *Alleluja* elevando gradatim vocem, & Clerici poſt quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, & Celebrans proſequitur ℣., & Tractum. Reliqua omittit, vel dicit, prout in Miſſali. Loco Antiphonæ *Communio* dicuntur Veſperæ, ut in Miſſali; videlicet Celebrans in cornu Epiſtolæ dicit Antiphonam *Alleluja &c.*, cum Clericis proſequitur Pſalmum *Laudate &c.* & in fine repetitur *Alleluja &c.*, deinde ſubdet Antiphonam: *Veſpere autem Sabbati &c.* cum Cantico *Magnificat*.

Si Miſſa ſit in cantu, ut ſupra, incenſare poterit oblata, & Altare, quod etiam incenſabit ad prædictum canticum *Magnificat*.

Finita

Digitized by Google

Finita Miſſa, Celebrans, præcedente Miniſtro deferente Miſſale, redit in Sacriſtiam de more: minutiores Ritus, & Cæremonias hic omiſimus.

Tandem Celebrans, vel alius Sacerdos paratus Cotta, & Stola alba, ac Velo humerali reponit ſanctiſſimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo ſolito.

Num. XV.

Notificazione dell' Eñio, e Rño Signor Cardinal Buſalini ſopra le Indulgenze delle Stazioni colla pubblicazione del nuovo Decreto della S. Congregazione delle Indulgenze ſu tal propoſito.

Gio: Ottavio del Titolo di S. Maria degli Angeli della S. R. C. Prete Card. Buſalini, per Miſericordia di Dio Veſcovo d'Ancona, e Veſcovo, e Conte d'Umana.

ALla notizia da Noi avutaſi non prima di queſto tempo di un Decreto emanato dalla ſagra Congregazione delle Indulgenze ſin dal dì 9. Luglio dell' Anno proſſimo paſſato 1777., con cui, previa la revoca di altre Indulgenze, vien dichiarato, quali plenarie, e quali particolari ſiano compreſe nelle Indulgenze, che chiamanſi Stazionali, con eſſerſene formato un nuovo Elenco, ci ſiam creduti in dovere di far ſubito pubblicare per regola di queſta Noſtra Città, e Dioceſi il diviſato Decreto collo ſteſſo Elenco ad oggetto, che chiunque preſiede a quelle Chieſe, cui ſono ſtate concedute, nel pubblicarle ai riſpettivi Popoli ſi contengano ſtrettamente ne' termini del riferito Decreto; al qual fine dovranno ritenere ſempre affiſſo nelle riſpettive Sagreſtie un' Eſemplare della preſente Notificazione, e riformare conſeguentemente le Tabelle, che ſoglionſi da taluni eſporre al pubblico in tali circoſtanze coll' indicazione delle medeſime, perchè il tutto ſiegua conſentaneamente al Decreto ſuddetto, e poſſa ciaſcuno ſapere, quali Indulgenze ſi acquiſtino nel viſitare colla debita diſpoſizione ne' giorni aſſegnati quelle tali Chieſe, cui ſono ſtate concedute le dette Indulgenze Stazionali o generalmente per tutti i Fedeli, o riſtrettivamente per i ſoli aſcritti a qualche Confraternita, Congregazione ec.

Non laſciamo qui di eſortare efficacemente ciaſcuno del diletto Noſtro Popolo sì della Città, come della Dioceſi alla Noſtra Paſtoral cura commeſſo a profittare di un tanto ſpirituale Teſoro, procurando di ben diſporſi a conſeguirlo non ſolo con quegli atti di pietà, che vengono a tal' effetto preſcritti, ma eziandio con eccitar dentro di ſe uno ſpirito di fervore, che gli accompagni, e che ſeco porti un tal raccoglimento, ſicchè l' eſterior compoſtezza pur' anche della perſona tanto nello ſtare in Chieſa, quanto nel portarviſi dimoſtri, che non in aria di diporto, come talvolta ſuccede, ma ſpinto da vera divozione vi ſi conduce.

Dato in Ancona dal Palazzo della ſolita Noſtra Reſidenza queſto dì 23. Novembre 1778.

G. Ottavio Card. Buſalini Veſcovo.

Franceſco Silveſtrini Not., e Cancell. Veſcovile.

Y y DECRE-

DECRETUM
SACRÆ CONGREGATIONIS INDULGENTIIS,
Sacriſque Reliquiis præpoſitæ.

Quamvis Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita, cui demandata eſt cura circa rectam, & prudentem Indulgentiarum adminiſtrationem, uſque ab anno 1676. interrogata, quæ eſſent Indulgentiæ Stationum, plenariæ ne, an partiales, dierum, vel annorum, decreverit, Indulgentias Stationales ſimpliciter enunciandas eſſe, non addendo plenariæ illæ ſint, an partiales; attamen cum eidem Sac. Congregationi poſtmodum innotuerit, nonnullos etiam Eccleſiaſticos Viros, atque Eccleſiarum Rectores allato Decreto minime acquieſcentes diverſimode interpretatos fuiſſe Indulgentias Stationales; quarum Elenchi typis editi mire inter ſe diſcrepantes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit, plurima originem duxiſſe inter Fideles diſſidia, abuſus, & ſcandala: hinc, ut iſta penitus amoveantur, utque Chriſtifideles ſcire poſſint, quid ſibi Indulgentiarum in hujuſmodi Stationibus obeundis conceſſum ſit; Sacra eadem Congregatio habita in Palatio Quirinali die 7. Julii 1777., re, prævio diligenti, ac maturo examine, diſcuſſa, fuit in Voto: Conſulendum Sanctiſſimo, prævia revocatione aliarum Indulgentiarum pro conceſſione Indulgentiæ plenariæ in aliquibus Feſtis ſollemnibus: partialis vero in reliquis, ad normam earum, quæ conceduntur in Cappellis Pontificiis: *videlicet*.

IN QUADRAGESIMA.

IN Feria IV. Cinerum, & Dominica IV. Indulgentia quindecim Annorum, totidemque Quadragenarum.

Dominica Palmarum vigintiquinque Annorum, totidemque Quadragenarum.

Fer. V. in Cœna Domini plenaria.

Fer. VI. in Paraſceve, & Sabbato Sancto triginta Annorum, totidemque Quadragenarum.

In Reliquis, tam Dominicis, quam Feriis decem Annorum, totidemque Quadragenarum.

IN PASCHATE RESURRECTIONIS D. N. J. CHRISTI.

In Dominica Indulgentia plenaria.

In duobus aliis diebus feſtis immediate ſequentibus, & per totam Octavam uſque ad Dominicam in Albis incluſive, quotidie triginta Annorum, totidemque Quadragenarum.

DIE ASCENSIONIS.

Indulgentia plenaria.

IN

Digitized by Google

IN PENTECOSTE.

In Sabbato ante Dominicam decem Annorum , totidemque Quadragenarum .

In Dominica , & aliis infra octavam diebus uſque ad Sabbatum incluſive, quotidie Indulgentia triginta Annorum , totidemque Quadragenarum .

IN DOMINICIS ADVENTUS.

In Dominica I. II. & IV. Indulgentia decem Annorum , totidemque Quadragenarum .

In Dominica III. quindecim Annorum , totidemque Quadragenarum .

IN NATIVITATE D. N. J. CHRISTI.

In vigilia , Nocte , ac Miſſa Auroræ Indulgentia quindecim Annorum , totidemque Quadragenarum .

In die Indulgentia plenaria .

In ſubſequentibus tribus feſtis diebus, &

In Circumciſione , ac Epiphania Domini , necnon

In Dominicis Septuageſimæ , Sexageſimæ , & Quinquageſimæ Indulgentia triginta Annorum , totidemque Quadragenarum .

In tribus Feriis quatuor Temporum decem annorum , totidemque Quadragenarum .

In feſto S. Marci Evang. , ac tribus Feriis Rogationum Indulgentia triginta Annorum , totidemque Quadragenarum .

Factaque de his omnibus per me infraſcriptum ejuſdem Sac. Congregationis Secretarium relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro in Audientia die 9. Julii 1777. , Sanctitas Sua ipſius Sac. Congregationis Votum benigne approbavit , illudque cum novo Indulgentiarum Stationalium præinſerto Elencho publicari mandavit , non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque .

Datum Romæ ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum . Die , & Anno præfatæ Audientiæ .

L. Card. Calinus Præfectus.

Loco ✳ Sigilli .

Julius Cæſar de Somalia Sac. Congr. Indulg. Secr.

Num. XVI.

Regolamento da oſſervarſi in ſeguito dell' antichiſsima conſuetudine circa il pagamento delle Decime nella Città, e Dioceſi d' Ancona.

I. IN *Città* quei, che poſſiedono o in proprietà, o in affitto, o anche a ſemplice Colonia uno, o più Terreni, dai quali ſi raccolga moſto, ſia in molta, ſia in poca quantità, pagheranno per Decima un ſolo Barile di moſto, cioè un terzo di Soma, che è formata da Boccali cinquantaquattro della miſura Anconitana; benchè il Terreno, o i Terreni foſſero ſottopoſti a Canoni, Penſioni, Cenſi, o qualunque altro gravame. Quelli poi, che non poſſiedono, come ſopra, Terreni di tal ſpecie, pagheranno ſolamente un *Carlino Romano*, cioè Bajocchi ſette, e mezzo.

II. *Fuori di Città*, eſſendo diverſa la conſuetudine delle riſpettive Parrocchie circa il pagamento delle Decime non ſolo riguardo alle varie claſſi di Perſone, che le debbon pagare, ma anche riſpetto alla qualità, e quantità delle medeſime; ciaſcuno dovrà uniformarſi alla conſuetudine vigente nella Parrocchia, in cui abita, maſſime ove foſſe corroborata da Capitoli, o Concordati fatti con legittima autorità.

III. Siccome però tanto nella Città, quanto fuori di eſſa la Decima non ſuol pagarſi per ogni *perſona*, o *teſta*, ma ſolamente per ogni *Famiglia*, o *focolare*: così ſe i Figli, o altri Diſcendenti per linea retta conviveranno co i loro Padri, o Aſcendenti, ſi pagherà per tutti una ſola Decima, quantunque i Figli aveſſero il proprio Peculio Caſtrenſe, o quaſi, oppure avventizio. Ma ſe i Figli viveranno ſeparatamente, di modo che formino una diverſa Caſa, e Famiglia, pagheranno tante Decime, quante formano Caſe, e Famiglie diverſe (1).

IV. Lo ſteſſo ſi oſſerverà dai Servitori, e Serve, i quali allora ſolamente pagheranno la Decima, quando formeranno Caſa, e Famiglia propria, e per conſeguenza diverſa da quella de' loro Padroni.

V. Quanto ai Fratelli, e altri Congiunti traſverſali, ſe viveranno unitamente nella ſteſſa Caſa, ſenza eſſer mai venuti alla diviſione dei Beni, pagheranno una ſola Decima. Ma ſe non viveranno unitamente, benchè i Beni foſſero ancora indiviſi, ciaſcuno che vive ſeparatamente, pagherà la ſua Decima. Similmente ſe avranno diviſi i proprj Beni, di modo che ciaſcuno amminiſtri, e, come ſuol dirſi, riconoſca il ſuo, benchè conviveſſero nella ſteſſa Caſa, o alla ſteſſa Menſa, ognuno, che nella diviſione avrà avuta la porzione ſeparata, pagherà la ſua Decima. Il che molto più dovrà oſſervarſi da quelli, che non eſſendo congiunti, viveſſero inſieme nella ſteſſa Caſa, e alla ſteſſa Menſa (2).

VI. *Fuori di Città* rapporto a quelli, che coltivano più di un Podere, ſi oſſerveranno le diſpoſizioni Sinodali di Monſig. Luigi Galli (3), e della ch.mem. del Sig. Card. Gianniccola Conti (4), per le quali reſta deciſo, che chi coltiva

più

(1) *Vide Card. de Luca de Decim. diſc. 22., & de Regal. diſc. 96.*
(2) *Vide Card. de Luca de Decim. loc. cit.*
(3) *Syn. Galli 1627. tit. 16., & IV. 1654. cap. 24.*
(4) *Syn. Card. de Comit. tit. 25. cap. 4. & 5.*

Digitized by Google

più Poſſeſſioni, Campi, o Vigne, benchè dello ſteſſo Padrone, in ciaſcuna delle quali ſia, o ſia ſtata Caſa pel Colono, paghi tante Decime, quante ſono, o ſono ſtate le Caſe, quando però non foſſero Caſuppole fabbricate di Strame, o Paglia, per le quali ſi dovrà pagare ſolamente la Decima, finchè ſaranno abitate. Chi poi coltiva, come ſopra, più Poſſeſſioni, quantunque di diverſi Padroni, nelle quali non ſia mai ſtata Caſa per il Colono, paghi una ſola Decima; purchè non vi foſſe una contraria conſuetudine in favor della Chieſa, che dovrà onninamente oſſervarſi.

VII. Finalmente tanto in Città, quanto in Diòceſi niuno, benchè aſcritto alla milizia Eccleſiaſtica, o Secolare, o per qualunque altro titolo, o preteſto potrà pretendere eſenzione dal pagamento delle Decime, ſe non avrà a favore di tal' eſenzione prove legittime, e del tutto conchiudenti.

Num. XVII.

Laudo, ed Arbitramento dell' Em̃o, e R̃mo Sig. Card. Buſalini ſopra alcune differenze tra il Capitolo della Cattedrale, ed i Parrochi della Città riſguardanti le Tumulazioni, e i Funerali.

Giovanni Ottavio del Titolo di S. Maria degli Angeli, della S.R.C. Prete Cardinale Buſalini per Miſericordia di Dio Veſcovo d'Ancona, e Veſcovo, e Conte d'Umana.

DAcchè piacque alla Provvidenza Divina di appoggiare alla noſtra debolezza, e inſufficienza il Governo di queſta illuſtre ſua Chieſa, non fu l' ultimo certamente de' noſtri penſieri quello di ſedare, e ricomporre le controverſie già inſorte fra il Capitolo della noſtra Cattedrale, e i Parrochi di queſta Città, che al noſtro arrivo trovammo giudizialmente dedotte, e ventilate in tempo dei noſtri Anteceſſori tanto in queſta Curia Veſcovile, che ſucceſſivamente nei Tribunali di Roma, dov' era attualmente pendente l'appellazione interpoſta dal noſtro Capitolo avanti la Rota.

A queſto fine non laſciammo di eſortar Noi medeſimi le Parti intereſſate a ſoſpender frattanto il proſeguimento di queſta lite, la quale alterando agli occhj almeno del Pubblico la reciproca corriſpondenza, e buona armonia fra i noſtri primarj Eccleſiaſtici, non poteva non altamente turbare, e commuover Noi, che anche a ragione del noſtro uffizio ſiamo prima di ogni altro obbligati a promuoverla, e a conſervarla. E aſſicurata che aveſſimo queſta ſoſpenſione, ci facemmo dipoi anche intendere, che per iſtabilire una ferma, e durevole concordia fra loro, avreſſimo preſe ben volentieri le parti di Mediatore, di Arbitro, e di Giudice, eſaminando, riſolvendo, e determinando non ſolo la principal Controverſia già dedotta, e diſcuſſa in Giudizio ſopra il preteſo Diritto di ſeppellire i Cadaveri dei Foreſtieri, che muojono in queſta Città, e ſopra l' emolumento della Quarta Funerale, ma ancora tutti gli altri capi di differenze, che vertevan fra loro ſu queſta materia delle Tumulazioni.

Lo

Lo ſpirito di moderazione, di docilità, ed anche di deferenza verſo di Noi, che regna in ambedue queſti Corpi, gli fece corriſpondere con egual compiacenza, e prontezza a queſta noſtra eſibizione, come gli aveva già fatti arrendere alle precedenti noſtre inſinuazioni di ſoſpendere ogni atto ulteriore di formale litigio; e ce ne diedero eſſi una teſtimonianza ben' ampia in due diverſi Fogli, ſegnato l'uno per parte del noſtro Capitolo, e ſottoſcritto l'altro dai medeſimi Parrochi, il contenuto dei quali non ſolo ci autorizza pieniſſimamente a riſolvere, ultimare, e decidere giuſta il noſtro prudente arbitrio, e giudizio tutte le diverſe loro pendenze, ma ci convince ancora della ſingolare amorevolezza, e filiale attaccamento, che hanno per Noi, e per effetto dell' una, e dell'altro ci fa comparire al Mondo in un' aſpetto ben vantaggioſo, e in conſeguenza tutt'altro di quel, che ſiamo.

La Viſita Paſtorale di queſta Città, in cui eramo fin d'allora occupati, e le altre diverſe cure del noſtro Miniſtero non ci hanno ſe non che ultimamente permeſſo di dare una più ſeria, e più fiſſa applicazione al disbrigo di queſto affare, che e per la propria natura, e per la complicazione degli altri ſubalterni oggetti, che involge, eſigeva da Noi tutta la maggiore avvertenza, e accuratezza. Che però dopo aver ponderate le ſentenze emanate, e riconoſciuti i fondamenti legali dall'una, e dall'altra parte dedotti, dopo avere eſaminate maturamente le ſubalterne differenze non per anche eſpoſte in Giudizio, e dopo aver finalmente ſentiti anche in voce i riſpettivi Deputati sì del Capitolo, che del ceto dei Parrochi, comunicando anche loro il noſtro ſentimento ſoprà ogni punto di controverſia, abbiamo riſoluto, determinato, e deciſo nella maniera, che ſiegue.

I. Che in virtù del Laudo, e Arbitramento preſente s' intenda interamente receduto dalla Lite, e rinunziato dall'una parte, e dall' altra alle Sentenze emanate tanto nella noſtra Curia, che nel Tribunale dell'A. C., ed a qualunque appellazione interpoſta, e che ſi abbiano ancora per reciprocamente condonate, e rimeſſe tutte, e ſingole ſpeſe fatte all'occaſione della Lite medeſima, a qualſivoglia ſomma eſſe aſcendano, veruna eccettuata; come altresì tutti gli emolumenti funebri, che in qualunque quantità, e qualità ſi foſſero vicendevolmente percetti, alla riſerva di quelle ſole Quarte Funerali ritenute in forma di depoſito dal Capitolo della noſtra Cattedrale, pendente la lite, le quali dovranno liberamente conſegnarſi ai riſpettivi Parrochi in ſeguito di queſto Laudo.

II. S' intenda riſpetto al Dritto di Parrocchialità, che qualunque Eſtero, il quale venendo in Ancona acquiſti in proprietà Caſe, o Terreni nella Città, o ſuo Territorio, debba riputarſi domiciliato, e in conſeguenza ſubito, pienamente, e a tutti gli effetti ſoggetto alla Parrocchia, in cui abita. Lo ſteſſo ancora dovrà intenderſi riſpetto a quegli Eſteri, che venendo in queſta Città vi prendono Caſa a pigione per due, o più meſi, o che ſono condotti, e ſtipendiati dalla Comunità, o da altri Particolari in ſervizio pubblico, o privato, oppure che quì vengono per iſtruirſi, o per impiegarſi, come ſarebbero, a cagione di eſempio, i Medici, i Chirurghi, i Maeſtri di Scuola, i Cappellani, ed altri Sacerdoti addetti alla celebrazione di Meſſe, o ſervizio di Chieſe, i Miniſtri, Fattori, ed altri inſervienti, e ſalariati, i Giovani di Banco, o di Mercatura, o di Bottega, i Soldati, i Scolari, i Praticanti, gli Operaj, ed altri ſimili, i quali

Digitized by Google

i quali venendo in queſta Città per tali, o ſomiglianti oggetti moſtrano così l'animo di rimanervi un qualche notabile ſpazio di tempo, e conſeguentemente devono conſiderarſi fin dal principio per veri abitanti, e domiciliati, ed eſſere perciò ſubito totalmente ſoggetti a quella tal Parrocchia, in cui abitano.

III. Che s' intendano eccettuati da queſta Regola il Veſcovo *pro tempore*, il ſuo Vicario Generale, e le Dignità, e Canonici della noſtra Cattedrale; come altresì s' intendano eccettuati i Signori Cardinali, il Prelato Governatore, il Governatore dell'Armi della Provincia, e il Colonnello della Città, ancorchè ſiano nativi, e riſpettivamente domiciliati, dovendo anche queſti o per ragione della Dignità, ò per quella dell' Uffizio eſſere ſepolti nella Chieſa Cattedrale, ſe non diſpongono diverſamente; ſalva però ſempre ai riſpettivi Parrochi del Domicilio la Quarta Funerale, anche nel caſo di elezione d' altra particolar Sepoltura, alla riſerva del Funerale dei Veſcovi *pro tempore*, per cui la Quarta ſuddetta non ſarà mai dovuta al Parroco del Domicilio, conforme è ſtato anche deciſo da Monſignor A.C. Antamori li 4. Febbraro 1764. con Sentenza ſpedita per gli Atti del Notaro Lancioni, paſſata già in *Coſa giudicata*.

IV. Che tutti gli altri Eſteri, i quali venendo in queſta Città non acquiſtano in eſſa, o nel ſuo Territorio Caſe, o Terreni in proprietà, e dominio, o non vi prendono per due, o più meſi caſa a pigione, o non hanno ſervizio pubblico, o privato di qualunque ſpecie, e natura, o che non vengono per iſtruirſi, o per impiegarſi, o non ſono Giovani di Banco, o di Mercatura, o di Bottega, oppure Soldati, Scolari, Praticanti, Operaj, ed altri ſimili di ſopra eſpreſſamente nominati, o virtualmente compreſi, debbano conſiderarſi per Pellegrini, ſe tali veramente ſono, oppure per meri Viandanti, e Paſſeggieri, ancorchè vengano per ragione di Mercatura, e Negozio, oppure per cauſa di Lite, o altro intereſſe, e motivo; e però come tali, la tumulazione dei loro Cadaveri appartenga alla noſtra Cattedrale, e non alla Chieſa Parrocchiale, nel Diſtretto di cui morranno, ſeppure con la loro precedente dimora, continuata per un certo ſpazio di tempo non aveſſero già contratto col fatto proprio della effettiva loro permanenza una ſpecie di Domicilio, che non avevano in animo di contrarre alla loro venuta in queſta Città, e in conſeguenza contratta ancora una piena ſoggezione, e dipendenza Parrocchiale anche all'effetto della Tumulazione.

V. Che per troncare ogni diſputa, e prevenire qualunque dubbiezza riſpetto al tempo della precedente dimora, che farà contrarre una ſpecie di Domicilio a queſti tali Pellegrini, o meri Viandanti, e Paſſeggieri, s' intenda, che venendo queſti a morire ſenza elezione di Sepoltura dentro il termine di quaranta giorni della loro continuata permanenza in queſta Città, da computarſi però riſpetto alle Perſone ſoggette alla contumacia dal giorno, in cui l'avranno terminata, rimangano ſoggetti, riſpetto la Tumulazione dei loro Cadaveri alla noſtra Cattedrale, o ſue Chieſe Ceſſionarie, e venendo poi a mancare ſenza elezione di Sepoltura, dopo il ſuddetto termine di quaranta giorni di loro continuata dimora, da computarſi però, come ſopra, riſpetto a quelli di contumacia, ſiano in quanto ancora al dritto di Tumulazione interamente ſoggetti alla Parrocchia del loro domicilio, ed abitazione.

VI. Che in ambedue i ſuddetti caſi della morte di queſti Pellegrini, o meri Viandanti, e Paſſeggieri tanto dentro il preſcritto termine di quaranta giorni, che

che dopo di eſſo, l' Uffizio, e la cura di amminiſtrargli i Sagramenti, di aſſiſterli nelle infermità, e di aſſociare i loro Cadaveri alla Chieſa tumulante, qualunque ella ſiaſi, ſempre appartenga, e debba eſſere dei riſpettivi Parrochi del loro domicilio, ed abitazione, per ragione di che dovranno altresì gli ſteſſi Parrochi conſeguire egualmente tanto nell' uno, che nell' altro caſo la Quarta Funerale oltre al ſolito emolumento dell' aſſociazione, ancorchè eleggeſſero particolar Sepoltura, purchè però i Defonti non ſiano poveri, e per la loro impotenza non ſi ſeppelliſſero per carità, ed eſſendo poveri, e ſeppellendoſi per carità, ſia nella Cattedrale, o ſue Chieſe Ceſſionarie, o ſia nelle riſpettive Parrocchie, ſaranno ad ogni modo egualmente obbligate tanto le ſuddette Chieſe alla Tumulazione dei Cadaveri, quanto i riſpettivi Parrochi all'amminiſtrazione dei Sagramenti, aſſiſtenza agl' infermi, ed aſſociazione dei loro Cadaveri ſenza poter pretendere nè l'une, nè gli altri neſſuna ſorta di emolumenti.

VII. Che morendo queſti Pellegrini, o meri Viandanti, o Paſſeggieri ſenza eleggere altra particolar Sepoltura dentro il termine di quaranta giorni di loro continua permanenza in queſta Città, e conſeguentemente ſpettando in tal caſo la Tumulazione dei loro Cadaveri alla noſtra Cattedrale, o ſue Chieſe Ceſſionarie, come ſi è ſtabilito di ſopra, debbano perciò i riſpettivi Parrochi dell' abitazione del Defonto, i quali gli avranno amminiſtrati i Sagramenti, e preſtata la ſpirituale aſſiſtenza, avvertire il Canonico Priore *pro tempore* della morte accaduta, affinchè in ſeguito di tal notizia poſſa opportunamente diſporre l' occorrente al traſporto, e Tumulazione del Cadavere nella Cattedrale medeſima, o ſue Chieſe Ceſſionarie in conformità del dritto, che ne compete al Capitolo.

